

C. CORNELII TACITI

ANNALES

RECENSUIT

ET

COMMENTARIOS SUOS

ADIECIT

GEORG. HENRICUS WALTHER.

TOM. II.

SEX POSTERIORES ANNALIUM LIBROS

COMPLECTENS.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

MDCCCXXXI.

C. CORNELII TACITI

OPERA

RECENSUIT

ET

COMMENTARIOS SUOS

ADIECIT

GEORG. HENRICUS WALTHER.

TOM. II.

HALIS SAXONUM
APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.
MDCCCXXXI.

C. CORNELII TACITI

AB

EXCESSU DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIB. XI—XVI.

VOLUMEN II.

C. CORNELII TACITI
AB
EXCESSU DIVI AUGUSTI
ANNALIUM
LIBER UNDECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1—3. Valerius Asiaticus a Suilio et Sosibio accusatus fraude Messallinae et Vitellii evertitur, et hilare moritur. 4. Somnium saevitiae causa. 5. In perfidiam advocatorum lex Cincia flagitatur. 6. 7. Praemiis pro patrocinio modus ponitur a principe.

8. Parthi discordant. Gotarzes pulsus vires reparat. 9. Pacem init cum Bardane: 10. hic victor a suis caeditur.

11. Ludi saeculares. Domitius Nero destinatur imperio. 12. Messallina Silium deperit. 13. Claudius aliud agit. Leges fert. Novas litterarum formas vulgat. 14. De litterarum inventoribus. 15. Claudius haruspices firmat.

16. Italicus rex Cheruscis petentibus datur. 17. mox de eo discordia gentis et bellum. 18. Rebellantes Chaucos Corbulo reprimit. Is severe agit in milites. 19. Frisios componit. Gannascum caedit. 20. Ardor eius a Claudio repressus. Fossam inter Mosam et Rhenum ducit. Insignia triumphi ei indulta. 21. Sic et Curtio Rufo. 22. Nonius perit. De spectaculo gladiatorum et quaestoribus.

23. Galli civitatem plenam adfectant et 24. principe patrocinante 25. impetrant, et primo quidem Aedui. Patricii suppleti. Lustrum conditum.

26. Messallina amore vecors 27. Silio palam nubit. 28. Turbantur aulici. 29. 30. Narcissus per pellices rem defert. 31. Claudius trepidat. Messallina bacchatur: 32. preces per Vestalem parat. 33. Narcissus principem nutantem incitat, 34. preces amolitur, 35. 36. sontium, in his Mnesteris, supplicium urget. 37. 38. Messallinam languente principe, dein ignaro caedi curat. Haec gesta annis fere duobus

C. VALERIO ASIATICO ET M. VALERIO MESSALLA,
A. VITELLIO ET L. VIPSTANO COSS.

I. Nam Valerium Asiaticum, bis consulem, fuisse quondam adulterum eius credidit: pariterque hortis inhians, quos ille a Lucullo coeptos insigni magnificentia extollebat, Suilium accusandis utrisque immittit. Adiungitur Sosibius Britannici educator, qui per speciem benevolentiae moneret Claudium, caveri vim atque opes

COMMENTARIUS.

Cap. 1. *Nam.* Haec vocula testatur librum esse ἀκέφαλον. Quae proxime praecesserint, e Dione coniicere non licet. Nam is nihil habet, unde illud *nam* intelligas. In ed. Puteol. Ven., qua ego utor, pro *N* initiali pictum est I (*Iam*).

Valerium Asiaticum. cf. Dio 60, 27.

bis consulem. An. u. 799. iterum. cf. Dio l. l. Prius consulem fuisse suffectum coniicit Ryckius, quoniam nomen eius non reperitur in fastis. Puto imperante Caio, qui in primis amicis eum habebat. cf. Senec. de const. sap. c. 18. Nam quum Caius occideretur, hic Asiaticus iam erat vir consularis. cf. Dio 59, 30. Ioseph. Ant. 19, 1.

eius. Int. Poppaeae Sabinae (cf. c. 2. et 13, 43. 45.), quam fuisse filiam Poppaei Sabini, de quo 6, 39., patet e loco 13, 45.

credidit. Sc. Messallina, Claudii uxor.

hortis inhians. Testatur et Dio 60, 31. ἐς τοὺς τοῦ Ἀσιατικοῦ κήπους, δι' οὕςπερ οὐχ' ἥκιστα ἀπολώλει, ἀναχωρήσασαν. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *ortis* pro *hortis*, quod est in edd. Puteol. M. et Ven. Beroald. sqq.

coeptos. Sic codd. MSS. et vett. edd. praeter ed. Spir., quae habet *captos* (Ernestius putat vitio operarum). MS. Guelf. *ceptos.* Margini MS. Harlei. adscriptum est *emptos*, quod addidit, qui *coeptos* non intelligeret. Nam *emere* a Lucullo Asiaticum non potuisse, qui illius ne nepotes quidem noverit, bene animad. vertit Ryckius. Horti a L. *coepti* sunt *die von L. angelegten Gärten.* cf. not. ad 1, 50.

extollebat. Sic codd. MSS. Flor. Guelf. aliique libri MSS. edd. Spir. Ber. Alc. et recentt. inde a Lipsii prima. *excolebat* edd. Puteol. M. et V. Rhenan. Ald. Gryph. Verum *extollere*, graece ἐξαίρειν, est evehere ad maiorem praestantiam, dignitatem. cf. 1, 2 et 3. 13, 21. *Baiarum suarum piscinas extollebat.* Hist. 4, 28. Sallust. Iug. c. 49. Vulgo *extollere* aliquem vel aliquid dicuntur, qui verbis, laudibus celebrant. cf. 12, 11. Ceterum *excolebat* non absurdum est. cf. Suet. Oct. c. 29. *excolere urbem.* Id. Claud. c. 21. *circum marmoreis carceribus auratisque metis.* — *Insignis magnificentia* intelligenda erit de statuis aliisque eiusmodi monimentis, quis hortos ornabat. Nam Valerius ditissimus fuit. cf. Dio 60, 27.

Suilium. Sic edd. recentt. inde a Lipsii prima omnes. Ed. Spir. *Suillum*, et mox *Suillo*, *Suille.* Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. c. MS. Guelf. *Suillium*, et mox *Suillio*, *Suilli.* Victorius in exemplari suo Beroald. nil correxit, ut ita MS. Flor. eandem scripturam usurpare videatur.

Britannici. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *Brittannici* MS. Flor. test. Vict.

qui . . . moneret. Dio 60, 14. ὁπότε γὰρ ἀποκτεῖναί τινα ἐθελήσειαν, ἐξεφόβουν αὐτὸν κ. τ. λ.

benevolentiae Sic edd. Lips. sqq. — Edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Victorii) Alc. Rhenan. Ald. c. MS. Guelf. *benivolentiae.* Quod semel animadvertisse sufficit.

caveri vim. Sic edd. Spir. Put.

principibus infensas: praecipuum auctorem Asiaticum interficiendi Caesaris: non extimuisse concionem populi Romani fateri gloriamque facinoris ultro petere. clarum

M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. et MSS. Flor. (test. Victorio et Iac. Gronovio contra Pichenam, qui adfirmat ibi esse *auri*) Reg. (test. Ryckio). — *auri*, a sec. man. *caveri*, Bud. — *cavere* Guelf. — *caveret* Agric. — *cauri* littera *e* superius adiecta Farnesian. (test. Lipsio). Broterius tacet de Vaticc. et Oxonienss. Uti codices litteris, ita interpretes variant opinionibus, nec ullus codicum defensore suo caruit. Rectissime recentiores inde a Iac. Gronovio scripturam *auri* a Lipsio editam atque commendatam repudiarunt. Nam primum parum ei auctoritatis est e codd.; tum absurda inest tautologia. Etenim *auri vis* licet per se recte dicatur (cf. 16, 1. *magna vis auri*), hic tamen ea notio per *opes* satis exprimitur. *Vis* autem significatione *potentiae* (ut infr. 12, 27. et alibi) huic loco egregie convenit. Iam quod attinet ad formas *caveri*, *cavere*, *caveret*, parum interesse videtur, quid inde deligas. Nam *caveret* confirmatur exemplis: 13, 9. *regem monebant*, *pacem quam bellum mallet* etc.; 12, 27. *monuit*, *ut anteirent populatores*. Hist. 3, 40. Suet. Iul. c. 81. *Spurinna monuit*, *caveret periculum*. Sed hoc certe loco structura: *moneret* . ., *caveret*, minus elegans est. Ambiguam etiam reddit dictionem, ut Sosibius videatur delectus esse, qui et moneret Claudium et caveret etc. Iam transeamus ad *cavere*, quod et ipsum exemplis egregie probatur: 12, 46. *monet Rhadamistum*, *oppugnationem quoquo modo celerare*; 13, 37. 16, 11. 4, 67. 1, 63. Hist. 4, 33. At potior haud dubie e codicibus est auctoritas formae *caveri*, quae multum abest, ut nos offendat, ut Tacito eximie conveniat. cf. 1, 63. *Arminius colligi suos . . . monitos*. Similis est structura in his: 4, 62. *quaeri placet alicuius confessionem*; 16, 25. *quibus intrari curiam placebat*. Hist. 1, 29. *placuit pertentari animum cohortis*. Nam ut *moneret cavere* dictum est pro *moneret*, *ut caveret*; ita *moneret caveri* ponitur pro *moneret*, *ut caverentur vis atque opes* etc. Quis nescit plane sic loqui, qui obscure aliquid significant, ut hic Sosibius, qui in universum verba iaciunt. De passivo *caveri* cf. Hist. 1, 36. *gregarius miles caveri insuper praepositos iubebat*. Hist. 3, 38. *in urbe ac sinu cavendum hostem*. Hist. 4, 71. *cavendis hostibus*. Restituo igitur cum Iac. Gronovio *caveri*, licet edd. hodiernae omnes consentiant in *cavere*. Posuerunt *caveret*, qui offenderentur infinitivo; posuerunt *cavere*, qui infinitivum quidem, neque vero passivum concoquere possent. Crollii coniecturam: *moneret Claudium*, *Valerii vim* etc. seponamus in saeviorem mutandi necessitatem; nam hic supervacanea erat.

praecipuum. Ed. Spir. *precipuum*, uti solet.

concionem. Sic ed. Spir. — *contionem* MS. Flor. test. Victorio. — *concionem*, omisso verbo *fateri* MS. Bud., quae ratio placebat Rhenano. — *in concione* vel *contione* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Lipsius e scriptis refert defenditque *concione*. Bipontt. Oberl. sqq. bene restituere potiorum librorum scripturam. *In concione* (quod nuper placuit Lünemanno et Kiesslingio) veritati repugnat: innuit enim concionem convocatam et Valerium coram concione dicentem. Immo turba hominum fuit sponte concurrentium, et Valerius non extimuit fateri, quanquam circumdatus multitudine audientium; igitur non extimuit concionem populi Romani,

ex eo in urbe, didita per provincias fama parare iter ad Germanicos exercitus, quando genitus Viennae multisque et validis propinquitatibus subnixus turbare gentiles nationes promptum haberet. At Claudius nihil ultra scrutatus citis cum militibus, tanquam opprimendo bello, Crispinum praetorii praefectum misit, a quo repertus est apud Baias vinclisque inditis in urbem raptus.

II. Neque data senatus copia intra cubiculum auditur Messallina coram, et Suilio corruptionem militum, quos pecunia et stupro in omni flagitio obstrictos

fateri. Structura est a Graecis, qui ita ponunt infinitivum pro ὥςτε c. inf. Thucyd. 3, 6. τῆς μὲν θαλάσσης εἶργον μὴ χρῆσθαι Μυτιληναίους. cf. not. ad 12, 50. et 13, 46. Hist. 1, 22. De re cf. Dio 59, 30.: ἐπεὶ δὲ τὸ δορυφορικὸν ἐταράττετο καὶ διαθέοντες ἐπυνθάνοντο, τίς Γάϊον ἔσφαξεν, Οὐαλέριος Ἀσιατικὸς, ανὴρ ὑπατευκὸς, θαυμαστὸν δή τινα τρόπον αὐτοὺς ἡσύχασεν, ἀνελθὼν ἐς περιφανές τι χωρίον καὶ ἐκβοήσας, Εἴθε ἐγὼ αὐτὸν ἀπεκτόνειν. Eadem fere refert Ioseph. Ant. 19, 1. Quibus Dionis et Iosephi verbis non quidem inest talis Valerii confessio, qualem ipsi imputat Sosibius. At qui exclamat: *Εἴθε ἐγὼ κ. τ. λ.*, is haud dubie gravem movet suspicionem conscientiae, nec deerant calumniatores, qui suo more haec interpretarentur.

didita. Sic MSS. Flor. (test. Victorio et Pichena) Guelf. (a pr. m.; *dedita* ab sec. m.) Bud. (hic a 2. man.) edd. Lips. Pichen. sqq. Rectissime. cf. Virgil. Aen. 8, 132. *didita terris fama; 7, 144. diditur per agmina rumor.* Edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. habent *dedita.* De suis MSS. tacent Ryckius et Broterius eduntque *didita.*

promptum haberet. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *promptum habere* ed. Spir. — *pretii haberet* alter Vatic. test. Lips., unde Bipontt. eliciunt pro *pretio* vel *operae pretium*, quod non videtur huius loci. Vulgatum est sine labe. Sic *compertum habere*, *cognitum* vel *incognitum habere* aliaque. *Promptum* est, quod factu facile. cf. 1, 68. *promptam expugnationem; 2, 82. prompta adfirmatio.*

Cap. 2. *neque data senatus copia intra* etc. Sic locum ferunt edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. nec video, quid elegantius aut Tacito dignius prodire possit ex Ernestii interpunctione, qui ponit (:) post *copia*, ut in nominativo id nomen positum accipias.

Messallina. Sic MS. Guelf. edd. Lips. sqq. — Edd. Spir. Put. M. et V. Rhen. Ald. *Messalina.* cf. not. ad 1, 8. sub voc. *Messalla* et *Marini* gli Atti e Mon. de' Frat. Arv. T. I. p. 28 sq.

in omni flagitio. Ne intellige milites pecunia et stupro obstrictos, ut omne flagitium committerent, hoc esset: *in omne flagitium obstrictos*, uti volebat Rhenanus; sed potius accipe obstrictos pecunia et stupro in omni flagitio, quod Asiaticus commisisset vel commissurus fuisset h. e. in omni flagitii occasione sive materia: ἐν πάσῃ πονηρίᾳ. Similia sunt 15, 44. *haud perinde in crimine incendii . . . convicti.* Sueton. Claud. c. 14. *in maiore fraude convictos.*

arguebat, exin adulterium Poppaeae ac postremum mollitiam corporis obiectante. ad quod victo silentio prorupit reus et, „interroga," inquit, „Suili, filios tuos: „virum esse me fatebuntur:" ingressusque defensionem commoto maiorem in modum Claudio Messallinae quoque lacrimas excivit. quibus abluendis cubiculo egrediens monet Vitellium, ne elabi reum sineret. ipsa ad perniciem Poppaeae festinat subditos, qui terrore carceris ad voluntariam mortem propellerent, adeo ignaro Caesare, ut paucos post dies epulantem apud se mari-

exin. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. *exinde* ed. Spir.

Poppaeae. Sic edd. recentt. inde a Lipsii prima. *Poppeae* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *Poppe* MS. Flor. (test. Vict.)

ac postremum. Sic 1, 74.; graece ὕστατον, adverbii loco. MSS. Guelf. Harl. Ies. ex inscitia *ad postremum.*

mollitiam. MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) *molliciam.* Alciatus Rhenanus sqq. *mollitiam.*

obiectante. Sic vett. libri. — Edd. Lips. *Silius ... obiectare.* Veterem scripturam Pichena restituit.

victo silentio. Sic MSS. Flor. (t. Vict. et Pich.) Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. Recte. Nam destinatum fuit Asiatico silentio ferre, quae obiectarentur; silebat igitur et silentio vincebat cupiditatem respondendi. At postremum victum est silentium h. e. non potuit amplius silere. Cogita de contentione sensuum intra animum viri. Sic *victo gemitu* 4, 8. Ed. Spir. habet *inito silentio*, unde Ernest. frustra coniicit *finito s.* In quibus vett. libris Lipsius invenerit *indicto s.* (quod ipse defendit et Boxhornius; diversa tamen uterque interpretatione) nondum habeo compertum. Broterius tacet de MSS. Vaticc. et Oxonienss., Ryckius de Agr.

virum esse me. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Agr. (test. Heins.) et alii codd. (test. Broter.) Bene. Nam vis orationis cadit in *esse* potius quam in *me.* Ceteri libri, ut MS. Bud. (test. Oberl.) et edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *virum me esse.* Sententia: Asiaticum quidem non esse pathicum, sed tales esse Suilii filios, qui illi se stupro venum dedissent.

commoto . . Claudio. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Dissentit ed. Spir. quae legit: *commotus maiorem in modum: Claudio Messalinae quoque l. exc.*

lacrimas. Sic MS. Flor. (t. V.) edd. recentt. inde ab Ernestio. *lachrymas* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. — *lacrymas* edd. Lips. sqq. cf. not. ad 1, 5.

perniciem. Sic MSS. Flor. (t. V.) Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *pernitiem* ed. Spir., uti solet.

subditos. Vulgo *subditis* secundum MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *subditos* MS. Flor. (t. V.) et ed. Spir., ut coniungas *festinat subditos*, *qui* etc. quae ratio quanto elegantior tanto hoc loco dignior esse videbatur. Sic *festinare mortem* 4, 28. *festinavit cetera plebs* etc. Hist. 1, 77.

tum eius Scipionem percunctaretur, cur sine uxore discubuisset? atque ille functam fato responderet.

III. Sed consultanti super absolutione Asiatici flens Vitellius, commemorata vetustate amicitiae, utque Antoniam principis matrem pariter observavissent,

percunctaretur. Sic edd. Rhen. Ald. Pich. sqq. *percontaretur* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Lips. Grut. *perconctaretur* ed. Alc. Sed vett. libri in huius verbi scriptura sibi non constant.

atque ille functam fato responderet. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. et nuper Bekker. Sed auctore Heinsio Oberlin. aliique edidere: *ad quod ille, f. f., responderit.* Acidalius volebat: *respondere;* Ernest. *respondebat* vel *respondit.* Contendunt verba haec non posse pendere e particula *ut,* quippe ignorantia Caesaris non potuerit facere, ut Scipio sic responderet. Immo potuit. Nam sine Caesaris ignorantia Scipio minime ausus esset dicere functam esse fato. Locus hic comparatus est ut sexcenti alii. Solent scriptores in iis rebus enarrandis, quas explicandi causa adnectunt, ita versari, ut semel coeptam structuram continuent, licet res non eadem plane ratione cohaereant. cf. 1, 79. *orantibus Florentinis, ne Clanis . . . transferretur idque ipsis perniciem adferret.* Vid. ib. not. Infr. 14, 47. *adeo ut Nero . . . responderit, habere subsidium rem publicam; rogantibus dehinc, in quo potissimum? addiderit, in Memmio Regulo;* 15, 16. *Ceterum obsessis adeo* etc.; 11, 34. *sed non ideo . . . uteretur.* Suet. Iul. c. 22. *responderit.*

Cap. 3. *Sed consultanti.* Sic vett. libri MSS. et edd. omnes praeter MS. Harlei., cui inest *consultante,* quod suadente Ernestio recepere Oberlin. sqq. Scilicet non vident in *permisit* latere *respondit se permittere* vel respondit suam esse sententiam, ut Asiatico . . . permitteretur. cf. not. ad 3, 17. sub v. *relegatur.* Iam vero recte legimus *consultanti,* quia eo casu indicatur is, cui sententiam suam dixit Vitellius. Non desunt exempla eiusdem structurae. cf. 2, 76. *Igitur quid agendum consultanti M. Piso filius . . . censebat;* 14, 8. *centurioni ferrum destringenti . . . exclamavit;* 14, 13. *cunctanti . . . disserunt;* 6, 46. *etiam de Claudio agitanti . . . imminuta mens eius obstitit* h. e. agitanti apparuit, imminutam mentem eius obstare. 6, 22. *sed mihi haec ac talia audienti in incerto iudicium est.* Germ. c. 6. *in universum aestimanti plus penes peditem roboris* h. e. aestimanti intelligitur, aestimatur vel simile quid. Rupertius male coniungit: *consultanti commemorata.* Kiesslingius vult *consultantibus.* Frustra. In reliquis neque transpositione neque emendatione opus esse puto. Vitellius ludibrio habet stolidum Claudium, *cui non iudicium, non odium erat, nisi indita et iussa* (cf. c. 7.), et qui, *ut quemque suadentium audierat, promptus.* Dio 60, 29. rem ita narrat: καὶ τοῦ Κλαυδίου ἀπολύειν αὐτὸν μέλλοντος ὁ Βιτέλλιος τῇ Μ. χαριζόμενος, παρακεκλῆσθαι ἔφη ὑπ' αὐτοῦ, ἵν' ὅπως ἂν βουληθῇ, ἀποθάνῃ. ἀκούσας δὲ τοῦτο ἐκεῖνος ἐπίστευσέ τε αὐτὸν ὄντως ἑαυτοῦ διὰ τὸ συνειδὸς κατεγνωκέναι, καὶ κατεχρήσατο.

vetustate. MS. Guelf. *vetustae,* ex mendo.

observavissent. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) Guelf. edd. Pichen. sqq. — *observassent* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. Lips. Gruter.

dein percursis Asiatici in rem publicam officiis recentique adversus Britanniam militia, quaeque alia conciliandae misericordiae videbantur, liberum mortis arbitrium ei permisit: et secuta sunt Claudii verba in eandem clementiam. Hortantibus dehinc quibusdam inediam et lenem exitum remittere beneficium Asiaticus ait: et usurpatis quibus insueverat exercitationibus, lauto corpore, hilare epulatus, cum se honestius calliditate Tiberii vel impetu C. Caesaris periturum dixisset, quam quod fraude muliebri et impudico Vitellii ore ca-

dein. Sic MS. Flor. (t. Vict.) edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *deinde* ed. Spir.

in rem publicam. MS. Flor. (t. Vict.) *rem puplicam.* Edd. vett. *rem p.*

officiis. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) Guelf. edd. Spir. et recentt. inde a Lipsii prima. *beneficiis* edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. Rhenan. Ald.

liberum mortis arbitrium ei p. Sic MSS. Flor. (t. Vict. et I. Gron.) Harl. Bodl. Ies. Guelf., elegantius quam vulgo legitur: *liberum ei mortis ar. p.*, uti est in edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq.

hortantibus .. inediam et lenem exitum. Ad similitudinem verbi graeci *πείθειν τινά τι* et per cognationem pro *suadentibus.* Lipsius scribendum censebat: *ad inediam.* I. Fr. Gronovius vero docuit dici etiam *hortari aliquid.* cf. Senec. epp. 121. Cicer. ad Attic. 7, 14. ibid. 6, 2. id. ad Q. Fr. 1, 1. Ne tamen putes, *hortari ad inediam* et *hortari inediam* idem plane esse. Immo hortamur ad aliquid, quod fieri cupimus; hortamur aliquid, quod inter plura, quae fieri possint, optimum nobis videtur. Sic nos: *ermahnen*, *ermuntern zu etwas*, et *zu etwas rathen.* Miratur Ricklefs, quomodo inedia dici possit *lenis* exitus prae venarum exsolutione. Nimirum venas exsolvere caedes est; inedia mori fatali exitui simile. *Lenis* igitur non spectat ad mortis dolorem, sed potius viam.

lenem. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) Guelf. edd. Ber. Alc. Rhen. Micyll. Lips. sqq. *levem* edd. Spir. Put. M. et V. Ald.; quae utriusque vocabuli confusio frequens est. Mox ante *Asiaticus* ed. Spir. punctum habet.

insueverat. Ed. Spir. *īsuetis.* Copulam *et* ante *usurpatis* Pich. e MS. Flor. restituit, quum in edd. Lips. omitteretur. Vett. edd. et MS. Guelf. eam habent.

periturum. Intell. fuisse. cf. 15, 16. *relicturos oppugnationem* (fuisse); ibid. c. 35. *victurum fuisse.* Kiesslingius ad *periturum* intelligit *esse.* Non video quomodo id temporum ratio ferat. In sequentibus verba *quod ... caderet* adsunt, ut temporum ratio recte constet. Nam tempus, *periturum fuisse*, non ita convenit alteri membro ut priori. Sic Hist. 1, 16. *Nero a pessimo quoque semper desiderabitur: mihi ac tibi providendum est ne etiam a bonis desideretur.*

impudico. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. — non *inpudico.* Quid sit *os impudicum* intelliges e Sueton. Tib. c. 44 et 45. Iuven. 6, 301. cf. ibi Rupertium. Pro *impetu* MS. Guelf. a sec. manu habet *imperio*, quod corruptum est e voc. *impetu.*

deret, venas exsolvit, viso tamen ante rogo iussoque transferri partem in aliam, ne opacitas arborum vapore ignis minueretur. tantum illi securitatis novissime fuit.

IV. Vocantur post haec patres pergitque Suilius addere reos equites Romanos inlustres, quibus Petra cognomentum. at causa necis ex eo quod domum suam Valerii et Poppaeae congressibus praebuissent.

exsolvit. Sic MS. Flor. (t. Vict.) edd. Lips. sqq. — *exolvit* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. — *solvit* ed. Spir.

novissime. Sic MSS. Flor. (t. V.) Guelf. edd. Spir. Ber. Alc. Recte, et elegantius quam *novissimae*, quod habent edd. Put. M. et V. Rhenan. sqq. Invenio et Kiesslingio placuisse *novissime.*

Cap. 4. *inlustres.* Edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. c. MS. Guelf. *illustres.* In aliis locis Victorius e MS. Flor. constanter correxit *inlustr.*; hoc tamen loco *illustres* in suo exemplari Beroald. intactum reliquit. De *equitibus Rom. inlustr.* cf. not. ad 2, 59.

Petra cognomentum. Sic MSS. Vaticani omnes, Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *praeter cognomen* MS. Reg. *pet cognomen* ed. Spir.

at causa necis ex eo quod etc. Sic MSS. Flor. t. Vict. (Pichena prodidit ibi esse *ac* pro *at.*) Bud. ed. Spir. *at causa necis, quod* MS. Guelf. edd. Puteol. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. sqq. Pro *at* Acidalius volebat *et* aut plane id delendum censebat. Ernestius malebat: *cognomentum erat. Causa* etc. Pro *at* haud pugnaverim. Additamentum *ex eo* genuinum est. cf. 16, 15. *causa festinandi ex eo oriebatur quod* etc. Ita et nostro loco Tacitus non dicit illam fuisse *causam necis* ab accusatore adhibitam, sed causam necis inde ortam. cf. et. 1, 5. *spemque ex eo, fore, ut* etc.; 1, 13. *spem esse ex eo . . . quod.* Hist. 2, 2. *nullum ex eo impedimentum.* Consentit Kiesslingius.

Valerii. Sic MSS. Guelf. Agr. Harl. Bodl. Ies. (Bud. in marg.) edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Victorii) Alc. Contra MS. Bud. *mnesteris* vel *in nesteris* (non *nestoris*, ut Rhenan. prodiderat). Eandem scripturam et Lipsius e libris scriptis adfert, e quibus, non diserte addit. MS. Reg. *Vesteris.* Hinc Rhenanus pro *Valerii* substituerat *M. Nestoris*; Lipsius edidit *Mnesteris* (cf. c. 36), eamque scripturam retinuere usque ad Ernestium, qui veterem restituit. Recte. Nam infirma librorum auctoritate nititur *Mnesteris.* De MSS. Vaticc. Broterius, ut saepissime, tacet.

praebuissent. MS. Guelf. et Oxon. (Iac. Gronovii) *praebuisset.* Probant I. Gronovius et Strombeckius putantes sic singulis fratribus singula crimina obiectari, alteri, quod domum suam praebuisset, alteri quod vidisset etc. Falsi sunt. Nam ex vera illa causa, quod domum . . . praebuissent, neuter fratrum accusatus est; hoc silentio premebant accusatores. Verum nocturnae quietis speciem obiecerunt; et Tacitus mox disertis verbis dicit: *Illud haud ambigitur, qualicunque insomnio ipsi fratrique perniciem adlatam.* Alterius igitur fratris damnatio alterum in perniciem traxit: ambo una domo usi sunt.

verum nocturnae quietis species alteri obiecta, tanquam vidisset Claudium spicea corona evinctum, spicis retro conversis, eaque imagine gravitatem annonae dixisset. quidam pampineam coronam albentibus foliis visam atque ita interpretatum tradidere, vergente autumno mortem principis ostendi. illud haud ambigitur qualicunque insomnio ipsi fratrique perniciem adlatam. Sestertium quindecies et insignia praeturae Crispino decreta. adiecit Vitellius sestertium decies Sosibio, quod Britannicum praeceptis, Claudium consiliis iuvaret. Ro-

verum noct. q. species. Heins. emendat: *reorum nocturnae quietis specie alteri obiecta.* Nimirum Heinsio illi emendandi finis nullus est. Kiesslingius *verum* substantive dictum accipit, ut inter se opponantur *causa* h. e. causa praetexta, et *verum* h. e. causa vera. Immo plane contraria est loci ratio. Vera causa fuit ex eo, quod domum . . . praebuissent: causa praetexta nocturnae quietis species.

retro conversis. Id mali ominis.

gravitatem. Ursinus et Muretus volebant *caritatem.* Sed cf. 6, 13.

dixisset. Rhenanus malebat: *praedixisset* vel *significari dixisset;* Heinsius: *praedixisse, etsi quidam* etc. Ernestius tamen censet *dicere* poni pro *praedicere.* Perperam. Praedictio hic non agitur; sed hoc Petrae vertebatur crimini, quod illa imagine et per narrationem, qua insomnium exposuerat, Caesarem incusavisset de gravitate annonae eique obiecisset annonae incuriam. Nam quis sibi persuadebit, hominem quanquam saevo tempore damnari potuisse ob insomnium gravitatem annonae futuram significans? Hoc nimis ridiculum est nec pertinet ad maiestatem. Verum trahebatur illud in crimen, tanquam Claudio incuria annonae eo insomnio obiiceretur.

pampineam coronam. Quae praeter Dionysiacos artifices mortem ac vincla significabat. cf. Artemidor. 1, 79.

albentibus foliis. Heinsius: *labentibus* vel *flaventibus.* Scilicet quia Virg. Georg. 2, 133. *labentia ventis folia* habet, et Plin. 16, 6. *flavescentia folia*, non est dubium et Petrae talia esse visa. Sed nisi fallor, pampinea folia vergente autumno et flavescere et albescere aeque bene dici possunt. *Coronam* vero *labentibus foliis* videre difficilius est, quam ut illum vidisse credam.

visam. Int. Claudii capiti circumdatam. Nam ad Claudium pertinere coronam contextus docet.

interpretatum. Passive, ut Sueton. Ner. c. 13. Rupertius intelligit *interpretatum* a Suilio. Haud dubie.

vergente. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) Guelf. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *vertente* MS. Farnesian. (t. Lips.)

autumno. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *auctumno* edd. Bekkeri, Kiessl.

ambigitur. MS. Guelf. *ambigebatur.*

sestertium. Sic edd. Puteol. V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. *sextertium* edd. Spir. Puteol. M. Post *adlatam* ed. Spir. caret interpunctione. Eadem altero loco scribit *sextercium* et ita Guelf.

gatus sententiam et Scipio, „cum idem," inquit, „de „admissis Poppaeae sentiam quod omnes, putate me „idem dicere quod omnes," eleganti temperamento inter coniugalem amorem et senatoriam necessitatem.

V. Continuus inde et saevus accusandis reis Suilius multique audaciae eius aemuli. nam cuncta legum et magistratuum munia in se trahens princeps materiam praedandi patefecerat. nec quidquam publicae mercis tam venale fuit quam advocatorum perfidia, adeo ut Samius insignis eques Romanus quadringentis nummorum millibus Suilio datis et cognita praevaricatione ferro in domo eius incubuerit. Igitur incipiente C. Silio consule designato, cuius de potentia et exitio in tempore memorabo, consurgunt patres legemque Cinciam flagitant, qua cavetur antiquitus, ne quis ob causam orandam pecuniam donumve accipiat.

sentiam. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. At MS. Flor. test. Pichena: *assen essentiam* (Victorius tamen de hac re nihil adnotavit, quod mirum est, quum alibi notet vel minutissima). Ed. Spir. *assenescentiam*. MS. Guelferb. *sententiam*. Duo alii MSS. Medic. a Pichena inspecti et Bud. *assentiam*. Latere aliquid in corrupto vocabulo vix dubites. Coniicio: *ac secus sentiam*, ut *secus* instar vocabuli graeci ἑτέρως significet *gravius*, *peius*. Mox *amorem* non est in Guelf.

Cap. 5. *aemuli*. Ed. Spir. c. Guelf. *emuli*, uti solet.

munia. MS. Farnes. *nece*. Lipsius utrumque pro glossemate habet. Sed vid. 1, 2. *munia senatus*, *magistratuum*, *legum in se trahere*.

in se. MS. Guelf. *intra se*.

materiam praedandi. Heins. *latam aream praedandi*. Sed *materia* est occasio, opportunitas, ut saepe. Ceterum observavi in sex prioribus Annalium libris constanter legi *materiem*, nunquam *materiam*. cf. 1, 32. 2, 26. 3, 31.

publicae mercis. Intellige in publico loco venalem expositam.

millibus. Edd. Spir. Put. M. et V. cum MS. Guelf. *milibus*, quam scripturam nuper adoptavit Kiesslingius. Nititur sane lapidibus.

praevaricatione. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *prevaricatione*.

incubuerit. Ed. Spir. *succubuerit*.

Caio Silio. Ed. Spir. *G. Silio*.

cuius de potentia et exitio. MS. Flor. (t. Vict.) omittit *et*. Ed. Spir. *cuius de potentiae exitio*. Edd. Put. M. et V. Beroald. Rhen. Ald. cum MS. Guelf. vulgatam scripturam tuentur.

memorabo. cf. c. 12 et 35.

Cinciam. MS. Flor. (t. Vict.) *Ciciam*, quod Victorius corrigit *Cinciam*. Ed. Spir. et recentt. inde a Lipsio *Cinciam* (cf. 13, 42). MSS. Broterii, Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *Titiam*. Legem *Cinciam* de donis ac muneribus tulit M. Cincius an. u. 550. cf. Liv. 34, 4. Rettulit Augustus. cf. Dio 54, 18.

VI. Deinde obstrepentibus his quibus ea contumelia parabatur, discors Suilio Silius acriter incubuit veterum oratorum exempla referens, qui famam et posteros praemia eloquentiae cogitavissent pulcherrima. alioquin et bonarum artium principem sordidis ministeriis foedari. ne fidem quidem integram manere, ubi magnitudo quaestuum spectetur. quod si in nullius mercedem negotia tueantur, pauciora fore: nunc inimicitias, accusationes, odia et iniurias foveri,

Cap. 6. *obstrepentibus his quibus.* Ed. Spir. omittit *his.* MS. Flor. (t. Vict.) ante *his* interponit *si.* Ed. Ald. c. MS. Guelf. dat *iis* pro *his.* Put. Alc. et Rhen. tuentur *his.* Nil in vett. libris frequentius est quam utriusque pronominis confusio.

Suilio Silius. Ed. Spir. *suillo: Suillus.* Edd. Put. M. et V. *suillio: Silius.* MS. Flor. (t. Vict.) pro *Silius* habet *Sillus.*

et posteros. Sic MS. Flor. (t. Vict.); cum Florentino consentit MS. Bodl. Ita melius se habet num. plur. in *praemia.* Vulgo *in posteros.*

praemia. Ed. Spir. *premia*, uti solet.

cogitavissent. MS. Flor. (t. Vict.) *cogitabissent.* cf. not. ad 13, 10.

sordidis ministeriis. Sordida sunt ἀνελεύθερα, qualia esse solent hominum de plebe, qui in officia praestanda emuntur. MS. Guelf. *sordis.*

ne fidem quidem. Sic MSS. Flor. Reg. (t. Ryck.) Agr. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *nec fidem* (omisso *quidem*) MS. Bud. edd. Rhenan. Ald. sqq. Mox veterem scripturam restituere Bernegg. Gronov. sqq. De Vaticc. et Oxonn. Broterius tacet.

spectetur. Ryckius e MS. Flor. adfert *spectaretur*, e Reg. *spectatur.* De illo Victorius, de hoc Broterius tacet. Iac. Gronov. e MS. Flor. adnotavit *spectetetur*, supra prius *et* posito *c* (h. e. corrige).

negotia tueantur. Sic MSS. Bodl. in margine, Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — MS. Agr. (t. Ryckio) *negotia tueantur, pauciora fore crimina.* Heinsius tamen inde refert *negotiantur.* MSS. Flor. (t. Vict.) Bud. aliique apud Broterium et Lipsium *negotiantur.* Hinc viri docti varia coniecere. I. Fr. Gronovius: *negotia eant.* Iac. Gronovius ut e MS. Flor. *negotia sint.* Ernestius: *negotia curentur.* Bip. *negotia vertantur.* Kiessl. *tractentur.* Ego vulgatum integrum esse censeo, neque tamen cum Ernestio ad verbum *tueantur* intelligo *oratores* vel *advocati*, quod parum congruit cum verbis: *in nullius mercedem.* In cuius enim mercedem advocati tuerentur negotia, nisi in suam? Verum in verbo *tueantur* idem est subiectum, quod postea in *meminissent*, intell. senatores, ad quos haec dicuntur. *Negotia tueri in nullius mercedem* significat cavere legibus, ne quis inde mercedem percipiat. Silius coram senatu: *Quodsi in nullius mercedem*, inquit, *negotia tueamini*, *pauciora erunt.* Haec Noster debebat referre, ut supra factum est. Sic enim laudantur verba ad senatum loquentium. cf. 3, 33. *cogitarent;* c. 69. *darent.* De verbo *tueri* cf. Cic. de off. 1, 25. *Omnino, qui rei p. praefuturi sunt, duo Platonis praecepta teneant: unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut* etc.

inimicitias. Sic edd. Spir. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. sqq. *inimicicias* Puteol. M. *inimicias* Put. V. — Mox *precia* ut ante *negocia*

ut quomodo vis morborum pretia medentibus sic fori tabes pecuniam advocatis ferat. meminissent C. Asinii et Messallae ac recentiorum Arruntii et Aesernini, ad summa provectos incorrupta vita et facundia. Talia dicente consule designato consentientibus aliis parabatur sententia, qua lege repetundarum tenerentur, cum Suilius et Cossutianus et ceteri, qui non iudicium (quippe in manifestos) sed poenam statui videbant, circumsistunt Caesarem ante acta deprecantes.

VII. Et postquam adnuit, agere incipiunt: Quem illum tanta superbia esse, ut aeternitatem famae spe

edd. Spir. Rhenan. Ald. *pretia* et ante *negocia* edd. Puteol. M. et V. Sed haec sunt futilia.

C. Asinii et Messallae. MS. Flor. t. Iac. Gronovio: *gali Asinii Messalae;* Victorius vult ibi esse: *Galbae Asinii Messalae.* — MS. Bud. *Galli, Asinii, Messale;* Guelf. *Galbe: et Assinii Messallae.* Broterius de suis libris tacet. Ed. Spir. *Gauinii Assinii messalae.* Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *T. Galbae, C. Asinii et Messallae* (Ber. Alc. Rhen. Ald. *Messalae*). Deinde Lipsius, „omissis verbis, quae non reppererat in libris scriptis," edidit *C. Asinii et Messallae,* quae vulgantur ad hunc diem. Id satis certum est, duos tantum viros hic nominari; nam c. 7. in verbis: *facile Asinium et Messallam,* hic locus ita repetitur, ut tertium auctor non omissurus fuisset. Similiter duumviri illi coniunguntur in Dial. de Or. c. 12. *nec ullus Asinii aut Messallae liber tam inlustris.* Verum ex isto loco suspicio mihi oritur, hic quoque legendum esse *Asinii et Messallae,* deleto praenomine *C.* Nullam certe causam video, cur nomini *Asinii* praenomen addatur, omittatur in ceteris nominibus *Messallae, Arruntii, Aesernini.* Clarissima illa nomina non egebant praenominibus, ut recte intelligerentur: quare e glossatorum sapientia mihi videntur profecta, quae in libris vett. adduntur praeter *Asinii* et *Messallae* nomina: alii intelligebant *Gallum Asinium* (2, 32), alii *Caium.* E vocabulo *Galli* tum alii fecere *Galbae.* Copulam *et* etiam delendam censeo. Non enim apparet in libris melioribus. Pro *Arruntii* MS. Guelf. habet *Aruntis.*

provectos. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) Reg. (t. Ryck.) Bud. edd. Lips. Pich. Grut. Gronov. Ryck. sqq. *praevectos* ed. Spir. *provectorum* MS. Guelf. edd. Puteol. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. et Bernegg., idque Kiesslingio magis placet. De MSS. Vaticc. et Oxonn. Broterius tacet,

et facundia. MS. Agr. (t. Heins.) *facundiaque.*

consentientibus. MS. Oxon. ap. I. Gronov. et Guelf. *censentibus,* quod ab hoc loco non abhorret. Aptius tamen est vulgatum, quod melioribus libris nititur.

Suilius et Cossutianus. Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *Suillius et C.* ed. Spir. *Siullus et cossocianus.*

Cap. 7. *agere.* Sic MS. Reg. (apud Ryck.) edd. Ernest. Broter. sqq. Idem verbum in MS. Flor. a 2. m. adscriptum invenit Iac. Gronovius cum Pichena. A prima m. MS. Flor. habet *tacere;* idem est in MS. Bud. et ed. Spir. Sed edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. habent *tacens,* quod trahunt ad verbum *annuit.* Sic et MS.

praesumat? usui et rebus subsidium praeparari, ne quis inopia advocatorum potentibus obnoxius sit. neque tamen eloquentiam gratuito contingere: omitti curas familiaris, ut quis se alienis negotiis intendat. multos militia, quosdam exercendo agros tolerare vitam: nihil a quoquam expeti, nisi cuius fructus ante providerit. facile Asinium et Messallam inter Antonium et Augu-

Guelf. Broterius de Vaticç. et Oxonn. tacet. MS. Agr. *dicere.* Quae si contuearis, intelligis *dicere* esse ex emendatione, *tacens* et *tacere* a loco aliena, unum *agere* ferri posse, et melius quam *iacere* Freinshemii, *placere* Boxhornii, *facere* Iac. Gronovii, *aspere* Hilleri, *ita fere* Heinsii.

quem illum. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) Bud. Reg. Agr. edd. Spir. et recentt. inde a Lipsio. Sic infr. 12, 36. *quis ille.* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. et Freinshem. *quem ullum.* Utrumque recte dici potest. Verum in *quem illum* latet notio magnificentiae, quae egregie convenit vocabulo *tanta superbia.*

aeternitatem. Edd. Spir. Put. V. *eternitatem.*

praeparari. MSS. Flor. (t. V.) Bud. ed. Spir. *praeparare.* Vulgatum exstat in MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq.

potentibus. Sic MSS. Flor. (t. Vict. c. Iac. Gronov.) Bud. Guelf. ed. Spir. — *potentioribus* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Sed nulla hic vis est comparativo.

familiaris. Sic edd. recentt. inde a Iac. Gronovio. — *familiares* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq.

ut quis se .. intendat. MSS. Agr. Guelf. *ut qui se.* Inde Heinsius praeeunte Acidalio coniicit *se* tollendum esse. Frustra. Nam *intendere* sine *se*, intellecto *animum*, est inclinare, adfici amore, studio alicuius rei. At *intendi* vel *intendere se* alicui rei plus dicit, totum se alicui rei dare, strenuum, diligentem esse in ea agenda, quod hic valet. Particula *ut* significat *sowie, sobald als, je nachdem.* Mox Guelf. *nil* pro *nihil.*

ante providerit. Sic MSS. Flor. (test. Vict. et Iac. Gronov. contra Pichenam, qui inde prodidit *praeviderit.*) Bud. Agr. edd. Spir. Rhen. sqq. — *praeviderit* edd. Pich. sqq. — *praevidetur* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Similis de utroque verbo codicum dissensus est Suet. Oct. c. 10. Plin. epp. 1, 5. Nepos 23, 9, 2. et apud Tacitum aliquoties. Culpa est in compendio scripturae. Sed *praevidere* est simpliciter res futuras videre ante quam eveniant, ita ut ante scias, quid eventurum sit (*vorhersehen*). *Providere*, cautionem adhibere circa res futuras, cavere in posterum, *τῶν ἔπειτα μελέτην ἔχειν.* Iam recte quidem dici potest *ante providere*, et sic Virgil. Georg. 1, 167. *omnia quae multo ante memor provisa repones.* Sed *ante praevidere* intolerabilis pleonasmus est. Nam utcunque eam formulam torseris, temporis notio bis enuntiatur. Nil cunctatus igitur reposui *providerit*, ut sententia sit: unumquemque, antequam aliquid adgrediatur, prospicere et consultare, quomodo fructus inde percipiat. Quam sententiam, si in praecepti formam verteris, enuntiabis: Si quid expetis, providendum (non praevidendum) est, ut fructus inde percipias. Consentientem habeo Kiesslingium. Ceterum cf. not. ad 2, 14.

Messallam. Ed. Spir. *Messalā.*

stum bellorum praemiis refertos aut ditium familiarum heredes Aeserninos et Arruntios magnum animum induisse: prompta sibi exempla, quantis mercedibus P. Clodius aut C. Curio concionari soliti sint. se modicos senatores, qui et a re publica nulla nisi pacis emolumenta peterent. Cogitaret plebem, qua toga enitesceret. sublatis studiorum pretiis etiam studia peritura. Ut minus decora haec, ita haud frustra dicta princeps ratus

praemiis. Ed. Spir. *premiis.* MS. Bud. pro *refertos* dat *refectos*, quod ab hoc loco alienum est. Nam reficiuntur, qui ante sunt exhausti.

Aeserninos. Sic edd. Bernegg. sqq. Edd. vett. *Eserninos* hic et paulo ante *Esernini* c. MS. Guelf. Mox ed. Spir. *Arūcios*, supra *Aruntii.* Ante *Eserninos* edd. Put. M. et V. plenius interpungunt: ed. Spir. recte coniungit *heredes Eserninos.*

soliti sint. Ed. Spir. *soliti sunt.* Edd. Put. M. et V. c. MS. Guelf. *contionari.*

qui et a re publica ... peterent. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. MSS. Broterii. Sed edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. omittunt *et.* Quae hodie vulgantur: *quieta re publica ... petere*, Pichena confinxit ediditque. Sed nil scriptura MS. Flor. sanius est. Nam duo hic sunt momenta, quibus illi nituntur: primum se *modicos* esse *senatores*, non ditium familiarum heredes instar Aesernini et Arruntii; alterum *se a re p. nulla nisi pacis emolumenta petere*, non bellorum praemia ut Asinius et Messalla. Haec erant coniungenda per *et* h. e. *auch.* Consentit Kiesslingius.

cogitaret plebem, qua toga enitesceret. Sic MSS. Flor. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. De MSS. Vaticanis et Oxonienss. Broterius tacet. Rhenanus edidit e sua coniectura: *cogitare plebem qua t. e.* Paruere Ald. Lips. sqq. Auctore I. Fr. Gronovio hodie vulgatur: *cogitaret plebem, quae toga enitesceret.* Sed nullam video necessitatem a vett. libris recedendi. Dicuntur haec ad Caesarem. *Cogitaret, qua* (h. e. qua via, quomodo) *togâ* (pacis artibus et eloquentia forensi) *enitesceret* h. e. cogitaret, quomodo fieri posset, ut plebeii homines eloquentiae studiis ad maiorem dignitatem pervenirent, si studiorum pretia tollerentur. Lipsius et Heinsius locum constitui volunt sic: *cogitare et plebem, qua toga enitesceret.* Kiesslingius suspicatur Tacitum scripsisse *quam* pro *qua* vel *quae.* Sed ne minima quidem veterum librorum mutatione opus est, ut egregia sententia prodeat. Ceterum edd. vett. male interpungunt: *studia peritura ut minus decora. Haec* etc. Meliorem distinctionem, qua hodie utimur, instituit Freinshemius.

frustra. H. e. temere, sine idonea causa aut ratione. Haeret in hoc vocabulo Ernestius, quod censet ab hoc loco alienum esse. Hinc emendat: *ut minus decora haec, ita haud frustra dicta. Princeps c. p. p. m.* etc. deleto *ratus* aut substituto *motus.* Ne audias. Bene se habet vulgata scriptura et lepide depingit stolidum Claudium, cui non ipsi iudicium, sed satis erat audivisse quaedam pro illa re dicta, ut secundum ea decerneret. Commendavit tamen Ernestii coniecturam vir doctus in ephemeridibus nuper scholasticis. (*Allgem. Schulz.* 1830. nr. 16, p. 128.)

capiendis pecuniis posuit modum usque ad dena sestertia, quem egressi repetundarum tenerentur.

VIII. Sub idem tempus Mithridates, quem imperitasse Armeniis ...... Caesaris vinctum memoravi, monente Claudio in regnum remeavit fisus Pharasmanis opibus. Is rex Iberis idemque Mithridatis frater nuntiabat discordare Parthos summaque imperii ambigua, minora sine cura haberi. Nam inter Gotarzis pleraque saeva, qui necem fratri Artabano coniugique ac filio eius prae-

quem egressi. Sic Pichena dedit, ut ipse adfirmat, e MS. Flor. Sed Victorius scripturam: *quae egressi*, quam habent MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq., in suo exemplari Beroald. intactam reliquit. Quare satis dubia evadit Pichenae emendatio.

CAP. 8. *Mithridates.* Sic edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Bernegg. sqq. — MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. *Mitridates.* — Edd. Lips. Grut. Pich. et nuper Kiesslingius *Mithradates.* MS. Guelf. *sub id tempus.*

Armeniis ...... Caesaris vinctum. Sic MS. Flor. eademque lacuna, testante Victorio. Ed. Spir. *armeniis caesaris vinctum*, sine lacuna. *Vinctum* habent et Lipsii MSS. idque vocabulum satis certum est ob Dionis ἐδεδέκει. Vid. infr. Contra *victum* MS. Bud. et in marg. *al. vectum.* Et *vectum* habent MSS. Bodl. Harl. Ies. Guelf. Verba *ad praesentiam* in hisce libris omitti nemo prodidit. Adsunt in codice Guelf. Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. *Armeniis et ad praesentiam Caesaris vectum.* Satis apparet lacunam, quae est in MS. Flor., a manu emendatoris sic esse expletam, nec satis feliciter. Nihili enim est formula: *ad praesentiam alicuius vehi.* Quare ex emendatione Bipont. hodie plerique edunt: *et ad pr. C. vocatum.* Sunt etiam, qui coniiciant, *ad praescriptum Caesaris*, quae expressit Ricklefs. Kiesslingius scripturam Puteol. revocavit. Malui dare lacunam MS. Flor., quam edere spuria. De eadem re Dio 60, 8. habet haec: τὸν Μιθριδάτην τὸν Ἴβηρα, ὃν ὁ Γάϊος μεταπεμψάμενος ἐδεδέκει, οἴκαδε πρὸς ἀνάληψιν τῆς ἀρχῆς ἀπέπεμψεν. In Caii tamen rebus Dio nusquam huius rei mentionem fecit. Senec. de Tranq. c. 11. *Ptolemaeum Africae regem, Armeniae Mithridatem inter Caianas custodias vidimus.*

fisus Pharasmanis opibus. Ed. Spir. monstrose: *remeavit. Fisus faras magnis opibus.*

Iberis. Ed. Spir. *hiberis.* Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. cum MS. Guelf. *Hyberis.*

minora. Ed. Spir. *minore.* Ceteri libri vulgatum tuentur.

nam inter Gotarzis pleraque saeva etc. MS. Flor. (test. Vict.) *Gotharzes;* sic et ed. Spir. Ceterum nota usum praepositionis *inter*, quae significat, quum Gotarzis pleraque saeva essent. cf. c. 10. *inter ambiguos* h. e. quum ambigui essent. Hist. 4, 59. *oratio varie excepta inter spem metumque ac pudorem.* Agr. c. 32. *inter male parentes et iniuste imperantes.*

qui necem .... praeparaverat. Bekkerus sustulit parenthesis signa, quis inde a Rhenano includebantur verba: *qui ... ceteros.* Recte. Nam nulla hic parenthesis ratio est. Hinc etiam inutilis evadit Ernestii coniectura mutantis *qui* in *quippe.* Deinde Muretus, I. Fr. Gronovius

paraverat, unde metus eius in ceteros, accivere Bardanem. Ille, ut erat magnis ausis promptus, biduo tria millia stadiorum invadit ignarumque et exterritum Gotarzem proturbat: neque cunctatur, quin proximas praefecturas corripiat, solis Seleucensibus dominationem eius abnuentibus. in quos ut patris sui quoque defectores ira magis quam ex usu praesenti accensus implicatur obsidione urbis validae et munimentis obiecti amnis muroque et commeatibus firmatae. Interim Gotarzes Daharum Hyrcanorumque opibus auctus bellum renovat, coactusque Bardanes omittere Seleuciam Bactrianos apud campos castra contulit.

et cum iis alii pro *praeparaverat* volunt *properaverat.* Sed nil obstat, quo minus dicamus *praeparare necem alicui*, ut sit parare ea, quae sunt necessaria ad necem futuram patrandam. Sic Sueton. Cal. c. 24. *tres gladios in necem suam praeparatos ... consecravit.* Etenim Gotarzes arguitur clandestinus illius necis auctor, quam ipse praeparavit aut veneno adhibito aut subditis percussoribus. *Properare necem alicui* h. e. necem destinatam ante tempus destinatum patrare (*beschleunigen*, cf. 2, 31. 13, 17.) ab hoc loco alienum est. Dissensum illum, quem Ryckius vidit inter Ioseph. Ant. 20, 2. et hunc Nostrum, ego non video. Nam Tacitus non refert Gotarzem Artabano successisse, sed succedere voluisse. Artabano mortuo accivere Bardanem; Bardane interfecto successit Gotarzes. Mox Guelf. *in certos* pro *in ceteros.*

accivere. MS. Flor. (t. V.) ed. Spir. *et accivere.* Nimirum ed. Spir. post *praeparaverat* plene interpungit et novam sententiam incipit a voce *Unde.* Edd. Puteol. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. tuentur vulgatam scripturam.

biduo. Deest in MS. Bud. Nuper vir doctus (*Allgem. Schulz.* 1830. nr. 17 sqq.) legendum cenuit: *triduo duo millia stadiorum.* Nam incredibilem esse cursum per tria millia stadiorum biduo factum.

invadit. Absolute dicitur, ut sit *impetum facere.* cf. 1, 36 et 67. Accusativus *tria millia stadiorum* describit dimensionem invasionis. Sic Herodot. 1, 31. σταδίους δὲ πέντε καὶ τεσσαράκοντα διακομίσαντες (sc. matrem) ἀπίκοντο ἐς τὸ ἱρόν. Hinc non erat, quod Heinsius hoc loco haereret malletque *evadit.*

proturbat. Sic MS. Flor. (t. Vict.) edd. Spir. Rhenan. sqq. — *perturbat* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. et MSS. Bud. Guelf. Compendia ꝓ et ꝑ sexcenties permutantur in vett. libris. cf. not. ad 15, 45. Hist. 1, 30. 2, 4. 4, 9. 41. 61. Germ. c. 45. Agr. c. 32. *Perturbat* non est huius loci; nam ea notio iam inest verbo *exterritum.* Iustin. 3, 4. *Phalantus per seditionem in exsilium proturbatus.*

cunctatur. Ed. Spir. *cuntatur.*

solis. MS. Guelf. *soli.*

ut patris s. q. defectores. Victorius haec parenthesi circumdedit, ut e cod. Flor.

commeatibus. Ed. Spir. *comeatibus*, uti solet.

Daharum Hyrcanorumque. Ed. Spir. monstrose *duarum hircanorumque.*

Seleuciam. Ed. Spir. *seluciam.*

IX. Tunc distractis Orientis viribus et quonam inclinarent incertis casus Mithridati datus est occupandi Armeniam vi militis Romani ad excidenda castellorum ardua, simul Ibero exercitu campos persultante. nec enim resistere Armenii, fuso qui proelium ausus erat Demonacte praefecto. Paululum cunctationis attulit rex minoris Armeniae Cotys, versis illuc quibusdam procerum: dein litteris Caesaris coercitus, et cuncta in Mithridatem fluxere, atrociorem quam novo regno duceret. At Parthi imperatores, cum pugnam pararent, foedus repente iaciunt, cognitis popularium insidiis,

Cap. 9. *viribus.* MS. Bud. *copiis*, ex emendatione eius, qui putaret verbis: *quonam inclinarent incertis*, non satis convenire vocabulum *viribus*. Sed *incertis* hic non intelligendum est de iis, qui nescirent; sed potius de iis, quae nescirentur.

vi militis R. Ernestius et Kiesslingius admittunt σύλληψιν intellecto *conversa*, quod dicunt latere in *persultante*. Nemini tamen persuadebunt tam vaga Nostrum in hoc genere usum esse licentia. Ablativus *vi* simpliciter indicat rationem, qua Mithridates occupavit Armeniam, ut intelligas illum in ea occupatione usum esse vi militis R. ad exc. c. ardua, simul etc. Diversa igitur est utriusque membri ratio.

excidenda. MS. Guelf. *excitanda.* Sic Curtius 7, 6, 26. *excitata munimenta*; id. 8, 2, 24. *excitata moles.* Sed *vis* militis R. *excidendis* potius quam *excitandis* castellis convenit.

castellorum. Ed. Spir. *castrorum.* Mox MS. Guelf. *presultante*, vocabulo *campos* omisso.

resistere. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Rhen. sqq. — *restitere* edd. Beroald. Alc. MS. Guelf. Infinitivus melius Nostro convenit.

paululum. Ed. Spir. *paulum.*

cunctationis. Sic ed. Spir. — *contationis* edd. Put. M. et V. — *conctationis* edd. Alc. Rhen. Sed libri sibi non constant in hac scriptura. Flor. plerumque praefert *cunctatio.* Lipsius constanter *contatio.*

attulit. Sic libri vett. mei omnes, non *adtulit.*

Cotys. Ed. Spir. *Chotis.* MS. Guelf. *Cotis.* De hoc rege cf. Dio 59, 12. Ioseph. 19, 8.

dein. Sic MSS. Flor. (test. Vict. et Pich.) Bud. edd. Spir. Pich. sqq. — *deinde* edd. Puteol. M. et V. Ber. Alc. Rhenan. sqq. cum MS. Guelf.

atrociorem. Ed. Spir. *q̃ atrociorem.*

iaciunt. Sic MSS. Flor. (t. V.) Bud. Reg. aliique, edd. Spir. et ceterae omnes. — *iciunt* MS. Agr., quod receptum a Bipont. et Oberlin. hodie editur. Aurelius volebat *sanciunt*, alii *faciunt.* Nam *iacere foedus* pro *icere f.* inusitatum videbatur viris doctis. Concedo. At iam *foedus repente iaciunt* aliud significat quam *iciunt.* Est, verba repente iniiciunt de foedere sanciendo, sermones spargunt de foedere h. e. non alter imperatorum alteri vocem de foedere mittit, sed, ut fit, ab una alteraque parte verba audiuntur de foedere. cf. 15, 50. *scelera principis iaciunt.* Similia sunt 4, 7. 68. 3, 66. 1, 10. 6, 4. 31. 46., ut plane non intelligam, quomodo in hoc loco viri docti potuerint haerere. *Iciunt*, quod nunc edunt, contortam narrandi rationem Tacito obtrudit. Scilicet primum *foedus repente iciunt*, tum congressi cunctantur, deinde complexi sunt dextras, denique apud altaria pepigerunt, ut ita, quod ultimum erat, primo loco ponatur.

quas Gotarzes fratri patefecit. congressique primo cunctantur, dein complexi dextras apud altaria deum pepigere fraudem inimicorum ulcisci atque ipsi inter se concedere. potiorque Bardanes visus retinendo regno: at Gotarzes, ne quid aemulationis exsisteret, penitus in Hyrcaniam abiit. regressoque Bardane deditur Seleucia septimo post defectionem anno non sine dedecore Parthorum, quos una civitas tamdiu eluserat.

X. Exin validissimas praefecturas invisit. et reci-

fratri. Ioseph. Ant. 20, 3. Bardanem non fratrem, sed fratris filium Gotarzi facit. Quare Broterius edidit *fratris f.* pro *fratri.* Sed vid. not. ad 2, 38.

patefecit. Sic MSS. Flor. (t. V. c. Iac. Gron.) Guelf. et MSS. Broterii, edd. Spir. Puteol. M. et V. Beroald. Alc. et nuper Bekkeri et Kiessl. — Rhenanus e MS. Bud. dedit *patefecerat*, unde venit in sqq. edd. Perperam. Aoristus hic melius se habet, quam plusquamperfectum. Nam verba: *quas . . . patefecit*, per se constant et simpliciter indicant rem factam. *Patefecerat* si scribis, tum haec adponuntur, ut accuratius describantur *insidiae popularium*, atque distinguantur ab aliis insidiis, quas Gotarzes fratri non patefecisset. Ceterum vid. not. ad 1, 53.

cunctantur. Sic edd. Ernest. sqq. ex ed. Spir. et MS. Reg. Prius vulgabatur *cunctanter*, quod est in MSS. Bodl. Guelf. et les. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil Vict.) Rhenan. sqq. et nuper Kiessl. Quam scripturam non damno. Neque tamen coniungo *cunctanter congressi*; sed intelligo: postquam congressi erant, primo cunctanter sc. agunt vel simile quid. Sic eadem sententia prodit, quae est in *cunctantur.*

dein complexi. Sic MSS. Flor. (t. V.) Bud. ed. Spir. Contra MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. *deinde.*

concedere. Ed. Spir. et MS. Reg. *concesserunt;* MS. Harl. *concessere.*

potiorque. MS. Bud. et inde edd. Rhen. Ald. sqq. *potior* sine *que*, quod tamen melius additur habeturque in MSS. Flor. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Al . et recentt. inde a Pichena.

Bardanes. Ed. Spir. *Vardanes.*

aemulationis. Edd. Spir. Put. M. et V. cum MS. Guelf. *emulationis.*

Hyrcaniam. Edd. Spir. Put. M. et V. c. MS. Guelf. *hircaniam.*

regressoque Bardane. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron. ad Hist. 1, 7.) Guelf. edd. Spir. (haec *Vardane*) Put. M. et V. Ber. (c. sil Vict.) Alc. Rhenan. Ald. sqq. Deinde Lipsius sqq. dedere *Bardani*, sine necessitate. Nam tempus hic agitur, quo, neque is, cui Seleucia se dedidit.

deditur Seleucia. Ed. Spir. et MS. Vatic. test. Lips. *dedit se urbs Seleucia.*

Cap. 10. *exin.* MS. Bud. *exinde.*

invisit. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) et a sec. m. Bud. ed. Spir. — *invasit* MS. Bud. pr. m. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Sed hoc innuit validissimas praefecturas tum adhuc hostiliter egisse contra Bardanem, quod non est verisimile. Nam Parthi illum in regnum acciverant. At suspecti erant praefecti quidam et cognoverat B. per fratrem insidias popularium. Hinc *invisit* validissimas praefecturas h. e. percucurrit, ut cognosceret et ordinaret res, quae sine cura ha-

perare Armeniam avebat, ni a Vibio Marso Syriae legato bellum minitante cohibitus foret. Atque interim Gotarzes poenitentia concessi regni et vocante nobilitate, cui in pace durius servitium est, contrahit copias. et huic contra itum ad amnem Erindem, in cuius transgressu multum certato pervicit Bardanes prosperisque proeliis medias nationes subegit ad flumen Sindem, quod Dahas Ariosque disterminat. ibi modus rebus secundis positus. nam Parthi quanquam victores longinquam mi-

beri viderentur, coerceret praefectos, quorum dubia fides innotuisset. Graece ἐπισκοπεῖν. Curt. 4, 8, 2. *Cupido . . incesserat . . . Aethiopiam . . . invisere.*

avebat. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. et MS. Bud. in marg. *parabat.* Recepit nuper Kiesslingius. De MS. Flor. Victorius tacet intactumque relinquit *parabat* in ex. s. Beroald. Pichena testatur ibi esse *habeat.* Idem a Lipsio refertur e MS. Vat. optimo, littera alia superne adiecta. MS. Reg. *hēbat* (t. Ryck.). MS. Agr. *in animo habebat.* Ed. Spir. *habebat.* Facile discernas in corrupto illo *habeat*, *hēbat* vel *habebat* verum verbum latere, *parabat* esse ex emendatione. Quare haud inepte praeeunte Lipsio Heinsius dedit *avebat*, quod recepere Oberlin. sqq. Non intelligo, quo iure id verbum Kiesslingio languidum potuerit videri. cf. An. 12, 36. *avebant visere;* 4, 71. *avet animus.* MS. Bud. et inde Rhenan. sqq. *et rec. Armeniam, ni* etc. omisso verbo definito. Ed. Bip. *habebat*, ut sit *poterat*, quod satis dubium esse videtur, an recte dici possit. Alii volunt *reciperabat*, *reciperaret*, *reciperasset;* alii *reciperare* accipiunt pro *reciperabat*, quod in tali contextu non usitatum est.

ni a Vibio. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron., Vict. tacet de praepositione *a*) Guelf. Agr. edd. Iac. Gronov. sqq. — MSS. Reg. Bud. *nisi a V.* — Ed. Spir. *nisi a Iubeo.* — Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *ni Vibio.* Mox MS. Bud. *esset* pro *foret.*

poenitentia. Edd. Spir. Put. M. *penitentia.*

et vocante. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gron.) Bud. ed. Spir. At MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. *revocante*, inutili auctu. De ceteris MSS. tacent. Ed. Spir. *cui et vocante nobilitate in pace: durius servitium est.* Victorius verba: *cui . . . est*, parenthesi inclusit, ut e MS. Flor.

huic. Ed. Spir. *hīc* h. e. hinc. Male.

contrahit. MS. Guelf. *contra hic.*

Erindem, MS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gron.) *Erinden.* Vulgata forma est in MS. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *Eridem* ed. Spir. Ryckius volebat *Charindam.* cf. Ptolem. 6, 2. Ammian. 23, 6.

Bardanes. Ed. Spir. *vardanes.*

Sindem. *Sinden* MSS. Flor. (test. Victor. et Iac. Gron.) Bud. Agr. Guelf. et MSS. Broterii, (nonnulli libri *Synden*) ed. Spir. *Sindem* cod. Covarr. — *Gynden* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. — *Ginden* edd. Rhen. Ald. sqq. Sed id flumen ab hoc loco alienum est.

Dahas. Ed. Spir. *dachas.*

ibi. Ed. Spir. *ubi.*

longinquam militiam. Sic MS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. Duobus hisce vocabulis interponitur *quamque* in edd. Put. M., et Ven. Beroald. Alc. In MS. Guelf. est *longinquam amicitiam.*

litiam aspernabantur. Igitur exstructis monimentis, quibus opes suas testabatur nec cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parta, regreditur ingens gloria atque eo ferocior et subiectis intolerantior, qui dolo ante composito incautum venationique intentum interfecere primam intra iuventam, sed claritudine paucos inter senum regum, si perinde amorem inter populares quam metum apud hostes quaesivisset. Nece Bardanis turbatae Parthorum res inter ambiguos, quis in regnum acciperetur. multi ad Gotarzem inclinabant, quidam ad Meherdatem, prolem Phraatis, obsidio nobis datum.

exstructis. Ed. Spir. *extinctis*.

monimentis. Sic edd. Lips. sqq. Edd. Put. M. et V. Beroald. cum MS. Guelf. *monumentis*. In edd. Spir. Alc. Rhen. Ald. est *munimentis*, vulgari confusione.

testabatur. MS. Guelf. *testabantur*.

nec cuiquam. Sic MSS. Flor. (t. V.) Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. *nec enim cuiquam* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. c. MS. Guelf. — Kiessl. verba: *nec cuiquam* — *parta* parenthesi circumdedit. Verum haec etiam Bardanes monimentis illis testabatur.

parta. Sic MS. Bud. a sec. m. edd. Ald. Pich. sqq. — *parata* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et Ven. Ber. Alc. Rhen. Lips. Gruter. Rhen. *parta* legendum esse in castigatt. adnotavit, neque tamen eam vocem (an. 1533.) edidit. Victorius *parata* in ex. suo Beroald. intactum reliquit. Eadem confusio in vett. libris saepius redit. Hic loci haud dubie melius dicitur *parta* quam *parata* ob constructionem *de gentibus*.

intolerantior. Sic libri vett. quantum constat omnes praeter MS. Agr. in quo est *intolerabilior* ex interpretamento. Oberlinus suadente Grotio ediderat *intoleratior*. Veterem scripturam restituere Bekker. et Lünemannus. cf. not. ad 3, 45.

qui . . . venationique . . interfecere. MS. Guelf. *interficere*. Ed. Spir. *quem . . . nationique . . . interfecerunt*.

senum. Ed. Spir. *se uni*. MS. Agr. *claritate paucos pares fuisse uni regum*.

apud hostes. Ed. Spir. *inter hostes*.

nece. Ed. Beroald. *nec* vitio operarum. Correxit Victorius e MS. Flor. *nece*.

Bardanis. Ed. Spir. hic *bardanis*, quum supra scriberet *vardanes*.

turbatae P. res. Ed. Spir. *turbatus p. rex*. Mox Muretus volebat distinguere: *res. Inter ... acciperetur, multi* etc. Kiesslingius Mureto paruit. Vulgatam distinctionem tuentur vett. edd. De praepos. *inter* vid. not. ad c. 8.

in regnum. Sic edd. recentt. Lipsio auctore. Vett. libri mei omnes *in regno*, et sic Lipsii prima.

prolem Phraatis. cf. 12, 10.

obsidio. Noviter dictum et Hillo vituperatum. Buhle aut vitium esse in textu, aut *obsidium* esse dictum pro *obside*, ut *praesidium* pro *praeside*. Sed *obsidio datum* eodem iure dicitur ac *coniugio accepit* 6, 20. et *praesidio Africae ducebatur* 3, 9; *eunt subsidio* Liv. 2, 53; *praesidio relinquit*. Caes. B. G. 7, 60; *habere quaestui rem publicam* Cic. Off. 2, 22.

dein praevaluit Gotarzes. potitusque regiam per saevitiam ac luxum adegit Parthos mittere ad principem Romanum occultas preces, quis permitti Meherdatem patrium ad fastigium orabant.

XI. Iisdem consulibus ludi saeculares octingentesimo post Romam conditam, quarto et sexagesimo quam Augustus ediderat, spectati sunt. utriusque principis rationes praetermitto satis narratas libris, quibus res imperatoris Domitiani composui. nam is quoque edidit ludos saeculares, iisque intentius adfui sacerdotio quindecimvirali praeditus ac tum praetor. quod non iactantia refero, sed quia collegio quindecimvirum antiquitus ea cura et magistratus potissimum exsequebantur officia caerimoniarum. Sedente Claudio circensibus ludis, cum pueri nobiles equis ludicrum Troiae inirent interque eos Britannicus imperatore genitus et L. Domitius adoptione

dein. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) ed. Spir. et recentt. inde a Pich. *deinde* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq.
potitusque. MS. Flor. (t. V.) vitiose *positusque.*
regiam. Sic MSS. Flor. (t. V. c. Pich.) Vatic. optimus Lipsii, edd. Spir. Pich. sqq. — *regia* MS. Guelf. edd. Put. M. et V.. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — *rerum* MS. Agr. Cf. not. ad 1, 33.
saevitiam. Sic edd. Spir. Alc. Rhen. sqq. — *sceuitiam* MS. Guelf. more suo. — *saeviciam* edd. Put. M. et Ven. — *saevitiem* edd. recentt. inde a Lips. prima. Sed cf. 1, 4. 10. 17. 31. 44. 53. 67 sqq.
Cap. 11. *Iisdem.* Ed. Spir. *Hisdem.*
saeculares. Sic edd. Lips. prima sqq. Vett. libri mei omnes *seculares.* De re cf. Mitscherlich. in argumento ad Horat. carmen saeculare et quos ille laudat de hac re scriptores.
spectati sunt. Ed. Spir. *exspectati sunt.*
satis narratas. Hodie tamen satis dubias; nam vel sine ratione et pro sua talia celebrandi cupiditate principes ludos saeculares interdum indixisse docent, quae Sueton. tradit in Claud. c. 21. et in Domit. c. 4.
Domitiani. Edd. Spir. Put. M. et V. *Domiciani.*
iisque. Ed. Spir. c. MS. Guelf. *hisque.*
intentius. Sic edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. ut videtur, e cod. MS. Flor. Nam Victorius hanc scripturam intactam reliquit. Sic et MS. Guelf. — Edd. Spir. Put. M. et V. *intentus.*
adfui. Sic MS. Guelf. et vett. edd. omnes *affui*, non *adfui;* ed. Spir. *affuit.* Mox ed. Spir. *adfuisse;* ceterae *affuisse.*
tum praetor. Ed. Spir. *tunc praetor.* Is liber saepius pro vulgato *tum* habet *tunc*, ut porro docebimus.
collegio. Sic vett. libri mei omnes, non *conlegio.*
antiquitus. Ed. Spir. *antiqui.*
exsequebantur. Vett. libri mei omnes *excequebantur*, ut semper.
caerimoniarum. Sic edd. Rhenan. sqq., *cerimoniarum* priores c. MS. Guelf.
interque eos. MS. Guelf. *interque hos.*
L. Domitius. Ed. Spir. *L. nero Domitius* ex interpretamento.

mox in imperium et cognomentum Neronis adscitus, favor plebis acrior in Domitium loco praesagii acceptus est. vulgabaturque adfuisse infantiae eius dracones in modum custodum, fabulosa et externis miraculis adsimilata. nam ipse haudquaquam sui detractor unam omnino anguem in cubiculo visam narrare solitus est.

XII. Verum inclinatio populi supererat ex memoria Germanici, cuius illa reliqua suboles virilis, et matri Agrippinae miseratio augebatur ob saevitiam Messallinae: quae semper infesta et tunc commotior, quo minus strueret crimina et accusatores, novo et furori proximo amore detinebatur. nam in C. Silium iuventutis Romanae pulcherrimum ita exarserat, ut Iuniam Silanam nobilem feminam matrimonio eius exturbaret vacuoque adultero potiretur. Neque Silius flagitii aut periculi nescius erat: sed certo si abnueret exitio et nonnulla fal-

favor. Ed. Spir. *favore.*

infantiae eius. Sic vett. edd. omnes. Victorius eandem scripturam intactam reliquit. MSS. Guelf. Bud. edd. Ernest. Oberl. sqq. omittunt *eius*, quod tamen haud inepte adest. Quare recentissimi editores restituerunt. Coniectura Bip. *duos dracones* minime firmatur per sequens *unam*, uti videbatur Oberlino.

fabulosa. Ed. Spir. addit *res.*

adsimilata. Sic MSS. Flor. (test. Victorio et Pichena) Bud. Guelf. ed. Spir. — *assimulata* MSS. Reg. Agr. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. cf. not. ad 1, 28. Inter *adsim.* et *assim.* libri variant. Victorius in ex. s. Beroald. intactum reliquit *assim.*

detractor. Burmann. ad Ovid. Met. 5, 246. vult *detractator.* Sed cur non *detractor?*

anguem in cubiculo visam. cf. Sueton. Ner. c. 6. Xiphilin. 61, 2.

Cap. 12. *cuius illa reliqua suboles.* Int. ex Agrippina Germanico genita, cf. 4, 75. Sueton. Ner. c. 5. — *suboles* MS. Flor. (t. Vict.) edd. Lips. Pichen. sqq. — *soboles* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald.

detinebatur. Sic MS. Bud. edd. Spir. Ernest. sqq. — *distinebatur* MSS. apud Broterium et Guelf., edd. Put. M. et V. Ber. (Vict. nil mutat) Alc. Rhen. sqq. Utrum sit a Tacito, ego non ausim adfirmare. *Detinebatur* tamen huic loco aptius. cf. not. ad 14, 25.

Iuniam. Sic MS. Flor. (t. Vict.) edd. Spir. et recentt. inde a Lips. prima. — *Iuliam* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Cf. 13, 19.

Silanam. Sic recentt. edd. inde a Gronoviana 1672. auctore Mureto. *Syllanam* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhenan. sqq., quod Victorius intactum reliquit. *Sillanam* ed. Spir. *Sylanam* edd. Pich. Bernegg.

feminam. Sic MS. Guelf. edd. Lips. sqq. Vett. edd. omnes *foeminam.*

vacuoque adultero potiretur. MSS. Guelf. Oxon. (lac. Gronovii) ed. Spir. *adulterio.* Ceteri libri vulgatum tuentur. Ryckius et Ernestius corrigi iubent: *quo vacuo ad. p.*, quia haec sententia nequeat

lendi spe, simul magnis praemiis, opperiri futura et praesentibus frui pro solatio habebat. illa non furtim, sed multo comitatu ventitare domum, egressibus adhaerescere, largiri opes, honores: postremo velut translata iam fortuna servi, liberti, paratus principis apud adulterum visebantur.

XIII. At Claudius matrimonii sui ignarus et munia censoria usurpans theatralem populi lasciviam severis edictis increpuit, quod in P. Pomponium consularem (is carmina scenae dabat) inque feminas inlustres probra iecerat. et lege lata saevitiam creditorum coercuit, ne in mortem parentum pecunias filiis familiarum fenori darent. fontesque aquarum Simbruinis collibus deductos urbi intulit. ac novas litterarum formas addidit vul-

pendere e superiore *ut.* Sed hic eadem ratio valet, de qua diximus ad c. 2. *atque ille functam fato responderet.*

opperiri. Sic edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *operiri* edd. Spir. Put. M. et V. c. MS. Guelf.

solatio. Edd. Put. M. et V. *solacio.*

egressibus. MS. Bud. *et gressibus.* At non solum asyndeton loco melius convenit, sed etiam *egressus* proprium de ea re est vocabulum. cf. 3, 33.

adhaerescere. Edd. Put. M. et V. Ber. c. MS. Guelf. *adherescere.*

apud adulterum. Sic edd. Put. sqq. c. sil. Victorii. Ed. Spir. *apud alterum*, et Iac. Gronovius testatur idem inesse MS. Flor. unde is suspicatur legendum *ad adulterum.* MS. Guelf. *adulterium.*

Cap. 13. *edictis.* Edd. Lips. 1574 sqq. *dictis.* Eiusdem ed. 1607. vulgatum habet cum ceteris libris omnibus. Kiesslingio placet *dictis.* Verum si Tiberius populum increpuit, per se intelligitur eum dictis increpuisse: sufficiebat dici *severe increpuit*, et odit Noster ambages. *Edicta* hic commode possunt accipi de uno edicto.

quod in . . . dabat. Haec verba desunt in ed. Spir.

inlustres. Sic MS. Flor. (t. Vict.) *illustres* edd. vett.

et lege . . . coercuit. Haec in MS. Guelf. intercidere.

coercuit. Sic ed. Spir. *cohercuit* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen.

in mortem. Sic edd. recentt. inde a Lips. prima. — MSS. Flor. (tacet enim Victorius) Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *in morte.*

filiis familiarum. Ed. Spir. *filiis familias.*

fontesque aquarum. De his Claudii operibus. cf. Frontin. de aquaeduct. 13 sqq.

Simbruinis collibus. MSS. edd. vett. et Pich. Bernegg. Gronov. 1672. *sub imbruinis collibus.* Rhenanus e loco 14, 22. correxit *Simbruinis collibus*, quem secuti sunt Ald. Lips. Grut. Ryck. — Ernestius cum Iac. Gronovio *sub* non frustra adesse ratus edidit *ab Simbruinis collibus.* Kiesslingius praepositionem rursus abiecit. Recte.

gavitque, comperto Graecam quoque litteraturam non simul coeptam absolutamque.

XIV. Primi per figuras animalium Aegyptii sensus mentis effingebant: ea antiquissima monimenta memoriae humanae impressa saxis cernuntur. et litterarum semet inventores perhibent: inde Phoenicas, quia mari praepollebant, intulisse Graeciae gloriamque adeptos, tanquam reppererint, quae acceperant. Quippe fama est Cadmum classe Phoenicum vectum rudibus adhuc Graecorum populis artis eius auctorem fuisse. quidam Cecropem Atheniensem vel Linum Thebanum et temporibus Troianis Palamedem Argivum memorant sedecim litterarum formas, mox alios ac praecipuum Simonidem ceteras repperisse. At in Italia Etrusci ab Corinthio Damarato, Aborigines Arcade ab Evandro didicerunt: et forma litteris Latinis, quae veterrimis Graecorum. sed

comperto Graecam quoque. Ed. Spir. *Comperit quoque Graecam.* Edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Victorii) Alc. Rhen. Ald. MSS. Bud. Guelf. *comperto quoque Graecam.* Edd. recentt. inde a Lips. prima *comperto Graecam quoque.*

CAP. 14. *ea antiquissima m.* Sic edd. Ernest. Oberl. sqq. ex emendatione Lipsii. Edd. priores cum MS. *et antiquissima m.*, quod etiam Victorio intactum mansit in ex. s. Ber. Restituit nuper Kiesslingius non satis recte, ut mihi videtur. Sed parenthesis, quam ex Freinshemii sententia hic ponunt, nihili est. Nam verba: *effingebant ... et litterarum s. i. p.*, non ita arte cohaerent, ut parenthesis sit necessaria. Immo post *cernuntur* plena ponenda erat distinctio. *Et* significat *etiam*. Hieroglyphicae enim notae et litterae tantopere sunt diversae, ut de utrisque seorsim esset dicendum.

quia. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (tacente Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — Sed ed. Spir. *qui.*

Palamedem. Ed. Spir. *Pallamedem.*

sedecim. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Put. V. — *sedicim* ed. Put. M. — *sexdecim* MS. Guelf. edd. Ber. Alc. Rhenan. Ald. cf. not. ad An. 1, 17.

praecipuum. Ed. Spir. *precipuum.*

Etrusci. Sic edd. Spir. Beroald. (t. V.) Alc. Rhen. sqq. — *et Etrusci* edd. Put. M. et V. cum MS. Guelf.

ab Corinthio Damarato. Sic edd. recentt. inde a Lipsii prima. — Edd. Spir. *ab Corintheo Demaratho.* — Edd. Put. M. et V. Beroald. (tac. Vict.) Alc. *ab Corinthio Demaratho.* — Edd. Rhen. Ald. *ab C. Demarato.* Scripturam *Demaratho* veram esse arguit aenea tabula reperta Lugduni an. 1528, apud Grut. p. 502. et apud Broterium in notis ad c. 24.

Aborigines. MS. Flor. test. Vict. *aboriginibs.*

Arcade. Sic edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *Archade* edd. Put. M. et V. — *Archades* ed. Spir. *Arcades* MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf.

et forma. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. — *et formae* edd. Beroald. (tacente Victorio) Alc. Rhenan. Ald. sqq. De MS. Flor. lac. Gronovius refert *formas.* Postea Bernegg. sqq. restituere *et forma.* Rectius fortasse

nobis quoque paucae primum fuere: deinde additae sunt. Quo exemplo Claudius tres litteras adiecit, quae usui imperitante eo, post oblitteratae, aspiciuntur etiam nunc in aere publicandis plebiscitis per fora ac templa fixo.

XV. Rettulit deinde ad senatum super collegio haruspicum, ne vetustissima Italiae disciplina per desidiam exolesceret: saepe adversis rei publicae temporibus accitos, quorum monitu redintegratas caerimonias et in posterum rectius habitas: primoresque Etruriae sponte aut patrum Romanorum impulsu retinuisse scientiam et in familias propagasse, quod nunc segnius fieri publica circa bonas artes socordia et quia externae superstitiones valescant. et laeta quidem in praesens omnia, sed be-

esset *et formae*. Ceterum ad verba *forma l. Latinis* intellige *est* cum Strombeckio, non *erat* cum Ricklefsio. Nam Plinius 2, 58. de eadem re scribit: *Veteres Graecas fuisse easdem plane, quae nunc Latinae, indicio erit Delphica tabula antiqui aeris, quae est hodie in Palatio* etc.

Claudius tres litteras adiecit. cf. Sueton. Claud. c. 41. Fuerunt *aeolicum digamma* Ⅎ cf. Quintil. 1, 7, 27; *antisigma* Ↄ pro *ps*. Priscian. 1, p. 557. De tertia nil constat. Coniiciunt fuisse signum pro Φ vel Θ. Vid. Lips. et Oberl. ad h. l.

plebiscitis. Quum sensu antiquo plebiscita imperatorum temporibus nulla sint, Lipsius vult *publicandis scitis*; Grotius *publicandis plebi SCtis*, quae coniectura praecipuam accipit auctoritatem e loco 12, 53. et ex Plin. epp. 8, 6. ubi refertur senatum censuisse, ut *consulta* (in honorem Pallantis facta) *in aere inciderentur idque aes figeretur ad statuam loricatam divi Iulii* (in foro Iulii positam). Pro *publicandis* MS. Reg. habet *publico*.

Cap. 15. *Rettulit*. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (Victorio non contradicente) Alc. Rhen. sqq. et nuper Bekkeri. *retulit* MS. Guelf. edd. Spir. et recentiorum pleraeque.

haruspicum. Sic edd. recentt. inde a Lipsii prima. *aruspicum* hic et in fine cap. MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Victorii) Alc. Rhen. Ald.

accitos. Sic Ursinus e vet. libro. Accepere Freinshemius sqq. Codd. MSS. et edd. vett. quantum constat omnes *accitis*, quod etiam Victorius intactum reliquit. Nec absurdum est *accitis*. Intell. *haruspicibus*. Enuntiat rationem, cur Claudius ad senatum referat, *ne .... exolescerent*, sc. quum saepe ... acciti sint. *Accitos* simpliciter narrat.

rectius. Ed. Spir. *rectiores*.

Etruriae. Sic edd. Spir. et recentt. inde a Lipsio. — *Ethruriae* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Victorii) Alc. Rhen. Ald. Lips. prima.

publica. Edd. Put. M. et V. *pauca*. Mox iidem libri *externe* pro *externae*, *presens* pro *praesens*.

valescant. Sic MS. Flor. (test. Victorio et Iac. Gron.) edd. Lips. Pichen. sqq. — *valescunt* MS.

nignitati deum gratiam referendam, ne ritus sacrorum inter ambigua culti per prospera oblitterarentur. Factum ex eo senatus consultum: viderent pontifices, quae retinenda firmandaque haruspicum.

XVI. Eodem anno Cheruscorum gens regem Roma petivit, amissis per interna bella nobilibus et uno reliquo stirpis regiae, qui apud urbem habebatur nomine Italicus. Paternum huic genus e Flavio fratre Arminii, mater ex Catumero principe Cattorum erat: ipse forma decorus et armis equisque in patrium nostrumque morem exercitus. Igitur Caesar auctum pecunia, additis stipatoribus, hortatur gentile decus magno animo capessere. illum primum Romae ortum nec obsidem, sed civem ire externum ad imperium. Ac primo laetus Ger-

Bud. ed. Spir. *invalescant* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. Mox ed. Spir. habet *lacta* pro *laeta*, *culta* pro *culti*.

senatus consultum. MS. Flor. test. Vict. *S. C.* hic et alibi.

Cap. 16. *regem Roma*. Codd. MSS. edd. vett. *Romae*. Sed mox e Rhenani coniectura omnes praeeunte Aldo ediderunt *Roma*, ob locum 12, 14. *Roma petere reges*. Posset tamen *Romae* intelligi de gentis legatis, qui Romae praesentes regem petiverunt.

habebatur. Ed. Spir. *habebantur*.

Italicus. MSS. apud Broterium, Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *Italus*. — MS. Bud. *Ytalus*. Sed in sqq. MS. Flor. et ed. Spir. habent *Italicum* et Pich. infra testatur sic ubique legi in MS. Flor. Victorius hic patitur *Italus*; mox corrigit *italico*, *italicum*. Quare et hic Ryckius e MS. Agr. bene reposuit *Italicus*.

Flavio. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. *Flavo* ed. Spir. Sed idem liber mox *Flavii*. cf. not. ad 2, 9.

fratre. Ed. Spir. *facte*.

Arminii. Sic edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *Armenii* MSS. Flor. (t. V.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. (sive in MS. Flor. est *Armanii*, nam Victorii nota vix discerni poterat).

Catumero. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — MSS. Flor. (test. Vict.) Vatic. (Lips.) Bud. Agr. ed. Spir. *Actumero*. MS. Bodl. *Cactumero*. MS. Ies. *Cacumero*. Oberlinus dedit *Cattumero*. Strabo 7, p. 292. Οὐκρόμερος.

Cattorum. cf. not. ad 1, 55. Hic edd. Spir. Ber. (tacente Vict.) Alc. Rhen. *Cattorum*. Edd. Put. M. et V. cum MS. Guelf. *Cactorum*. Scriptura *Chattorum*, quam nonnulli praeferunt, videtur originem traxisse e scriptura Graeca Χάττοι. Sed Graeci saepius scribunt per X, quod Latini per C.

forma decorus. Heinsius more suo vult *formae decorus*; mox *capesseret* pro *capessere*. Utrumque usitatum est Nostro. cf. not. ad c. 1. sub v. *caveri*, et not. ad 5, 11.

auctum. Ed. Spir. *augustus*.

capessere. MS. Guelf. ed. Spir. *capescere*. Ed. Ald., quae in prioribus Annalium libris ubique dat *capescere*, hic habet *capessere*.

manis adventus, atque eo quod nullis discordiis imbutus pari in omnes studio ageret, celebrari, coli, modo comitatem et temperantiam nulli invisam, saepius vinolentiam ac libidines, grata barbaris, usurpans. iamque apud proximos, iam longius clarescere, cum potentiam eius suspectantes, qui factionibus floruerant, discedunt ad conterminos populos ac testificantur adimi veterem Germaniae libertatem et Romanas opes insurgere: adeo neminem iisdem in terris ortum, qui principem locum impleat, nisi exploratoris Flavii progenies supra cunctos attollatur? frustra Arminium praescribi, cuius si filius hostili in solo adultus in regnum venisset, posse

atque eo quod. Sic MSS. Flor. (t. V.) Covarruv. Bud. ed. Spir. — *atque eo magis quod* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Sed *magis* ab hoc loco alienum est, dum interpungas: *atque eo quod .... ageret, celebrari* etc. Vulgo edunt: *ageret: celebrari* etc. cf. Cic. ad Fam. 3, 6. *Eo ad te tardius scripsi quod quotidie te ipsum exspectabam.*

nulli invisam. Quemadmodum apud Persas. cf. 2, 2.

vinolentiam. MS. Guelf. *violentiam*, quod Strombeckius praefert propter oppositam *comitatem.* Commendatur ea scriptura exemplo, quod est 1, 59. *Arminium super insitam violentiam* etc. Accipias non de crudelitate in cives, sed de vehementia adfectuum. Sic et 3, 19. Vulgatum originem videtur traxisse e loco Germ. c. 22. Eadem utriusque vocabuli confusio invenitur 12, 64 et 67. Vocabulum *libidines* hic non ad rem Veneream, sed ad petulantiam, insolentiam, ferociam quamcunque spectat. Uti hic *temperantia* et *libidines* sibi invicem opponuntur, ita *ὕβρις* et *σωφροσύνη* apud Xenoph. Cyr. 8, 4, 14. Ricklefs opinatur nostro loco oppositionem plane nullam quaeri. Immo omnia hic exacte sibi respondent: *modo = saepius; nulli invisam = grata barbaris;* ita et *comitas = violentia; temperantia = libidines.* Satis credibile est in aliis quoque MSStis legi *violentiam*, neque animadvertisse qui inspexerunt. Culpa latet in compendio scripturae.

iamque apud. Sic codd. MSS. vett. edd. et dein Pich. sqq. Ante Pichenam edd. Lips. dederant *ad* pro *apud.* Alterum *iam* deest in MS. Bud., aperto vitio.

principem locum. Sic MS. Flor. (test. Pich. et Vict.) et sic Noster 1, 13. et alibi. Hinc recepere Pichena sqq. — *principis locum* habent MSS. Bud. Guelf. aliique, edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. Lips. Gruter.

supra. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (tacente Vict.) Alc. Rhen. sqq. *super* ed. Spir.

attollatur. Sic MSS. Flor. (t. V.) Bud. Guelf. edd. Rhen. sqq. (non *adtollatur*). Ed. Spir. *attolitur.* Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *extollatur.*

hostili in solo. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. Sed MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. *h. in loco.*

venisset, posse extimesci infectum etc. Sic edd. Ber. (t. Vict.) Rhen. sqq. Recte et ad loci rationem. Edd. Put. M. et V. cum MS. Guelf. *venisse posset extimesci i.* Ed. Spir. *venisse posse. Testimesci*

extimesci infectum alimonio, servitio, cultu, omnibus externis. at si paterna Italico mens esset, non alium infensius arma contra patriam ac deos penates quam parentem eius exercuisse.

XVII. His atque talibus magnas copias coegere: nec pauciores Italicum sequebantur. non enim inrupisse ad invitos, sed accitum memorabant. quando nobilitate ceteros anteiret, virtutem experirentur, an dignum se patruo Arminio, avo Catumero praeberet. nec patrem rubori, quod fidem adversus Romanos volentibus Germanis sumptam nunquam omisisset. falso libertatis vocabulum obtendi ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habeant. Adstrepebat hinc alacre vulgus, et magno inter

i. corrupte. Ed. Alc. *venisset, posset extimesci.* Mox vocabulum *externis* pertinet ad tria priora *alimonio, servitio, cultu.*

alimonio. Sic MSS. Flor. (test. V. et Pich.) Bud. Agr. ed. Spir. *alimonia* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. usque ad Pichenam, qui restituit *alimonio.*

at si. Sic MS. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (nil contra dicente Victorio) Alc. Rhen. sqq. *ac si* MSS. Guelf. Reg. edd. Spir. et Broterii.

Italico. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Ernest. sqq. — *Italo* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *itali* MS. Guelf. Vid. supra not. ad initium cap.

penates. Edd. Puteol. M. et V. *poenates.*

parentem. Sic edd. Spir. et Ernest. Lallemand. Broter. sqq. Sed MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (nil contradicente Victorio) Alc. Rhen. sqq. *parentes.* Falso. Nam intelligitur unus Flavius. De re cf. 2, 10.

Cap. 17. *Italicum.* Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. et Ernest. sqq. *Italum* et hic habent edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. cum MS. Guelf. Hic mox *parvo* pro *patruo.*

Catumero. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Testante Victorio MS. Flor. et hic dat *Actumero.* Sed *Arminio* hic est in edd. Spir. Put. M. Beroald. (tacente Victorio) Alc. Rhen. sqq. *Armenio* ed. Put. V. cum MS. Guelf.

nec patrem rubori. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) Agr. Bud. edd. Spir. et Ernest. sqq. — *nec patrem illi rubori* cod. MS. Covarruv. — *nec patrem illi rubori esse* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhenan. sqq. et MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf.

adversus. MS. Agr. *adversum.*

omisisset. falso etc. Ed. Spir. *omissis: sed falso* etc.

ab iis. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (nil corrigente Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *ab his* MS. Bud. ed. Spir.

adstrepebat hinc. Sic ed. Spir. Rectissime. Nam quod vulgo edunt: *adstrepebat huic*, falsum est, licet sit in MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (absque Vict. correctione) Alc. Rhen. sqq. Nam ad hominem spectare nequit, quia plures haec iaciebant; ut referas ad rem (uti convertunt *dem*, *diesem*, intellecta oratione praecedente) non patitur

barbaros proelio victor rex: dein secunda fortuna ad superbiam prolapsus pulsusque ac rursus Langobardorum opibus refectus per laeta, per adversa res Cheruscas adflictabat.

XVIII. Per idem tempus Chauci nulla dissensione domi et morte Sanquinii alacres, dum Corbulo adventat, inferiorem Germaniam incursavere duce Gannasco, qui natione Canninefas, auxiliaris et diu meritus,

latinitas: tum potius scribendum erat *his*. Sed *hinc* est ab hac parte, innuiturque hisce verbis vulgi studia fuisse penes hos, non penes illos. In vulgato mendum latere iam adnotavi, quum editionem Spir. nondum inspexissem. cf. Observv. in C. Cornelii Taciti opera, specimen alterum p. 17. Infra 13, 32. ed. Spir. iterum habet *hinc* pro vulg. *huic*, sed perperam.

alacre. Ed. Spir. *alacte*.

magno inter barbaros. Scilicet inter Romanos illud proelium non fuisset dignum magnitudinis nomine, *ut inter barbaros* Lipsius in margine posuit.

dein. Sic MS. Flor. test. Iac. Gronov. (Victorius tamen *dehinc* intactum reliquit) Guelf. aliique apud Broterium, edd. Spir. Ernest. sqq. — *deinde* MS. Bud. — *dehinc* MS. Bodlei. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

Langobardorum. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. *longobardorum*. cf. not. ad Germ. c. 40. et An. 2, 45.

Cheruscas. Sic MSS. Flor. (t. V.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Rhenan. sqq. *ethruscas* edd. Beroald. Alc.

Cap. 18. *nulla dissensione*. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhenan. sqq. MS. Flor. (test. Vict.) *milia d.*, quod Victorius correxit *nulla*. Ed. Spir. *militia diss.*

Sanquinii. cf. 6, 4. Ed. Spir. *Antiquinii*.

alacres. Ed. Spir. *Alac rex*.

auxiliaris et diu meritus. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. quae tamen scriptura satis dubia esse videtur ob dissensum codicum MSS. E MS. Flor. Iac. Gronovius prodidit: *auxiliare ex diu meritis*. Victorius tamen vulgata intacta reliquit. Lipsius e MS. Vat. adfert: *auxiliare esd in meritis*. MS. Farnes. *auxiliare ex drumentis*. — MSS. Bodl. Agr. *auxiliaris ex diu meritis*. Heinsius contra Ryckium testatur in MS. Agr. esse: *nationis Caninefatis, auxiliaris et diu meritis*. — MSS. Harl. Ies. Guelf. *auxiliaris et ex diu meritus*. — MS. Reg. *auxiliares diu meritis*. — MS. Bud. cum Flor. consentit; a pr. m. tamen habet *auxiliaris*. Ed. Spir. *auxiliare esdui meritis*, non uti refert Ernestius: *esd in*. Vides optimos libros consentire in *meritis*, et in *auxiliare*, quod bene considerandum est. Vacillant omnes in eo, quod est inter *auxiliare* et *meritis*. *Ex* nihil auctoritatis habet, quia est a recentiore manu in Flor., abest a Vatic. et Reg. Litterae *s d iu* in Vat. et Reg. et ed. Spir. eo magis genuinae esse videntur, quod emendationis studio intacta manserunt. Promptum igitur est corrigere: *auxiliare stipendium meritis*. Ablativus *meritis* respicit ad vocabulum *natione* (quod est collectivum), ut ita Gannascus dicatur *natione C.*, *qui auxiliare stipendium meruerunt* h. e. natione C. et ex iis nationis Canninefatis, qui a. st. meruerunt. Non video, cur haec structura apud Tacitum displicere possit. Aliorum emendationes aut nimis a vett. libris recedunt aut idoneo sensu destituun-

post transfuga, levibus navigiis praedabundus Gallorum maxime oram vastabat, non ignarus dites et imbelles esse. At Corbulo provinciam ingressus magna cum cura et mox gloria, cui principium illa militia fuit, triremes alveo Rheni, ceteras navium ut quaeque habiles per aestuaria et fossas adegit: lintribusque hostium depressis et exturbato Gannasco, ubi praesentia satis composita sunt, legiones operum et laboris ignaras, populationibus laetantes veterem ad morem reduxit, ne quis agmine decederet nec pugnam nisi iussus iniret. stationes, vigiliae, diurna nocturnaque munia in armis agitabantur. feruntque militem, quia vallum non accinctus, atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet, morte punitos. quae nimia et incertum an falso iacta originem tamen e severitate ducis traxere, inten-

tur. Lipsius: *auxiliaris*, *dein emeritus*; Mercerus: *auxiliare aes diu meritus*; Acidalius: *auxiliaris inter diu meritus*; I. Fr. Gronovius: *auxiliaris et dux gentis*; Heinsius: *Gannasco nationis Caninefatis. Auxiliaris is ex diu meritis*; Iac. Gronovius facit cum Mercero. Bip. *auxiliare stipendium meritus.* cf. An. 2, 52.

vastabat. MS. Agr. *infestabat.* Mox MS. Bud. *cum gloria.*

at Corbulo. Cf. Dio 60, 30.

ceteras navium. Sic MSS. Flor. (t. V.) Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Rhen. sqq. *c. naves* edd. Beroald. Alc.

quaeque. Ed. Spir. q̃ (h. e. *quam*).

aestuaria. Ed. Spir. *aestuarias.*

lintribusque. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — MS. Flor. (t. V.) *luntribusque.*

depressis. MS. Guelf. *deprehensis*; edd. Put. M. et V. *deprachensis.* Scriptura non spernenda, dum scribas *deprensis* ex more Taciti. cf. not. ad 3, 53. Alterum ex altero facile potuit oriri ob compendium *deprẽsis.* Sed certi nil definiri potest.

laboris ignaras. MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) Vatic. 1863 et 1864. Reg. Guelf. Bud. edd. Spir. (haec *labori signa uas*) Broter. *ignavas.* Vulgatum tuentur edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Est etiam in MS. Vat. 1958., superscriptum tamen *ignavas.* Perexigua sane auctoritas. Cf. tamen 2, 43. *obsequii ignarum.* MS. Ies. *laboribus ignavas.* Similis confusio est Hist. 1, 80.

nec pugnam. MS. Guelf. *ne pugnam.*

munia in armis. Victorius testatur pro *munia* in MS. Flor. esse *minia.* Verisimile mihi videtur hanc viri notam alieno loco esse positam eamque pertinere ad verba *quae nimia.* Paulo ante pro *diurna* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. habent *diuturna.*

feruntque militem. Ed. Spir. *erantque milites.*

quia vallum .... foderet. Ed. Spir. *quia vallum non accintus foderet.* Media desunt. Eadem *morte punctos.*

quae nimia. Edd. Put. M. et V. *que munia.* Sic et cod. Urs.

iacta. MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. Bodl. (in marg.) ed. Spir. *acta.* Edd. Puteol. M. et V. Beroald. Alc. *iacta vel aucta* (e

tumque et magnis delictis inexorabilem scias, cui tantum asperitatis etiam adversus levia credebatur.

XIX. Ceterum is terror milites hostesque in diversum adfecit. nos virtutem auximus, barbari ferociam infregere. Et natio Frisiorum post rebellionem clade L. Apronii coeptam infensa aut male fida datis obsidibus consedit apud agros a Corbulone descriptos. idem senatus, magistratus, leges imposuit. ac ne iussa exuerent, praesidium immunivit, missis qui maiores Chaucos ad deditionem pellicerent, simul Gannascum dolo adgrederentur. nec inritae aut degeneres insidiae fuere adversus transfugam et violatorem fidei. Sed caede eius motae Chaucorum mentes, et Corbulo semina rebellionis praebebat ut laeta apud plerosque ita apud

glossemate). — Edd. Rhen. sqq. *iacta.* MS. Bodl. in contextu *aucta.* Fluctuant recentiores edd. I. Fr. Gronovius, Bernegger, Ryckius: *iacta vel aucta.* Plurimi cum Rhenano *iacta.* Alii ad sententiam Lipsii et Pichenae *aucta.* Ursinus e cod. suo *iactata.* Scriptura *acta* vix defendi poterit. *Falso aucta* intolerabilis pleonasmus est. Nemo enim eo sensu potest augere aliquid ita ut non falso augeat. *Iacta* vel *iactata* bonum sensum praebet. Nam *iaci* vel *iactari*, ut sit, in ore hominum esse, saepius legitur. cf. Suet. Iul. c. 51. *disticho iactato a militibus per Gallicum triumphum.* Id. Galb. c. 12. *illa quoque per ludibrium iactabantur.* Kiesslingius de ed. Spir. falsus est, dum scribit ibi legi *quae nimia, incertum et an falso aucta.* Nam *et* in illo libro ponitur ante *incertum.*

delictis. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *delectis.* Mox Heinsius corrigit: *adversus levia e re videbatur.* Sed vid. not. ad 4, 2. sub v. *crederetur.* MS. Guelf. pro *cui* habet *quoius* h. e. cuius. Idem *credebantur* pro *credebatur.*

Cap. 19. *virtutem auximus.* Sic 4, 24. *auget vires.* Frustra Lipsius volebat *virtute.* Suet. Tib. c. 62. *auxit saevitiam.*

Frisiorum. Ed. Spir. *frixiorum.*

post rebellionem. Sic MSS. Flor. (t. Vict. c. Pichena) Bud. edd. Spir. Lips. Pichen. sqq. — *per rebellionem* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Vitium originem traxit e compendio scripturae. De re cf. 4, 72 et 73.

aut male. MS. Guelf. *et male.*

senatus. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) Guelf. ed. Spir. Recte; nam plures senatus haud dubie instituit in pluribus pagis. — Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *senatum.*

immunivit. Sic MSS. Lipsii, Bud. edd. Spir. Lips. sqq. — MS. Flor. (test. Vict.) *immunibit* ut supr. c. 6. *cogitabissent.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. *inde munivit.* Victorius e suo ingenio corrigit *ibi munivit;* Acidalius *inibi munivit;* I. Fr. Gronovius *immunivit:* explicat „ibidem munivit.” Sed imitatur Noster verbum graecum ἐντειχίζειν. Xenoph. Cyr. 3, 1, 27. φρούρια ἐντειχίζειν.

Chaucos. Ed. Spir. *canchos,* mox *Caucorum.* cf. not. ad Germ. c. 35.

Gannascum. Ed. Puteol. M. mendose *Gamnascum.*

aut degeneres. MS. Guelf. *ac degeneres.*

quosdam in sinistra fama. cur hostem conciret? adversa in rem publicam casura: sin prospere egisset, formidolosum paci virum insignem et ignavo principi praegravem. Igitur Claudius adeo novam in Germanias vim prohibuit, ut referri praesidia cis Rhenum iuberet.

XX. Iam castra in hostili solo molienti Corbuloni hae litterae redduntur. ille re subita, quanquam multa simul offunderentur, metus ex imperatore, contemptio ex barbaris, ludibrium apud socios, nihil aliud prolocutus quam beatos quondam duces Romanos! signum receptui dedit. ut tamen miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque trium et viginti millium spatio fossam perduxit, qua incerta Oceani vetarentur. insignia ta-

in sinistra fama. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. Intellige *habita* vel simile quid. Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. cum Guelf. omittunt *in*.

conciret. Ed. Rhen. mendose *conciretur.*

casura: sin prospere. Ex emendatione Merceri, quam Pichena confirmavit e MS. Flor., unde adfert: *casuras in prospere.* Victorius intactum reliquit in ed. Ber. *cum prospere.* Ed. Spir. *in re p. casurus in prospere.* MS. Bud. *casura ni.* Rec. man. fecit *cum* ex *ni.* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *casura: cum prospere.* MS. Agr. *casurus ni p.*

paci. MS. Agr. *pati*, quod adridet Heinsio.

igitur. Sic MSS. Flor. Bud. Guelf. Oxon. Agr. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Iac. Gronov. sqq. — *ideo* edd. Alc. Rhen. sqq. usque ad Iac. Gronovius, e vitio typogr.

Cap. 20. *Corbuloni hae litterae.* Ed. Spir. *Corbulonicae litterae.*

offunderentur. Ed. Spir. *obfunderentur.*

prolocutus. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. *perlocutus* edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alciat. Igitur de Puteolano Ernestius falsus est. Confusio orta est e compendio scripturae, ut saepissime.

beatos quondam duces Romanos. Ex emend. Lipsii, quae nititur Dione 60, 30. ὦ μακάριοι οἱ πάλαι ποτὲ στρατηγήσαντες. Ante Lipsium edd. omnes et MSS. Bud. Guelf. *quosdam*, quod etiam Victorius intactum reliquit.

ut tamen. Sic MS. Reg. edd. Spir. et recentt. inde a Pichena. — *ne tamen* MSS. Bud. Guelf. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. Grut. E MS. Flor. Pichena prodidit *vi tamen;* sed Victorius scripturam Beroald. intactam reliquit. Qui legunt *ne*, vocabulum *otium* accipiunt significatione pacis, uti est 1, 19. et alibi. Praestat tamen *ut;* nam *otium* intelligendum est illud, de quo c. 18. Kiesslingio placuit *ne*.

millium. Edd. Spir. Put. c. MS. Guelf. et nuper Kiessl. *milium.*

perduxit. Sic MS. Guelf. edd. Spir. et Ernest. sqq. *produxit*

men triumphi indulsit Caesar, quamvis bellum negavisset. Nec multo post Curtius Rufus eundem honorem adipiscitur, qui in agro Mattiaco recluserat specus quaerendis venis argenti, unde tenuis fructus nec in longum fuit: at legionibus cum damno labor et fodere rivos quaeque in aperto gravia humum infra moliri. quis subactus miles, et quia plures per provincias similia tolerabantur, componit occultas litteras nomine exercituum precantium imperatorem, ut, quibus permissurus esset exercitus, triumphalia ante tribueret.

XXI. De origine Curtii Rufi, quem gladiatore genitum quidam prodidere, neque falsa prompserim et vera exsequi pudet. Postquam adolevit, sectator quaestoris cui Africa obtigerat, dum in oppido Adrumeto vacuis per medium diei porticibus secretus agitat,

edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Iac. Gronovius e compendio scripturae, quod est in Flor., dat *praeduxit*. Sic Noster 14, 32. Sed contra illum pugnat Ernestius docetque *praeduci* fossas, quae fiant muniendi, arcendi, intercludendi causa, quod ab hoc loco sit alienum. Non putem. Nam facta est fossa, qua *incerta Oceani vetarentur*, igitur arcendi causa. Dio 60, 30. de eadem re usurpat verbum *διετάφρευσε* h. e. perduxit fossam. Victorius scripturam Beroald. *ꝑduxit* (h. e. produxit) intactam reliquit. Sed *pro*, *prae*, *per* sexcenties in vett. libris permutantur. De fossa cf. Wilhelm, Germanien p. 66.

vetarentur. Guelf. *uectarentur*.

triumphi. Hoc vocabulum non est in ed. Spir.

Rufus. Ed. Spir. *ruffus*, mox *ruffi*, et dein *Rufe*.

Mattiaco. Sic edd. Ald. Lips. sqq. ex emendatione Rhenani. Ed. Spir. *Mathiacho*. MS. Reg. *Matiaco*. MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Victorii) Alc. *Machiaco*. cf. 1, 56. Hist. 4, 37. Germ. c. 29.

et fodere. Sic MSS. (ut Ernestius adfirmat) omnes. Sic et edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Victorii) Alc. Rhenan. Ald. Sed suadente eodem Rhenano edd. Ernest. sqq. *effodere*. Edd. Lips. Pich. sqq. *ecfodere*. Non video, quae sit mutandae veteris scripturae necessitas. *Et* et *que* in *quaeque* sibi invicem respondent et duo membra distinguunt, ut membrum *fodere rivos* respiciat ad Corbulonis, alterum *moliri humum infra* ad Rufi militem. cf. Pichen. ad h. l. Ernestius verba *fodere rivos* non satis recte refert ad fossas, quibus aquarum rivi e metallis deducerentur. cf. Cic. Brut. 88. *Hortensius erat memor et quae essent dicta contra quaeque ipse dixisset.*

Cap. 21. *gladiatore*. MS. Guelf. *gladiatorē*. Idem mox *neque vera* pro *et vera*.

sectator. MS. Vat. (Lipsii) *sector*. Plinio epp. 7, 27. idem homo dicitur *obtinenti Africam comes* h. e. sectator. Idem Plin. ibid. narrat historiam sequentem.

Africa. Ed. Spir. *Aphrica*.

Adrumeto. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Put. V. et edd. recentt. inde a Lipsii prima. *Adrumento* edd. Spir. Put. M. Beroald. Alc. Rhen. Ald.

oblata ei species muliebris ultra modum humanum, et audita est vox: „tu es, Rufe, qui in hanc provinciam „pro consule venies." Tali omine in spem sublatus degressusque in urbem et largitione amicorum, simul acri ingenio quaesturam et mox nobiles inter candidatos praeturam principis suffragio adsequitur, cum hisce verbis Tiberius dedecus natalium eius velavisset: „Curtius „Rufus videtur mihi ex se natus." Longa post haec senecta et adversus superiores tristi adulatione, adrogans minoribus, inter pares difficilis, consulare imperium, triumphi insignia ac postremo Africam obtinuit, atque ibi defunctus fatale praesagium implevit.

XXII. Interea Romae nullis palam neque cognitis mox causis Cn. Nonius eques Romanus ferro accinctus reperitur in coetu salutantium principem. nam postquam tormentis dilaniabatur, de se non inficiatus conscios

oblata ei species etc. Plin. epp. 7, 27. *mulieris figura humana grandior pulchriorque perterrito Africam se futurorum praenuntiam dixit.* Similis species oblata est Druso Albim transituro. cf. Dio 55, 1. Suet. Claud. c. 1.

degressusque. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. Recte. Nam hic id verbum intelligendum est de eo loco, de ea statione, unde cessit (*abgehen*). cf. not. ad 4, 74. *digressusque* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. omnes. Mox Guelf. *ac* pro *acri.*

ex se natus. Sic e MS. Bud. edd. Rhen. sqq. MS. Flor. (test. Vict.) *exenatus*, quod ipse Victorius correxit *ex se natus.* MS. Guelf. ed. Spir. *esse natus.* Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *ex senatu.* cf. Cic. Phil. 6, 6. *ex se ortus.*

longa post haec. Ed. Spir. *post haec longa.* Interpunctionem post *natus* eadem c. Guelf. non habet.

implevit. Sic vett. libri mei omnes, non *inplevit.*

Cap. 22. *Cn. Nonius.* Sic MS. Flor. (test. Vict. et Pich.) edd. Ernest. sqq. *S. N. Nonius* ed. Spir. *Cn. Novius* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. et sic MSS. Bud. Guelf. aliique. Pro *mox causis* MS. Reg. *vox c.*

eques Romanus. Sic vett. libri mei omnes. Edd. Lips. addunt *insignis*, quod recentiores omisere; nec legitur in MSS. Bud. Guelf.

de se non inficiatus conscios etc. Locus in MSS. mutilatus. MS. Flor. (test. Vict.) cum lacuna *de se noni ...... conscios.* Consentiunt Pichena et Iac. Gronovius. MS. Farnes. (test. Lips.) *de se novi ...... conscios.* Broterius in tribus Vaticanis hiatum non repperit, verum corrupta admodum *dsononi, de senoni, de se novi.* Ed. Spir. *de sono ī conscios* etc. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. *de se novius conscios* etc. sine lacuna. Eadem expressere edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhenan. Ald. absque lacuna. MS. Agr. (test. Ryckio) sine suspicione defectus habet: *de se confessus conscios non edidit.* Quae si consideras, patet libros, qui lacunam explent, sua debere manui emendatoris, nec plus habere auctoritatis quam ceteras virorum

non edidit, incertum an occultans. Iisdem consulibus P. Dolabella censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui quaesturam adipiscerentur. Apud maiores virtutis id praemium fuerat cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus: ac ne aetas quidem distinguebatur, quin prima iuventa consulatum et dictaturas inirent. sed quaestores regibus etiam tum imperantibus instituti sunt, quod lex curiata ostendit ab L. Bruto repetita. mansitque consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret. creatique primum Valerius Potitus

doctorum coniecturas, inter quos palmam praeripuit Iac. Gronovius. Eius enim sunt, quae hodie vulgantur: *de se non inficiatus.* Broterius cum Grutero scripturam cod. Bud. pro sana habet. Bip. *de se noxiam fassus.* Faërnus, Lipsius, Ursinus: *de se N. confessus consc. n. e.* Alii alia. Woltmannus: *de se novi* (sc. quid) *et conscios n. e.* Sed apertam scriptoris lacunam explere ingratus est labor, quia, quae commodissima esse videntur, incerta tamen manent.

Dolabella. MS. Guelf. edd. Spir. Put. *Dolobella.* Sed libri sibi non constant. Mox Guelf. *celebrante* pro *celebrandum.*

consulibus. MS. Flor. (t. Vict.) *cōs.*

qui quaesturam adipiscerentur. H. e. quaestores destinati. Rhenanus dicit se dedisse *adipiscerentur* pro *adipiscentur.* Illud tamen habent edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Kiesslingius Rhenani nota deceptus restituit *adipiscentur*, veterem eam esse scripturam ratus. Est vero mendum in ed. Alc.

virtutis id. Ed. Spir. *id virtutis.* Mox Guelf. *ciuibus* pro *civium.*

et dictaturas. Sic MS. Flor. ed. Spir. *et dictaturam* MS. Bud. *ac dictaturas* Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Oberlinus auctoritate MS. Bud. dedit *dictaturam*, quia rarior fuit dictaturae usus, nulla igitur pluralis numeri ratio. Verum supra 1, 1. legimus: *dictaturae ad tempus sumebantur*, quum paulo ante esset: *consulatum L. Brutus instituit.* Etenim dictatores erant magistratus extraordinarii: dabantur igitur dictaturae singulae, neque vero genus certum huius magistratus aut annuum. *Consulatus* autem dicitur pro genere, ut magistratus ordinarius et annuus. Hinc ea ipsa de causa, quam Oberlinus emendationi suae praetendit, vetus forma revocanda erat. Consentit Kiesslingius. Prius pro *quin* ed. Spir. et MS. Flor. (t. Vict.) habent *qui in*, et ed. Spir. expressis litteris, MS. Flor. per compendium *q̄in.*

etiam tum. MS. Guelf. non habet *tum*; Bud. habet *tum*, omittit *etiam.* Verum Nostro frequens est *etiam tum*, ut sit *noch.* cf. 1, 3. 49. 50 sqq. Ad vocem *lex curiata* cf. Niebuhr. Röm. Gesch. II. p. 15. 114. 165. Wachsmuth. ält. R. G. p. 375.

Potitus. Sic edd. Bernegg. sqq. ex emend. Lipsii, quia hoc est nomen Valeriorum. MS. Flor. (test. Vict.) et MSS. Lipsii, ed. Spir. *potus* (media syllaba omissa. cf. not. ad 1, 20.). MSS. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *Posthumius* vel *Postumius.* — Edd. Lips. Pich. Grut. *Potus.* Ceterum Lipsius et Ryckius dissensum

et Aemilius Mamercus, sexagesimo tertio anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. dein gliscentibus negotiis duo additi, qui Romae curarent. mox duplicatus numerus, stipendiaria iam Italia et accedentibus provinciarum vectigalibus. Post legem Sullae viginti creati supplendo senatui, cui iudicia tradiderat. et quanquam equites iudicia reciperavissent, quaestura tamen ex dignitate candidatorum aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellae velut venundaretur.

XXIII. A. Vitellio, L. Vipstano coss. cum de supplendo senatu agitaretur primoresque Galliae, quae Comata appellatur, foedera et civitatem Romanam pri-

inter Tacitum aliosque scriptores hic invenisse sibi videbantur. Nam Liv. 2, 41. ad an. 269. primam quaestorum mentionem facit eique adsentit Dionys. 8, 77. Sed inde non consequitur Caesonem Fabium et L. Valerium Livii et Dionysii aut primum a populo creatos quaestores aut eos esse, de quibus Tacitus iam loquitur. Teste Plutarcho iam Valerius Publicola concessit populo quaestores creandos, qua in re haud dubie a Nostro dissentit. Neque tamen ideo apud Tacitum quidquam est mutandum. Potuit enim diversa esse de hac re traditio; potuit etiam Publicola pro populari suo ingenio concedere populo, quae postea rata non fuere. Denique supererat, ut Tacitus cum Liv. 4, 43. conciliaretur. Nam hic tradit plebem voluisse, ut praeter duos urbanos quaestores duo consulibus ad ministeria belli praesto essent, quasi quaestores urbani militaribus priores fuissent. Verum vidisse videtur Ernestius, qui arbitratur, duos quaestores annuos, qui primum crearentur, et militarem et urbanam rem promiscue curasse; dein, cum ob perpetua bella illi semper abessent, duos additos, quis res urbanae tantum curandae demandarentur. Et Taciti verba: *gliscentibus negotiis* satis indicant ea negotia, ad quae obeunda duo additi, non aliena fuisse ab officio duorum quaestorum, qui adhuc fuerant.

et Aemilius. Sic MS. Flor. (test. Vict. et Pich.) — *et Emilius* ed. Spir. — *Aemilius* vel *Aemylius*, omisso *et*, MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Copulam Pichena restituit.

sexagesimo tertio. Sic MS. Flor. expressis litteris (test. Vict.).

mox duplicatus numerus. Liv. epit. 15.

post legem. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *post lege* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Sed nil impedit, quo minus meliorum librorum scripturam recipiamus.

Sullae. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *Suillae*, quod Vict. corrigit *Sullae*. cf. not. ad 1, 1. Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. cum Guelf. *Syllae.*

supplendo. MS. Guelf. *supplemento.*

reciperavissent. MS. Flor. (test. Vict.) *receperavissent.*

Cap. 23. *L. Vipstano.* Ex emendat. Ruperti in epist. 48. ad Reinesium, quam emendationem primus commendavit Ryckius, dein omnes recepere unanimi consensu, ut 14, 1., ita hic praeeunte Erne-

dem adsecuti ius adipiscendorum in urbe honorum expeterent, multus ea super re variusque rumor. et studiis diversis apud principem certabatur adseverantium non adeo aegram Italiam, ut senatum suppeditare urbi suae nequiret. suffecisse olim indigenas consanguineis populis nec poenitere veteris rei publicae. quin adhuc memorari exempla, quae priscis moribus ad virtutem et gloriam Romana indoles prodiderit. An parum, quod Veneti et Insubres curiam inruperint, nisi coetus alienigenarum velut captivitas inferatur?

stio. Nititur haec emendatio inscriptionibus, quae docent nomen *Aproniorum* sic esse scribendum. cf. Hist. 1, 76. Veteres libri variant. MSS. Flor. (test. Vict. cum aliis) Bud. ed. Put. M. *Vipsana*. MS. Agr. edd. Put. V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *Vipsano*. Edd. Lips. sqq. ante Ernestium *Vipsanio* cum ed. Spir. — *Vespasiano* MS. Reg. *Vispana* Guelf.

in urbe honorum. Ed. Spir. cum Guelf. *honorum in urbe*.

suffecisse olim indigenas consanguineis populis. MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) *consanguines*. Ceteri libri vulgatum tuentur. Sententia: *suffecisse olim* sc. senatui explendo, *indigenas* h. e. Romanos natos, Romanos origine, *consanguineis populis* h. e. populis, qui eiusdem cum Romanis sanguinis, originis essent. Hi opponuntur Gallis externae originis. Hoc sibi volunt: si olim indigenae in senatum complendum suffecerunt, ut eo ordine excluderentur Latini sociique Italici, quanquam Romanis consanguinei, quomodo ferri poterit aut quae tandem necessitas erit, ut hodie Galli, gens externa, recipiantur? Lucem huic loco adfundunt verba c. 24. extr. *Latini post plebeios, ceterarum Italiae gentium post Latinos.* Aliena suadet Lipsius, qui explicat: Olim Latinos (qui indigenae) suffecisse Romanis, sanguine et adfinitate cum iis iunctis. Quam interpretationem quanquam levi passim immutatione plerique adprobarunt. Sed quis unquam *populos Romanos* audivit? Taceo, quod otiosum plane est epitheton *consanguineis*. Minorem etiam veritatis speciem habent textus emendationes, quas proposuere Iac. Gronovius: *indigenas consanguinei populi;* et Io. Fr. Gronovius, qui delet *populis* aut facit *populos* aut denique *consanguineo populo* (ed. Bip.).

Veneti et Insubres. Ed. Spir. pro *et* habet *etiam*.

inruperint. Sic MS. Flor. (test. Vict.) — *irruperint* edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. c. Guelf.

velut captivitas inferatur. Totum locum parum recte interpretibus intellectum video. Ricklefs ad vocem *captivitas* intelligit *urbis*, convertitque: *wenn nicht auch ein Gemisch von Fremdlingen als wärs Gefangenschaft hineingebracht werde?* Strombeckius: *um noch Schaaren von Fremden hineinzutreiben*. Ceterum pro corrupto locum habet, quia MS. Guelf. refert *captivas* pro *captivitas*. — Heinsius mutat: *velut captae civitati inseratur*. Hoc enim verbum pro *inferatur* Ursinus in suo cod. invenerat. At nil hic emendatione opus esse videtur. Dixerant illi: *an parum quod V. et I. c. inruperint?* Iam ad ironiam transeunt et quasi corrigunt verbum *inruperint*, quod est hostium armato-

quem ultra honorem residuis nobilium, aut si quis pauper e Latio senator, fore? oppleturos omnia divites illos, quorum avi proavique hostilium nationum duces exercitus nostros ferro vique ceciderint, divum Iulium apud Alesiam obsederint. Recentia haec: quid si memoria eorum inoriretur, qui capitolio et ara Romana manibus eorundem per se satis * fruerentur sane

rumque, ut potius captivitati eam rem comparent. Germanice: *wenn nicht (etwa) der Haufe der Fremden als sei's eine Gefangenführung hineingebracht werde.*

coetus. MS. Flor. (test. Vict.) *cetus.*

quem ultra. Ed. Spir. *quae ultra.*

e Latio senator. Ed. Spir. *elatio senatus.* MS. Guelf. *elatior senator*, quod placet Strombeckio. Sed elatior ille senator Taciti certe stilum non redolet.

fore? Ex emendatione Acidalii, quam recepere Bip. Oberl. sqq. Vett. libri omnes *foret*, quam scripturam defendi posse fatetur Ernestius. *Si* tum ponitur (cf. 1, 48.) ut graecum ἤν, quo utuntur in interrogationibus, ut exprimat sollicitudinem aliquam et spem metumve de eventu. cf. Hermann. ad Viger. adnot. 312. Quaerunt: *si quis ... foret?* converte: *ob wohl ein unbegüterter aus Latium in den Senat gelangen würde?* h. e. se metuere, ut hoc fiat. Sed praestat emendatio. Kiesslingius maluit *foret.*

oppleturos. Ed. Spir. *opplecturos.*

ferro vique. Sic codd. MSS. et edd. Spir. Lips. sqq. *ferro ignique* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Etiam Victorius e MS. Flor. adfert *vique.*

divum Iulium apud Al. cf. Caes. B. G. 7, 79. Edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. *Alexiam.* Scilicet *x* et *s* in vett. libris saepissime permutantur. *Alesiam* edd. Spir. Put. Lips. sqq.

inoriretur. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — MSS. Flor. (test. Vict. cum aliis) Agr. Bud. Vatt. 1864. 1958. ed. Spir. *moreretur.* Vat. 1958. supra adscriptum habet *memoretur*, quod Lipsius etiam refert e libris suis. MS. Reg. apud Ryck. *memoratur*, a sec. m. *memoretur.* MS. Guelf. *mereretur.* His viri docti addiderunt coniecturas: *moveretur, iteretur, iniretur, renovaretur, recoleretur.*

*qui capitolio ..... satis *.* Sic MS. Flor. test. Pichena. Victorius Beroaldinam scripturam intactam reliquit, et I. Gronov. test. in MS. Flor. sunt notae non satis cuiquam intellectae. Cum MS. Flor. conspirant Lipsii libri (apud Broterium Vatt. 1864. et 1958.), Bud. Reg. Guelf. ed. Spir. Pro *manibus* MS. Agr. habet *manubiis.* Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. pro *per se satis* exhibent *prostratis*, cetera eodem modo legunt. In tam manifesta veterum librorum corruptela non defuere qui emendarent. Rhenanus pro *per se satis* aut *prostratis* vult *parceretis; manibus* ei est dativ. a *manes;* ceterum per aposiopesim locum accipit, ad verba: *qui cap. et a R.* intelligit *potiti sunt.* Quae quam vana sint vidit Lipsius. I. Fr. Gronovius: *qui capitolium et arcem Romanam moenibus eorundem prostratis?* Intelligit *obsederint* e praecedentibus. I. Gronovius de scriptura cod. Flor. a Pichena dissentiens vult *arci* pro *ara*, pro *per se satis* ponit *pestem minati sunt.* Heinsius haec habet: „*Quid si memoriae horum immo-*

vocabulo civitatis: insignia patrum, decora magistratuum ne vulgarent.

XXIV. His atque talibus haud permotus princeps et statim contra disseruit et vocato senatu ita exorsus est: „Maiores mei, quorum antiquissimus Clausus ori„gine Sabina simul in civitatem Romanam et in fami„lias patriciorum adscitus est, hortantur, uti paribus „consiliis rem publicam capessam transferendo huc, „quod usquam egregium fuerit. neque enim ignoro Iu„lios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo et, „ne vetera scrutemur, Etruria Lucaniaque et omni Ita-

remur (vel *quid si memoria eorum renovetur* aut *innovetur*) *quis e capitolio et arce R. manubias deorum pensastis.* Ni mavis: *quid si memoria eorum renovetur, quis capitolium et arcem R. manubias deorum pensastis.* Forte et *Senonum* latet nomen sub nomine *eorum.*" Freinshemius: *Quid si m. eorum inoriretur, qui capta olim et arsa Roma, manibus eorundem prostrati fuerint.* Broterius: *Quid si m. e. renovaretur, qui c. et arce R. manibus eorundem fere superatis, pretium P. R. mille pondus acri fecerint.* Bip. *Quid si m. Senonum recoleretur, qui captis olim a se Romanis, manubiis eorum dein processerint satis.* Hillerus: *Q. s. m. Senonum moveretur, qui, Capitolio et arce R. per se salvis, manibus aedes prostrarint.* Alii alia. Nuper accessere: Feder, *Observv. crit. in auct. vett. graec. atque lat. specimen quadruplex.* 1818. qui vult: *Quid si memoria eorum moveretur, qui, capitolio et arce R. manentibus, seniorum caedem per scelus epidissent* (? cf. Biblioth. crit. 1819. nr. 7, p. 697.); et Moebius in bibl. crit. 1820. p. 828. *quid si m. e. inoriretur* (vel *inniretur*), *qui capitolio et arce R. manibus eorundem separati? fruerenturve vocabulo civitatis? at insignia* etc. Frustra omnes. Desunt plura, quam ut aliqua mutatione aut levi additamento sententia idonea elici possit. Quae supersunt vocabula omni inter se vinculo carent. Mox delevi *at*, quod ante *insignia* contra MSS. et edd. vett. indiderat Oberlinus. Nam ed. pr., quae habet *et*, non ea est auctoritate, ut prae illa spernamus codd. MSStos.

Cap. 24. *et statim.* Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Corb. edd. Pich. sqq. *etiam statim* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. Grut. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf.

Clausus. Ed. Spir. *Claudius.* Sed cf. 4, 9. ibique not. Sueton. Tib. c. 1. Liv. 2, 16. Dionys. 5, 40. Quod pleraeque edd. parenthesi circumdant verba: *quorum adscitus est*, nihili est, nec apud vett. libros invenitur.

rem publicam capessam transferendo. Ed. Spir. *re p. capescenda: in transferenda.*

Coruncanios. Sic MS. Guelf. edd. recentt. inde a Lips. prima. cf. Cic. pro Planc. 8. et pro Sull. 7. Vett. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (nil mutante Vict.) Alc. Rhenan. Ald. *Coruncanos.*

Camerio. Ed. Spir. *Cameno.* Mox cum Bekkero sustuli pleniorem interpunctionem inter *accitos* et *postremo;* nam pendent haec e verbo *ignoro.*

„lia in senatum accitos: postremo ipsam ad Alpes pro„motam, ut non modo singuli viritim, sed terrae, gen„tes in nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi „quies et adversus externa floruimus, cum Transpadani „in civitatem recepti, cum specie deductarum per or„bem terrae legionum additis provincialium validissimis „fesso imperio subventum est. Num poenitet Balbos ex „Hispania nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi „transivisse? manent posteri eorum nec amore in hanc „patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedae„moniis et Atheniensibus fuit, quanquam armis pol„lerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant? at „conditor nostri Romulus tantum sapientia valuit, ut „plerosque populos eodem die hostes, dein cives ha„buerit. advenae in nos regnaverunt. libertinorum „filiis magistratus mandari non, ut plerique falluntur, „repens, sed priori populo factitatum est. At cum Se-

promotam. MS. Guelf. *promptam.*

terrae, gentes. Sic edd. Spir. Oberl. sqq. MSS. Flor. (test. Pich., sed Vict. patitur *gentesque*) Agr. Bud. (qui tamen a rec. m. habet copulam). — MS. Reg. *certae gentes.* Sed Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *terrae gentesque.* Paulo ante *ipsam* intellige *Italiam;* namque prius *Galliae* nomine utebantur regiones sub Alpibus sitae circa Padum.

specie. Convertunt: *unter dem Vorwande*, quia cogitant de coloniarum deductione, quae ab hoc loco aliena est. Potius: *durch das Ansehn.* cf. 2, 6. 15, 9. Etenim legiones deductae per orbem terrae et in castris hic illic positis locatae vim et maiestatem imperii Romani prae se ferebant eoque metum iniiciebant provinciis et cavebant, ne res turbarentur.

num poenitet. Ed. Spir. *nun poenitet.* MS. Guelf. *non p.*, et sic ed. Gronoviorum 1672 vitio operarum. Nam eadem signum interrogandi habet post *transivisse.*

conditor nostri. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. Idem esse in MS. Flor. e Victorii silentio colligitur. Edd. recentt. ad unam omnes *conditor noster*, inde a Lipsii prima, nisi fallor e mendo typogr.

dein cives. Ed. Spir. MS. Guelf. *deinde c.* MS. Bud. *eodem cives*, a rec. m. *dein c.*

advenae ... regnaverunt. Ed. Spir. *Aduene ... rogaverunt.*

libertinorum filiis. Cf. Sueton. Claud. c. 24.

mandari. Ex emendatione Lipsii aut Mureti. Nam edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. c. MS. Guelf. *mandati.* Ed. Spir. *mandaret.* MS. Flor. (test. Vict.) *mandarent.* De aliis libris altum est silentium. Vulgatum primum invenitur in edd. Lips. posterioribus, Pich. Gruter. sqq.

repens. Sic MSS. Flor. (test. Pichena; Vict. tacet) Bud. Vat.

„nonibus pugnavimus. scilicet Volsci et Aequi nunquam „adversam nobis aciem instruxere. Capti a Gallis sumus. „sed et Tuscis obsides dedimus et Samnitium iugum subi„vimus. Attamen, si cuncta bella recenseas, nullum „breviore spatio quam adversus Gallos confectum. con„tinua inde ac fida pax. iam moribus, artibus, adfinita„tibus nostris mixti aurum et opes suas inferant potius „quam separati habeant. Omnia P. C. quae nunc ve„tustissima creduntur, nova fuere. plebei magistratus „post patricios, Latini post plebeios, ceterarum Italiae „gentium post Latinos. inveterascet hoc quoque, et quod „hodie exemplis tuemur, inter exempla erit."

XXV. Orationem principis secuto patrum consulto primi Aedui senatorum in urbe ius adepti sunt. datum id foederi antiquo et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant. Iisdem diebus in numerum patriciorum adscivit Caesar vetustissimum quemque e senatu aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarum quas Romulus maiorum et

(Lips.) edd. Spir. Pichen. sqq. — *recens* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Vide not. ad 6, 7. Pro *falluntur* MS. Guelf. exhibet *fallimur*.

scilicet Volsci. Ed. Spir. *sed vulci*.

instruxere. Sic MSS. Flor. Reg. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Vitio operarum debetur, quod dein a Lipsii prima inde vulgabatur *struxere*. Veterem scripturam Ernestius revocavit.

Samnitium. Sic edd. recentt. inde a Lipsii prima. Veteres ad unam omnes *Samnitum* (cum sil. Victorii).

cuncta bella. MS. Guelf. *cum acta bella*.

adversus. Ed. Spir. *adversum*, quod placet.

Cap. 25. *senatorum.* Ed. Spir. *senatorium*. Omnes vett. edd. scribunt *Edui* pro *Aedui*. Sed miscendi litteras *ae* et *e* ea illis libris inest varietas, ut omnia adnotari taedio esset.

fraternitatis nomen. cf. Cic. ad div. 7, 10. MS. Bud. *usurpabant*.

adscivit. Sic ed. Spir. *ascivit* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Rhen. sqq. Ryckius induxit *adscivit*. cf. 1, 60. 73. 2, 60. 3, 30. 4, 57. Aliis in locis Victorius e cod. Flor. constanter corrigit *adscitus*. MS. Guelf. *acciuit*.

e senatu. Ed. Spir. *ex senatu*.

L. Brutus minorum gentium appellaverant, exhaustis etiam quas dictator Caesar lege Cassia et princeps Augustus lege Saenia sublegere. laetaque haec in rem publicam munia multo gaudio censoris inibantur. Famosos probris quonam modo senatu depelleret anxius mitem et recens repertam quam ex severitate prisca rationem adhibuit monendo, secum quisque de se consultaret peteretque ius exeundi ordinis. facilem eius rei veniam. et motos senatu excusatosque simul propositurum, ut iudicium censorum ac pudor sponte cedentium permixti ignominiam mollirent. Ob ea Vipstanus consul rettulit patrem senatus appellandum esse Claudium: quippe promiscuum patris patriae cognomentum: nova in rem pu-

L. Brutus. Secundum Liv. 1, 8. Romulus centum creavit senatores. Idem Liv. 1, 35. a Tarquinio Prisco centum alios additos refert, qui deinde minorum gentium sint appellati. At 2, 1. narratur et Brutum supplevisse senatum primoribus equestris gradus lectis, qui conscriptorum nomen adepti sint. Quae si consideras, patet familias a Bruto in senatum adlectas eodem iure minorum gentium debuisse dici atque illas, quas Tarquinius addidit: immo e comparatione posteriorum priores exinde debuisse maiorum gentium patriciis adnumerari. Ita rem se habuisse, colligi potest ex hoc Taciti loco.

appellaverant. Sic libri vett. omnes, non *adpellaverant*; scripturam *appellare* exhibet etiam tabula aenea, de qua dictum est ad c. 14. et Mon. Ancyran.

dictator Caesar. cf. Suet. Iul. c. 41.

princeps Augustus. Dio 52, 42. Moniment. Ancyr. tab. 2. ab init.

in rem publicam. Edd. Spir. Ber. Alc. Rhen. sqq. c. MS. Guelf. *in re p.* vel *in R. P.* Sed ed. Put. M. *R. P.* omisso *in*, Put. V. *po. ro.* Pro *laeta* MS. Guelf. dat *lecta.*

censoris. Int. Caesaris. cf. c. 13. et Sueton. Claud. c. 16. MS. Farnes. edd. Beroald. Alc. pro *censoris* habent *Caesaris* ex interpretamento. Verum Rhenanus restituit e MS. Bud., cum quo consentiunt MSS. Flor. (test. Vict. cum al.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V.

recens repertam. Int. ab Augusto. Dio 52, 42. Sueton. Oct. c. 35.

quam ex severitate. Sic MSS. Flor. (t. Pich.) Bud. Guelf. edd. Spir. Pich. sqq. *quandam ex severitate* edd. Put. sqq. ad Pichenam.

exeundi ordinis. Sic MSS. et vett. edd. quantum constat omnes. Lipsio auctore nuper mutarunt in *exuendi.* cf. Hist. 2, 86. Sed Tacitus etiam *exire* coniungit cum accusativo. cf. 6, 49. Similiter dicit *egredi tentoria* 1, 30. *cubiculum non egressus* 15, 45. cf. not. ad 12, 63. Iam si licet scribere *exire ordinem*, cur non feramus *exeundi ordinis ius*? Consentit mecum Kiesslingius.

motos. Ed. Spir. *motus.* — *excusatosque* MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. — *et excusatos* edd. vett. et recentt.

Vipstanus. Sic suadente Ryckio edd. recentt. De scriptura vid. not. ad c. 23. Hic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Lips. sqq. *Vipsanius.* Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. c. MS. Guelf. *Vipsanus.*

blicam merita non usitatis vocabulis honoranda. Sed ipse cohibuit consulem ut nimium adsentantem. condiditque lustrum, quo censa sunt civium LIX. LXXXIV. LXXII. Isque illi finis inscitiae erga domum suam fuit. haud multo post flagitia uxoris noscere ac punire adactus, ut deinde ardesceret in nuptias incestas.

XXVI. Iam Messallina facilitate adulterorum in fastidium versa ad incognitas libidines profluebat, cum abrumpi dissimulationem etiam Silius, sive fatali vecordia an imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus, urgebat. quippe non eo ventum, ut senectam principis opperirentur.

ut nimium. Ed. Spir. *et nimium.*

adsentantem. Sic MS. Flor. (t. Vict.) — *assentantem* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq.

civium LIX. LXXXIV. LXXII. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Vaticc. 1863 et 1864. ed. Spir. egregia concordia (cf. *Wolf. Stiftung Traians* p. 10). — MSS. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Guelf. medium numerum negligunt; MS. Agr. pro *LIX* habet *LVIII.* MS. Ies. notat tantum *LIX. LXII.* — Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. *civium LXIX centena et CXLIV millia.* In MS. Bud. numeri turbati sunt. Recentiores edd. habent *civium LXIX centena et XLIV* secundum Eusebium qui refert: *Descriptione Romae facta sub Claudio inventa sunt civium R. LXVIII centena XLIV millia.*

isque illi finis. Ed. Spir. *isque ille finis.* Mox *insciciae.*

Cap. 26. *facilitate.* MS. Guelf. *felicitate.* De huius cap. rebus cf. Dio 60, 31.

adulterorum. Sic MSS. Flor. (nam Vict. hanc scripturam intactam reliquit) Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Ernestius, Broterius sqq. ex ed. Spir. recepere *adulteriorum.* Sed ex uno illo libro scripturam ab optimis MSS. alienam minime receperim ob innumera vitia, quae insunt, quanquam auctoritate sua haud exigua gaudet in consensu cum alio libro bonae notae.

Silius. Sic vett. libri mei omnes, quum supra variarent.

sive ... an .. Graece εἴτε — ἢ — cf. Viger. c. VIII. sect. VI. 14. et Zeun. ad Viger. c. VII. sect. VII. not. 78. cf. Tac. An. 14, 59. init. Acidalius frustra volebat deleri *sive* vel legi *ipse.*

urgebat. MS. Flor. (test. Vict.) *urguebat.*

ut senectam principis opperirentur. Sic MS. Guelf. — Edd. Put. M. et V. *ut senectam principis operirentur*, non *opperirentur.* Hoc tamen habent edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. Sed a codd. MSS. exigua huic scripturae est auctoritas. Nam MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. et MSS. Broterii habent: *ut senecta principis opperiretur.* Ed. Spir. *at senecta principis operirentur.* Tum etiam valde dubito, an vulgata idoneum sensum praebeant. *Quippe non eo ventum, ut* h. e. nondum eo evasisse vel ita male se habere rem (cf. 15, 27. *Non enim adhuc eo ventum, ut certamine extremo opus esset*). *Senectam principis opperiri* (ut *opperiri aegritudinem* 2, 69; *futura* 11, 12; *legati animum* Agr. c. 18. *alienam stultitiam* Hist. 2, 34) erit exspectare, quem senecta

insontibus innoxia consilia, flagitiis manifestis subsidium ab audacia petendum: adesse conscios paria metuentes. se caelibem, orbum, nuptiis et adoptando Britannico paratum: mansuram eandem Messallinae potentiam addita securitate, si praevenirent Claudium ut insidiis incautum ita irae properum. Segniter eae voces acceptae, non amore in maritum, sed ne Silius summa adeptus sperneret adulteram scelusque inter ancipitia probatum veris mox pretiis aestimaret. nomen tamen matrimonii concupivit ob magnitudinem infamiae, cuius apud prodigos novissima voluptas est. nec ultra exspectato quam dum sacrificii gratia Claudius Ostiam proficisceretur, cuncta nuptiarum solemnia celebrat.

principis exitum habitura sit. Sed quid haec sibi volunt in hoc verborum contextu? Idoneam certe rationem praecedentium non reddunt, in quibus sermo est de imminentibus periculis per ipsa pericula evitandis. Fortasse e fide MSS. locus restituendus erit sic: *ut senecta principis operiretur* (Silius) vel *operirentur* (Silius et Messallina) h. e. tegerentur (*dafs sie durch des Fürsten Alter gedeckt wären*). Tum monet Silius, non eam esse securitatem, quam putet ob senectam principis. Cf. Hist. 1, 53. *operiri privata vulnera rei publicae malis.* An. 3, 18. *domestica mala tristitia operienda.* Sed nil ausim definire.

insontibus innoxia consilia. Nostrates: *Unschuldigen ziemten unschädliche Rathschläge* (Stromb.) vel *für Schuldlose wären unschädliche Mafsregeln* (Rickl.). Languida et obscura sententia. Immo *consiliis* opponuntur vis et audacia, ut ita consilia significent eam agendi rationem, qua quis prudenter magis et arte quam adhibita vi sese expedit. *Innoxia* sunt aliena a damno, noxa. Sententia: insontes sine damno et periculo consiliis agere indeque subsidium petere posse; contra flagitiis m. etc. Pro *conscios* MS. Guelf. *consocios.*

paria. Ed. Spir. MS. Guelf. *patriam.* MS. Flor. (test. Vict.) *pat'am.* Littera *m* e verbo seq. adhaesit et corruptelae occasionem dedit. Ed. Oberlin. vitio operarum *si caelibem*, quod in alias quoque edd. venit. Vett. edd. scribunt *celibem.* Sed scriptura *caelebs* nititur auctoritate inscriptionum. cf. Gori Inscriptt. Ant. T. I. p. 257. Gruter. p. 573. nr. 1.

si praevenirent. Ed. Spir. omittit *si.*

eae voces. Sic MS. Flor. (test. Vict.) — *hae voces* edd. vett. et recentt. vulgari permutatione utriusque pronominis.

summa. Sic edd. Beroald. (cum Victorii silentio, quod MS. Flor. consensum testatur) Alc. Lips. sqq. — *summam* edd. Spir. Put. M. et V. Rhenan (hic e MS. Bud.) Ald. Sic et MS. Guelf. et MSS. Broter.

pretiis. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Put. M. et V. Rhenan. sqq. *preciis* edd. Spir. Beroald. Alc.

aestimaret. Sic edd. Put. V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *extimaret* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. quae scriptura pro *aestimare* frequens est apud vett. libros.

prodigos. ἀσώτους, gallice *roués:* h. e. in omne genus flagitiosae voluptatis effusos.

XXVII. Haud sum ignarus fabulosum visum iri tantum ullis mortalium securitatis fuisse in civitate omnium gnara et nihil reticente, nedum consulem designatum cum uxore principis praedicta die, adhibitis qui obsignarent velut suscipiendorum liberorum causa convenisse, atque illam audisse auspicum verba, subisse, sacrificasse apud deos: discubitum inter convivas: oscula, complexus, noctem denique actam licentia coniugali. sed nihil compositum miraculi causa, verum audita scriptaque senioribus tradam.

XXVIII. Igitur domus principis inhorruerat, maximeque quos penes potentia, et si res verterentur, formido. non iam secretis colloquiis, sed aperte fre-

Cap. 27. *tantum ullis.* MS. Flor. (test. Vict.) *tanto nullis*, unde coniicias, olim scriptum fuisse *tantom ullis.*

praedicta die. Vid. not. ad An. 2, 79.

liberorum. Non legitur in MS. Guelf.

atque illam audisse auspicum verba, subisse, sacrificasse. Verbum *subisse* Lipsius suspicatur inter legitima nuptiarum fuisse, sive intelligenda sit subitio de eo, quod deducta subiret mariti domum, sive de iugo. I. Fr. Gronovius id verbum retrahit ad *verba auspicum*, ut ita audisse et subisse auspicum verba dicatur. Strombeckius suspicatur *subisse* dictum esse pro *in manum mariti convenire.* Alii malunt priorem Lipsii coniecturam *nupsisse*, vel *subisse* intelligendum de velo nuptiali putant. Alii quaedam excidisse censent cum Heinsio, ut *templa* vel simile quid. Sed omnia haec satis incerta manent. Quam olim huius loci explicandi rationem inieram, iam video vanam esse. Sed fortasse frustra laboramus in loco depravato. Quid, si verbum *audisse* ex glossemate est, quod adscriptum fuit verbo *subisse*? Namque *auspicum verba subisse* h. e. a. v. audisse, cum significatione audaciae. Ceterum de re iuvat conferri Iuvenal. 10, 330 sqq.

discubitum. Sc. forma nuptiali, iacente nupta in gremio mariti. cf. Iuvenal. 2, 119.

sed nihil etc. *Sed* Heinsio mendosum aut superfluum videbatur. Immo bene adest; respicit enim ad verba: *fabulosum visum iri.*

tradam. Accipe in tempore futuro, quo Noster cum Graecis utitur, ut exprimat, id sibi destinatum solitumque esse, ut tradat. cf. Hist. 3, 51. *haud absurde memorabimus.* Agr. c. 10. *rerum fide tradentur.* cf. not. ad 13, 20.

Cap. 28. *verterentur.* Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silentio Victorii, quod MS. Flor. consensum testatur) Alc. Rhen. Ald. — *vetarentur* ed. Spir. Sed edd. recentt. Lipsio auctore habent *verterent*, sc. sensu intransitivo, ut 6, 46. et alibi. Sed probum etiam est *verti.* An. 3, 54. *civitatem verti*; 5, 4. *brevibus momentis summa verti.* Igitur restituenda erat vetus scriptura. Aptiore etiam interpunctione locum iuvandum duxi. Vulgo legunt: *inhorruerat: maximeque . . . . formido, non iam . . . aperte fremere.* Sed *maximeque* respicit ad verbum *inhorruerat*: ad sequentia apte referri nequit.

mere, dum histrio cubiculum principis exsultaverit, dedecus quidem inlatum, sed discidium procul abfuisse: nunc iuvenem nobilem, dignitate formae, vi mentis ac propinquo consulatu, maiorem ad spem accingi. nec enim occultum, quid post tale matrimonium superesset. Subibat sine dubio metus reputantes hebetem Claudium et uxori devinctum multasque mortes iussu Messallinae patratas. rursus ipsa facilitas imperatoris fiduciam dabat, si atrocitate criminis praevaluissent, posse opprimi

dum histrio c. pr. exsultaverit. Locus in MSS. depravatus. MS. Flor. (test. Vict. c. al.) *dum histruo cubiculum principis exultabero.* MS. Reg. et ed. Spir. *dum instruo c. pr. exultavero.* MSS. Guelf. aliique, edd. Put. M. et V. Alc. Ber. Rhen. Ald. *dum industria cubiculum principis occulit adulteros.* MS. Bud. *dum industria c. p. exultavero;* unde rec. m. fecit: *inclusa in c. p. exultat cum adultero.* MS. Agr. *dum inservit c. p. adulterio.* Iam nemo dubitat *histrio* ex MS. Flor. verum esse. Intelligitur *Mnester*, de quo c. 36. Verbum *exsultare* verissime Salmasius et Gronovius interpretantur *ἐξορχεῖσθαι* h. e. *entehren*, Suidas: *καταπαίζειν, ἐκφαυλίζειν, ἔκπυστον ποιεῖν.* Plutarch. Artax. 22. *ἐξορχησάμενος ἐν Πέρσαις τὸν Λεωνίδαν καὶ τὸν Καλλικρατίδαν.* Herodian. 5, 5. *τήν τε ἱερωσύνην τοῦ ἐπιχωρίου θεοῦ περιεργότερον ἐξωρχεῖτο.* Vides egregie sic verbum *exsultare* convenire et homini, qui histrio (horum enim verbum est. cf. Plin. epp. 7, 24) et rei, sc. cubiculo principis, quod decet esse *ἀνέκπυστον, μυστήριον.* De forma scripturae Flor. si quaerimus, satis verisimile est, *exsultavero* (nam *b* ibi ponitur pro *v*) ortum esse ex *exsultaverit* (litteris finalibus per compendium scriptis) et *eo*, ut genuina scriptura videatur: *exsultaverit, eo dedecus* etc. Pichena e coniectura Francisci de Medicis dederat *persultaverit;* dein I. Fr. Gronovius reduxit *exsultaverit.* Bip. *insultaverit;* recepit Oberlin. quem dein plerique secuti sunt. Bekkerus tamen *exsultaverit* loco reddidit. Iac. Tollius in Fortuit. c. 31. p. 244. legit *insultat liberius.*

sed discidium. Sic MS. Flor. teste Victorio; Pichena prodidit ibi esse *sed et scidium*, unde ipse coniiciebat *sed dissidium.* Lallemand. Bip. Oberl. *discidium.* Contra MSS. Bud. Reg. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. *excidium.* E MS. Agr. Ryckius prodidit *exitium.* Bekkerus et Kiesslingius maluere *exscidium*, suadente I. Fr. Gronovio.

dignitate formae. Ex emendatione Lipsii. Libri vett. omnes: *dignitate, forma.* cf. 12, 51. *dignitate formae.*

vi mentis. MS. Flor. (test. Vict. c. al.) *ui mtis*; hinc Pichena reposuit *vi mentis.* Consentit MS. Vatic. apud Lipsium, qui inde refert *Vimentis.* Addicit et ed. Spir. quae habet *iumentis;* nam syllabae *ui* et *iu* in vett. libris sexcenties permutantur. MS. Bud. *ui mentis*, unde 2. m. fecit *iuventa*, quod est in Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Aic. Rhen. sqq. cf. 12, 44. *vi corporis.*

ac propinquo. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Rhen. sqq. — *propinquoque* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc.

accingi. Sic edd. vett. et recentt. cf. 3, 4. 4, 21. 4, 66. 6, 2. MS. Flor. (t. Vict.) *adcingi.* MS. Guelf. *attingi.* Sed super *tt* posita sunt *cc.*

devinctum. Ed. Spir. *deiunctum*, vulgari syllabarum *vi* et *in* confusione.

damnatam ante quam ream. sed in eo discrimen verti, si defensio audiretur, utque clausae aures etiam confitenti forent.

XXIX. Ac primo Callistus, iam mihi circa necem Caesaris narratus, et Appianae caedis molitor Narcissus, flagrantissimaque eo in tempore gratia Pallas agitavere, num Messallinam secretis minis depellerent amore Silii, cuncta alia dissimulantes: dein metu, ne ad perniciem ultro traherentur, desistunt, Pallas per ignaviam, Callistus prioris quoque regiae peritus et potentiam cautis quam acribus consiliis tutius haberi. perstitit Narcissus, ut solum id immutans, ne quo sermone praesciam cri-

sed in eo discrimen. Ed. Spir. omittit *in eo.*

utque. Ernestius volebat *neque*, ad evitandam duriorem ellipsim. Sed repugnat ei coniecturae vox *etiam*, quae tum plane aliena est, nisi iterum ad ellipsim confugias. Broterius coniecit *utique*, certe, omnino, quae tamen emendatio eo laborat, quod non satis convenit verbis: *in eo discrimen verti*, et nimis dura est omissio coniunctionis *ut.* Bip. aliique *utque* explicant per *et quomodo.* Sed nil inde redundat ad orationis concinnitatem. Latet omnis culpa in scriptoris brevitate, qua solet intelligenda quaedam relinquere. Uberius scripsisset: *in eo discrimen verti, ut viderent, ne facilitate sua imperátor rursum flectatur in alteram partem, si defensio audiretur, utque clausae aures* etc. Similem fere locum vidimus An. 4, 38. *ut maioribus* etc. Vid. not.

Cap. 29. *Callistus.* Sic edd. recentt. inde a Bernegg. *Calistus* vett. libri mei. De viro cf. Dio 59, 19. 29. Ioseph. 19, 1. quibus scribitur *Κάλλιστος.*

circa necem. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) edd. Pich. sqq. Cum Flor. consentit Bud. et Guelf. *circa mortem* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. De re cf. Ioseph. 19, 1, 10.

Caesaris. Sic libri vett. Recentiores edd. dant *C. Caesaris*, ex Faërni, Ursini, Freinshemii aliorumque sententia. Frustra. Nam quis Caesarum poterit intelligi nisi *Caius?* De Caesare dictatore non cogitabis, quippe cuius necem enarrare non erat horum Annalium. Solet autem Noster Caesarum praenomina negligere, quotiens, qui intelligendi sint, satis constat.

Appianae caedis molitor N. cf. Dio 60, 14. Sueton. Claud. c. 37.

eo in tempore. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Guelf. edd. Spir. Pich. sqq. — *in eo tempore* MS. Bud. ut 13, 47. — *eo tempore* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Mox MS. Guelf. *non* pro *num.*

dein. Sic MS. Flor. (test. Vict. et Iac. Gron.) Vulgo edd. *deinde* cum Guelf.

ad perniciem ultro. Ed. Spir. *ad pernitiem ultra.*

et potentiam. Ed. Spir. *per potentiam.*

acribus. MS. Bud. edd, Rhen. Ald. sqq. *acrioribus.* Ernestius restituit *acribus*, quod habent MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. Recte. Nam comparatio hic plane non attingit vocabula *cautis* et *acribus.*

perstitit. MS. Guelf. *persistit.*

ut solum id immutans. Sic MSS. Flor. (test Vict. c. al.) Reg. Bud. ed. Spir. — *et solum* MS. Guelf. edd.

minis et accusatoris faceret: ipse ad occasiones intentus longa apud Ostiam Caesaris mora duas pellices, quarum is corporibus maxime insueverat, largitione ac promissis et uxore deiecta plus potentiae ostentando perpulit delationem subire.

XXX. Exin Calpurnia (id pellici nomen), ubi datum secretum, Caesaris genibus provoluta nupsisse Messallinam Silio exclamat. simul Cleopatram, quae idem opperiens adstabat, an comperisset? interrogat: atque illa adnuente cieri Narcissum postulat. Is veniam in praeteritum petens, quod ei cis Vettium, cis Plautium

Put. M. et V. Beroald. Alc. Freinsh. Gron. *at solum* ed. Iac. Gronov. Sed edd. Rhen. Ald. Pich. Lips. Ryck. omittunt voculam *et* vel *ut* secundum MS. Agr. Vides plurimum auctoritatis esse in scriptura *ut solum*, neque deest venustas. Sic enim ponitur *ut* explicandi causa, quasi auctor scripsisset: *perstitit N., quod intelligas, eum ita perstitisse, ut solum id immutaret.* cf. 4, 33. *ut nimis ex propinquo diversa arguens.*

et accusatoris. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *et accusatores.* Ceteri libri vulgatum tuentur.

ipse. Minime friget, ut videtur Ernestio. Opponitur Messallinae.

corporibus. Sic MSS. Vatic. (Lips.) Bud. edd. Spir. Ernest. sqq. *corpori* MS. Guelf. (*i* a sec. m.) edd. Puteol. M. et Ven. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. MS. Bud. *assueverat* pro *insueverat.*

ostentando. Ed. Spir. *eas temptando.* MS. Guelf. *plus potentia eas tentando.*

perpulit. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *perculit.*

Cap. 30. *Calpurnia.* Sic MSS. Flor. (t. V.) Guelf. edd. recentt. inde a Lipsii prima. *Calphurnia* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Rhen. Ald.

pellici. MS. Flor. test. Vict. *pelici.*

simul. Ed. Spir. *simulque.*

opperiens. Ed. Spir. *operiens.*

quod ei cis Vettium, cis Plautium dissimulavisset. Locus corruptus. MS. Flor. (test. Vict.) *cis uetticis plautio dimula . . . ;* test. Pich. *cis Vetticis Plautio dissimulavisset;* test. I. Gronov. *cis v&cticis Plaucio.* MSS. Vatt. 1863 et 1864, ed. Spir. *cis Vecticis Plautio.* MS. Bud. *cis veticio plautio.* MS. Agr. *quod Cicios, Vectios, Plautios.* MS. Guelf. *quod ei cis Vectium Plantium.* — MSS. Vat. 1958. Harl. Ies. *cis Vectium Plaucium.* MS. Bodl. edd. Puteol. M. et Venan. Alc. Rhenan. Ald. *quod ei cis Vectium Plancium.* Ed. Beroald. *quod ei cis Vectium, cis Plautium.* Ita et Lipsius praeeunte MS. Vat. emendavit: *cis Vectium, cis Plautium*, quod dein plerique et hodie edunt. I. Fr. Gronovius malebat: *quod ei cis Vectios, cis Plautios d.* — Duce MS. Agr. Heinsius reformabat: *quod Cincios, Vectios* etc. Broterius dedit: *Titios, Vectios, Plautios.* Bipont. coni. *quod incestae uxoris flagitia diss.* Sed id satis certum est, hic esse sermonem de *Vettio* et *Plautio*, adulteris Messallinae. cf. c. 35 et 36. Emendationem Lipsii quod attinet, restat ut exemplis comprobetur *cis* ita poni idoneo sensu, quod satis difficile erit. De scriptura *Vettius* cf. not. ad 15, 3.

dissimulavisset, nec nunc adulteria obiecturum ait, ne domum, servitia et ceteros fortunae paratus reposceret: frueretur immo iis, et redderet uxorem rumperetque tabulas nuptiales. „an discidium" inquit „tuum nosti? „nam matrimonium Silii vidit populus et senatus et mi-„les: ac ni propere agis, tenet urbem maritus."

XXXI. Tum potissimum quemque amicorum vocat: primumque rei frumentariae praefectum

nec nunc. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *necnō simul* ed. Spir., unde Broterius fecit *nec nunc Silio.* Immo int. *Messallinae.*

obiecturum. Ed. Spir. *obiecturus.*

ne domum .... reposceret. Sic MSS. et vett. edd. Acidalio et Freinshemio suadentibus mutaverunt in: *nec ... reposcere.* Frustra. *Ne* hic ut saepissime ponitur pro *nedum*, graec. μὴ ὅτι. cf. Sallust. Cat. 11. extr. *Quippe secundae res sapientium animos fatigant, ne illi corruptis moribus victoriae temperarent.* Cic. Fin. 2, 24. id. fam. 9, 26. Liv. 3, 52. Sic Narcissus apud Nostrum. Nam adulteria obiicere gravius est, quam dona reposcere. Ceterum de domo etc. cf. Dio 60, 31. οἰκίαν αὐτῷ βασιλικὴν ἐχαρίσατο, πάντα τὰ τιμιώτατα τῶν τοῦ Κλαυδίου κειμηλίων συμφορήσασα ἐς αὐτὴν.

paratus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. *apparatus* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. Riv. Alc. Sed cf. c. 12. 3, 52. 55. 6, 37.

immo iis, et redderet. Sic MS. Guelf. (*his* pro *iis*) edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. *immo et his redderet* ed. Spir. et test. Broterio plerique MSS. — *immo, et is redderet* MS. Reg., unde Broterius dedit: *frueretur immo. At is redderet.* Ed. Ernest. *fr. i. iis, sed r.* Edd. Oberl. sqq. *fr. i. iis: at redderet.* Frustra. Nam *et*, quod etiam MS. Bud. habet, plane sic Tacito ponitur. cf. not. ad 1, 13. Quae ratio neque a nostro sermone abhorret: *Nein, möchte er dessen genieſsen und herausgeben die Gemahlin* etc. Namque vis adversativa eo exprimitur, quod verbum *redderet* praeponitur.

an ... nosti? Bene Ricklefs: *Oder weiſst du um deine Scheidung?* Nam *an* constanter incipit alterum membrum disiunctivae sententiae. Iam prius membrum hic quidem deest; latet vero in praecedentibus, ubi ita locutus est Narcissus, tanquam Claudio ignaro discidium illud factum sit. *Nosti*, ut γιγνώσκειν involvit comprobandi, decernendi notionem, ut sententia sit: *Oder ist deine Scheidung mit deiner Einstimmung geschehen?* Sequitur: *Nam .... miles* h. e. ita palam fuit, ut ex tua voluntate fieri omnino videretur.

discidium. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Agr. edd. Spir. Ryck. sqq. *dissidium* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Vid. not. ad 2, 86. *disidium* MS. Guelf.

Cap. 31. *potissimum quemque amicorum.* Edd. vett. et MSS. non habent *quemque.* — MS. Agr. teste Heinsio exhibet: *potissimum quemque amicorum.* Tacet vero Ryckius, quo suspicionem movet de Heinsii mendacio. Potissimi tamen interpretum *quemque* necessario addi aut legendum *potissimos* censent. cf. 13, 18. At si quid recte video, *potissimum amicorum* est

Turranium, post Lusium Getam praetorianis impositum percunctatur. quis fatentibus certatim ceteri circumstrepunt, iret in castra, firmaret praetorias cohortes, securitati ante quam vindictae consuleret. Satis constat eo pavore offusum Claudium, ut identidem interrogaret, an ipse imperii potens? an Silius privatus esset? At Messallina, non alias solutior luxu, adulto autumno simulacrum vindemiae per domum celebrabat. urgeri praela, fluere lacus: et feminae pellibus accinctae adsultabant ut sacrificantes vel insanientes Bacchae: ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, iuxtaque Silius hedera vinctus gerere cothurnos, iacere caput, strepente circum procaci choro. Ferunt Vettium Valentem lascivia in praeal-

τὸ κράτιστον τῶν ἑταιρῶν h. e. summam potissimorum amicorum. Sic 15, 61. *quod erat saevienti principi intimum consiliorum* (de Poppaea et Tigellino). Germ. c. 35. *plurimum virorum equorumque.*

Turranium. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. cf. 1, 7. *Turranum* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *turanium* MS. Guelf.

post Lusium. Sic MSS. Flor. (t. V.) Guelf. Bud. edd. Spir. et recentt. auctore Lipsio. — *post Luscium* edd. Put. M. et V. Beroald. *post Lucium* edd. Alc. Rhenan. Ald.

impositum percunctatur. Ed. Spir. *in posterum percontatur.*

quis. Sic MS. Flor. (test. Iac. Gron.; Vict. intactum reliquit *quibus*) edd. Iac. Gron. Bekk. Kiessl. — *quibus* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

fatentibus. Sic MSS. Flor. (test. Pich. et Iac. Gron. Consentit Vict. per silentium) Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *tacentibus* Lipsii MSS. ed. Spir. At MS. Agr. *quibus dubitantibus et incertis ceteri c.* Mox ante *certatim* addunt *tum* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq., omittunt MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Oberlin. sqq. — Guelf. post *fatentibus* habet *ticium.*

certatim. MS. Flor. (test. Vict. et Iac. Gron.) corrupte *certium.*

praetorias. Ed. Spir. *praetorianas.*

non alias solutior. Ed. Spir. *quā nō alia solutior.*

autumno. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silentio V.) Alc. Rhen. sqq., non *auctumno.*

celebrabat. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Agr. edd. Rhen. Ald. Lips. Kiessl. Vulgo edunt *celebrat,* quod est in edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Ex interpretamento MS. Guelf. *simulabat.*

praela. Sic edd. Lips. sqq. — Vett. libri *prela.* Pro *pellibus* MSS. Oxon. et Guelf. *nebridibus* cf. Stat. Theb. 2, 664.

adsultabant. Sic ed. Spir. Ceterae vett. *assultabant* (cum silentio Vict.). cf. 1, 51. 2, 13.

Bacchae. Ed. Sp. cum MS. Guelf. *bachae.* Pro *crine fluxo* MS. Oxon. *crine fuso*, quod satis placet. cf. Ov. Metam. 8, 540. Virg. Aen. 10, 137.

thyrsum. Ed. Spir. *thirsum.*

iuxtaque. Ed. Spir. *iuxta quam.* Pro *vinctus* MS. Guelf. *iunctus,* vulgari confusione.

cothurnos. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *coturnos.*

Vettium Valentem. Ed. Spir. *vecium valentem.* Littera minuscula initiali *valentem* etiam edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — MS. Bud. *fertur, nerticium* pro *ferunt Vettium.* Ceterum pro vulgato

tam arborem connisum interrogantibus, quid aspiceret? respondisse tempestatem ab Ostia atrocem, sive coeperat ea species, seu forte lapsa vox in praesagium vertit.

XXXII. Non rumor interea, sed undique nuntii incedunt, qui gnara Claudio cuncta et venire promptum ultioni adferrent. Igitur Messallina Lucullianos in hortos, Silius dissimulando metu ad munia fori digrediuntur. ceteris passim dilabentibus adfuere centuriones inditaque sunt vincla, ut quis reperiebatur in publico aut per latebras. Messallina tamen, quanquam res adversae consilium eximerent, ire obviam et aspici a marito, quod saepe subsidium habuerat, haud segniter intendit iussitque, ut Britannicus et Octavia in complexum pa-

Vectium scripsi *Vettium*. Vid. not. ad 15, 3.

connisum. Ed. Spir. c. MS. Guelf. (sec. m.) *connixum*. Edd. Put. M. et V. *connissum*.

coeperat. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. et MSS. Reg. Ies. Vulgo c. MS. Guelf. edunt *ceperat* (sc. animum) Lipsio auctore. Sane permutantur saepissime in vett. libris *coepi* et *cepi*; huic tamen loco *coeperat* (h. e. exstiterat) egregie convenit.

Cap. 32. *incedunt*. H. e. *treten auf*. cf. not. ad 1, 35. Perperam Heinsius censebat tollendum *incedunt*, vel *intendi* legendum. Pro *adferrent* MS. Guelf. *offerrent*.

gnara. Edd. Puteol. M. et V. *ignara*.

Lucullianos. MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Guelf. ed. Spir. *Fucilianos*. Sic et MSS. apud Broterium. MS. Bud. *fultianos*. MSS. Reg. et Agric. *Lucilianos*. Infr. c. 37. MSS. Flor. Reg. Agr. ed. Spir. *Lucilianis*, — MS. Bud. *Lucianis*. Utroque loco edd. Put. M. et V. *Lucillian*. Edd. Beroald. Alc. Rhen. *Lucullianos*, eosque hortos esse intelligendos satis constat e Ioann. Antioch. ab interpretibus laudato, tum potissimum, unde ille hausit, e Dion. 60, 31. cf. not. ad c. 1.

hortos. Edd. Spir. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. *ortos*. cf. not. ad c. 1.

dissimulando metu. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. Rhenan. sqq. *dissimulando metum* MSS. Bud. et Flor. (test. Iac. Gronovio). *dissimulato* MS. Guelf. cf. 15, 69.

digrediuntur. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) edd. Spir. Pich. sqq. *digreditur* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

dilabentibus. Sic MSS. Flor. (t. V.) Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. — Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *dillabentibus*.

adfuere. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. — *affuere* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. *adfuerunt* ed. Spir.

vincla. Sic MSS. Flor. (t. V.) Guelf. *vincula* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

eximerent. Sic MSS. Flor. (t. Vict. c. al.) Bud. Agr. Guelf. Reg. Bodl. edd. Spir. Ernest. sqq. *adimerent* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Sic 1, 32. *eximere constantiam*.

tris pergerent. et Vibidiam virginum Vestalium vetustissimam oravit pontificis maximi aures adire, clementiam expetere. atque interim tribus omnino comitantibus (id repente solitudinis erat) spatium urbis pedibus emensa vehiculo, quo purgamenta hortorum eripiuntur, Ostiensem viam intrat, nulla cuiusquam misericordia, quia flagitiorum deformitas praevalebat.

XXXIII. Trepidabatur nihilominus a Caesare: quippe Getae praetorii praefecto haud satis fidebat ad honesta seu prava iuxta levi. ergo Narcissus, adsumptis quibus idem metus, non aliam spem incolumitatis Caesaris adfirmat, quam si ius militum uno illo die in aliquem libertorum transferret, seque offert suscepturum. ac ne, dum in urbem vehitur, ad poenitentiam a L. Vitellio et P. Largo Caecina mutaretur, in eodem gestamine sedem poscit sumitque.

aspici a marito. Ed. Spir. *auspicia marito.* Mox eadem omittit *saepe.*

iussitque, ut. cf. not. ad 4, 72. Voluit Britannicum et Octaviam pergere, neque tamen praesentibus id praecepit, sed imperavit servitiis suis, ut Britannicum et O. monerent pergere in complexum patris. Hoc inest formulae *iussit ut.* MS. Guelf. *iussique.*

virginum Vest. Quarum intercessione saepius usos homines Romanos deprehendimus. cf. Suet. Iul. c. 1. Tac. Hist. 3, 81. Cic. pro Font. c. 17.

adire ... expetere. MS. Agr. *adiret ... expeteret.* Utraque dicendi forma bona est.

eripiuntur. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — Ed. Spir. *reperiuntur;* MS. Reg. *expuuntur.* Virorum doctorum coniecturae: *excipiuntur, egeruntur, exportantur.* Vulgatum pro vero habeo; nam egregie exprimit festinationem, qua eiusmodi opus fieri solet.

intrat. MS. Guelf. *intrant.*

cuiusquam. Ed. Spir. *cuiuscunque.*

flagitiorum. Ed. Spir. *vitiorum.*

Cap. 33. *honesta seu prava.* Ed. Spir. *honesta prava,* omisso *seu.*

ius. Ed. Spir. c. MS. Guelf. *vis,* vulgari confusione.

ac ne, dum in urbem vehitur. Ed. Spir. *ac nedum in urbe refert vehitur.* Mox vett. libri non habent *et* post *Vitellio* (c. sil. Vict.). Addidit Broterius, quia in MS. Reg. invenit: *a P. Largo C.* Sed cur non dedit *ac?* MS. Bud. omittit *Largo.*

mutaretur. MS. Guelf. *invitaretur.*

poscit. Ed. Spir. *positus.*

sumitque. Ernestius e MS. Flor. cum Pichena adfert *assumitque,* Iac. Gron. *is sumitque.* Victorius intactum reliquit *sumitque.* MS. Bodl. *insumitque.* Vulgatum tuentur MSS. Reg. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *Adsumit* de Narcisso recte dici nequit; nam hic non *adsumpsit,* sed Claudius Narcissum. cf. Plin. epp.

XXXIV. Crebra post haec fama fuit, inter diversas principis voces, cum modo incusaret flagitia uxoris, aliquando ad memoriam coniugii et infantiam liberorum revolveretur, non aliud prolocutum Vitellium quam „o „facinus! o scelus!" Instabat quidem Narcissus aperire ambages et veri copiam facere: sed non ideo pervicit, quin suspensa et, quo ducerentur, inclinatura responderet exemploque eius Largus Caecina uteretur. Et iam erat in aspectu Messallina clamitabatque, audiret Octaviae et Britannici matrem, cum obstreperet accusator Silium et nuptias referens: simul codicillos libidinum indices tradidit, quis visus Caesaris averteret. Nec multo post urbem ingredienti offerebantur communes liberi, nisi Narcissus amoveri eos iussisset. Vibidiam depellere nequivit, quin multa cum invidia flagitaret, ne indefensa coniunx exitio daretur. igitur auditurum principem et fore diluendi criminis facultatem respondit: iret interim virgo et sacra capesseret.

3, 1. *Mox vehiculum ascendit, assumit uxorem . . . vel aliquem amicorum.* Num fuit *adsumiturque?* Pichena edidit *assumitque* nemine obtemperante.

Cap. 34. *post haec.* Ed. Spir. *post hac* cum MS. Bud.

revolveretur. Ed. Spir. *provolveretur.*

o facinus! o scelus! Ed. Spir. *contra facinus. O scelus.* Mox MS. Guelf. pro *quidem* habet *quippe.* Sed vulgatum bene se habet ob sequentia: *sed non* etc.

exemploque eius. Ed. Spir. non habet *eius.*

audiret. Ed. Spir. *audiri.*

cum obstreperet. Sic MSS. edd. vett. c. silentio Victorii. Ex Acidalii et Freinshemii sententia Ernestius correxit *obstrepere*, „et propter structuram orationis, et quia, si finite ponere voluisset, verbum *obstrepebat* dicendum fuisset." Minime. Si scribis *cum obstrepebat* vel *obstrepere* sententia est, primum Messallinam clamitasse, dein accusatorem obstrepuisse, sine nexu causali. Verum *cum obstreperet* exprimit, Messallina clamitante accusatorem obstrepuisse, sc. ne audiretur. Id sibi voluit auctor.

codicillos. Ed. Spir. *codicellos.*

quis visus. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. Vulgo *quibus*, quod est in ceteris libris.

offerebantur . . . nisi. Cf. not. ad 1, 23. 35. et alibi.

nequivit. MS. Guelf. *nequit.*

quin multa. Sic MSS. Flor. (test. Pichena; Victorius habet *quid*) Guelf. Bodl. (in margine), edd. Spir. Pichen. sqq. *quae multa* MSS. Bud. Bodl. (in contextu) les. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

igitur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. I. Gronovio) Bud. Guelf. edd. Spir. Ernest. sqq. *ergo* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

capesseret. Sic edd. Rhen. sqq. *capesceret* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Ald. (c. sil. Vict.). Propria est ea scriptura libris nonnullis.

XXXV. Mirum inter haec silentium Claudii: Vitellius ignaro propior: omnia liberto obediebant. patefieri domum adulteri atque illuc deduci imperatorem iubet. ac primum in vestibulo effigiem patris Silii consulto senatus abolitam demonstrat: tum quidquid avitum Neronibus et Drusis in pretium probri cessisse. incensumque et ad minas erumpentem castris infert, parata concione militum, apud quos praemonente Narcisso pauca verba fecit: nam etsi iustum dolorem pudor impediebat. Cohortium clamor dehinc continuus nomina reorum et poenas flagitantium: admotusque Silius tribunali non defensionem, non moras tentavit, precatus ut mors adceleraretur. eadem constantia et inlustres equites Romanos cupidos maturae necis fecit. Titium Proculum custodem a Silio Messallinae datum, et indi-

Cap. 35. *inter haec.* Ed. Spir. *inter hoc*, cum MS. Guelf.

Vitellius. Ed. Spir. *Iulius.*

abolitam. Ed. Spir. *abditam.* Etenim crimine maiestatis damnatus ille. cf. 4, 19.

quidquid. Edd. vett. c. MS. Guelf. *quicquid*, cum silentio Victorii. Alibi is corrigit *quidquid.*

avitum. Ex emendatione Chifletii, quam suadentibus Lipsio, Faërno aliisque in locum recepit Ernestius. cf. not. ad 13, 34. 14, 18. — *habitum* MS. Guelf. edd. vett. cum silentio Vict.

pretium. Sic MS. Flor. test. Vict. *precium* edd. vett.

incensumque. MS. Guelf. *incessumque.*

erumpentem. Sic MSS. Flor. (t. Vict. c. Iac. Gronov.) Guelf. Bud. et MSS. Broterii, edd. Spir. Ernest. sqq. *prorumpentem* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

concione. Sic edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *contione* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V.

cohortium clamor dehinc continuus. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Contra *continuus dehinc cohortium clamor* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Ernest. sqq. Sed Tacitus non in eo est, ut referat *continuum* fuisse coh. clamorem; immo nunc primum dicit *cohortium clamorem* exstitisse eumque *continuum.* Igitur postponendum erat epitheton.

constantia. Ed. Spir. *instantia.*

inlustres. cf. 2, 59. 1, 7. 11. 41. 50 etc. MS. Bud. et ed. Spir. inter *illustres* et *equites* addunt *viros.* MS. Flor. (test. Vict.) *eadem c. et ill. equites Romani cupido m. n. fuit.* Quae ut sensum habeant, interpunge post *Romani* et repete *eadem* ante *cupido.* Sed vulgata vera sunt. *Maturae* non est in MS. Bud.

custodem a Silio Messallinae datum. Sic edd. recentt. e MS. Flor. (test. Pichena). Victorius tamen scripturam Ber. intactam reliquit. Nempe edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. habent *custodem Silio ac Messallinae dat*, aperto vitio. MSS. Bud. Guelf. *Silio et Messallinae dant.* Lipsius dederat: *custodem M. datum*, e coniect. Rhenani et sec. MS. Vat. qui habet: *custodem Messallinae dat*, aliena manu deinde adpictum *ac Silio.* MS. Guelf. ante *Titium* addit *et.*

cium offerentem Vettium Valentem et confessum, et Pompeium Urbicum ac Saufellum Trogum ex consciis tradi ad supplicium iubet. Decrius quoque Calpurnianus vigilum praefectus, Sulpicius Rufus ludi procurator, Iuncus Virgilianus senator eadem poena adfecti.

XXXVI. Solus Mnester cunctationem attulit dilaniata veste clamitans, aspiceret verberum notas, reminisceretur vocis, qua se obnoxium iussis Messallinae dedisset. aliis largitione aut spei magnitudine, sibi ex necessitate culpam: nec cuiquam ante pereundum fuisse, si Silius rerum potiretur. Commotum his et pronum ad

Vettium Valentem. Ed. Spir. *Vecium valentem.* Ceteri libri *Vectium.* cf. not. ad c. 31. Eadem ed. Spir. cum edd. Put. M. et V. Ber. Alc. ante *confessum* addit *et.* Scribunt enim *ualentem et confessum.* A MS. Flor. illud *et* abesse testatur Victorius, a Bud. Oberlinus; neque exstat in Guelf. Expunxit Rhenanus. Reposuit Lipsius. Oberlinus cum Lallemando putat in *confessum* latere nomen cuiusdam e consciis. Sed haec coniectura satis dubia esse videtur, quum *confessum* (h. e. postquam indicium oblatum ediderat) non sit alienum ab hoc loco.

Urbicum. MS. Guelf. *Vibium.* Ed. Put. V. *uibicum.*

Saufellum. Ed. Spir. *Saufelium.* Sic et MS. Vat. Lipsii, qui malebat *Saufeium.* MS. Bud. *Saufelum.*

tradi. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. — *trahi* dedere sequentes editores (Lips. Pich. etc.) e coniectura Rhenani. Sed cur non *tradi?* cf. Sueton. Calig. c. 32. *servum carnifici confestim tradidit.* Id. Vit. c. 14. *quendam supplicio traditum.*

Decrius. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. (cf. 3, 20.). Ed. Spir. parum abest, dum edit *Deorius.* Edd. Put. M. et V. *Decus.* Edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. *Decius*, quod hodie vulgatur. MS. Guelf. *Detius.*

Calpurnianus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. recentt. inde a Lipsii prima. *Calphurnianus* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. c. MS. Guelf.

vigilum praefectus. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. MS. Bud. *vigiliis praefectus.* Ed. Spir. *Virgilius praefectus.*

Rufus. Sic MS. Guelf. edd. Ber. (c. silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. *ruffus* edd. Spir. Put. M. et V.

Iuncus Virgilianus. Sic edd. recentt. inde a Lipsii prima. *Iuncus Vergilianus* edd. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Rhenan. Ald. *Iuncus: Vergilianus* edd. Put. M. et V. *Luncus: Vergilianus* ed. Spir. *Iuncrus V.* MS. Guelf.

adfecti. Ed. Spir. addit *sunt.*

Cap. 36. *Mnester.* Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. et Lips. sqq. Consentit MS. Bud. — *M. Nestor* edd. Rhen. Ald. — *minister* ed. Spir. *menester* MS. Guelf.

cunctationem. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. et recentt. inde a Pichena. *contationem* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

attulit. Sic libri vett.; non *adtulit.* Mox ed. Spir. ante *clamitans* addit *enim.*

aspiceret. MS. Guelf. *aspicere*, mox *reminiscerent.*

vocis, qua etc. cf. Dio 60, 22.

rerum. Ed. Spir. *rebus.*

potiretur. MS. Flor. (test. Vict.) *poteretur.* Pro *perpulere* MS. Bud. dat *pepulere.*

misericordiam Caesarem perpulere liberti, ne tot inlustribus viris interfectis histrioni consuleretur: sponte an coactus tam magna peccavisset, nihil referre. Ne Trauli quidem Montani equitis Romani defensio recepta est. is modesta iuventa, sed corpore insigni, accitus ultro noctemque intra unam a Messallina proturbatus erat paribus lasciviis ad cupidinem et fastidia. Suilio Caesonino et Plautio Laterano mors remittitur, huic ob patrui egregium meritum: Caesoninus vitiis protectus est, tanquam in illo foedissimo coetu passus muliebria.

XXXVII. Interim Messallina Lucullianis in hortis prolatare vitam, componere preces, nonnulla spe et aliquando ira: tanta inter extrema superbia agebat. ac ni caedem eius Narcissus properavisset, verterat pernicies in accusatorem. Nam Claudius domum regressus et tempestivis epulis delenitus, ubi vino incaluit, iri

ne tot. Sic MS. Guelf. edd. Ber. (c. silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. — Edd. Put. M. et V. *nec tot.* Ed. Spir. non habet coniunctionem.

tam magna. Edd. Beroald. Alc. *tam magne.* Correxit Vict. e MS. Flor *tam magna*, quod reposuit Rhenanus. MS. Guelf. omittit *tam.* Pro *peccavisset* MS. Oxon. habet *patravisset.*

proturbatus. Ed. Spir. *perturbatus.* Sic et MS. Guelf.

fastidia. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. edd. Put. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Pich. sqq. *fastidio* edd. Spir. Lips. Heinsius emendabat: *paris lasciviae ad cupidinem et fastidia.*

Suilio Caesonino. Ed. Spir. *Suillo Censonio*, mox *Cesonnius.*

Plautio Laterano. Ed. Spir. *Plaucio latāno.* Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *Plantio Laterano.* Edd. Rhen. sqq. *Plautio L.*

coetu. Ed. Spir. *coitu.*

Cap. 37. *Lucullianis.* Sic edd. Alc. Rhenan. sqq. MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Put. M. et V. *Lucullianis.* Ed. Beroald. *Luculianis.* MS. Guelf. *Lucianis.*

tanta i. e. s. agebat. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — At MS. Flor. (t. V.) ed. Spir. *tantum i. e. s. egebat.* In MS. Bud. etiam a pr. m. esse *tantum* testatur Oberlinus, et si respicias illa, *prolatare vitam, componere preces*, eguisse potius quam egisse superbia videri posset; sin reputes hoc, *et aliquando ira*, melior erit vulgata scriptura.

pernicies. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. *perniciem* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc..

accusatorem. Ed. Spir. *accusatores.*

epulis. Ed. Spir. *epistolis.*

delenitus. Sic MS. Flor. (test. Vict.) Vulgo *delinitus.* Cf. not. ad 2, 33. Hist. 1, 77. et An. 13, 44. 15, 63.

ubi. Ed. Spir. *et ubi.*

incaluit. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Ald. Bernegg. sqq. Edd. Rhen. Lips. Pich. Grut. ex emendatione *incaluisset.* Perperam et contra omnes libros vett.

iubet nuntiarique miserae (hoc enim verbo usum ferunt) dicendam ad causam postera die adesset. quod ubi auditum et languescere ira, redire amor, ac si cunctarentur, propinqua nox et uxorii cubiculi memoria timebantur, prorumpit Narcissus denuntiatque centurionibus et tribuno, qui aderat, exsequi caedem: ita imperatorem iubere. Custos et exactor e libertis Evodus datus. isque raptim in hortos praegressus repperit fusam humi adsidente matre Lepida, quae florenti filiae haud concors supremis eius necessitatibus ad miserationem evicta erat, suadebatque, ne percussorem opperiretur. transisse vitam neque aliud quam morti decus quaerendum. Sed animo per libidines corrupto nihil honestum inerat: lacrimaeque et questus inriti ducebantur, cum impetu ve-

ferunt. Abest a MS. Oxon. (Iac. Gronov.)

redire. Ed. Spir. *et redire*, puncto posito post *amor.* Melius abest alterum *et.*

cunctarentur. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. et recentt. inde a Pich. et Gruter. *contarentur* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips.

prorumpit. Sic edd. Pichen. sqq. tanquam e MS. Flor. Consentit MS. Bud. Victorius tamen de Flor. tacet intactumque relinquit *prorupit*, quod est in ceteris libris. Vix credo Pichenam verum vidisse; tempus *pronuntiatque* non necessario requirit *prorumpit.* cf. not. ad 2, 7.

denuntiatque. Sic edd. Lips. sqq. — Vett. edd. *denunciatque.*

qui aderat. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *qui aderant* MS. Guelf. edd. Put. M. Ber. Alc. Rhen. sqq. *qui aderantur* ed. Put. V.

datus. Ed. Spir. c. MS. Guelf. *datur.* Antea *custos et exactor* eadem. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. omittunt *et* cum sil. Vict. Lipsius restituit copulam.

raptim. Ed. Spir. *ruptim.*

praegressus. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Ryck. I. Gronov. Ernest. sqq. *progressus* MS. Guelf. edd. Rhen. (e MS. Bud.) Ald. sqq. usque ad Ryckium. Ed. Bernegger. tamen *praegressus.* Propter compendium scripturae sexcenties permutantur *prae* et *pro.* cf. not. ad 15, 66. 3, 5. Hist. 2, 4. 5, 23. 25. Ed. Spir. *pergressus.* MS. Flor. *p̄gressus* h. e. *praegr.*

opperiretur. Ed. Spir. *operiretur.*

transisse. Ed. Spir. *transiuisse.*

neque aliud. MS. Bud. *neque quicquam aliud.*

morti. Sic libri omnes praeter edd. Rhenan. Ald. sqq. usque ad Lipsium, quae vitio operarum, ut videtur, habent *morte.*

libidines. Ed. Spir. *libidinem.*

lacrimaeque. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. et recentt. inde a Iac. Gronov. *lachrymaeque* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. *lacrymaeque* edd. Lips. sqq. ad Iac. Gronov.

ducebantur. Sic 2, 34. *sermonibus variis tempus atque iter ducens.*

cum impetu. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) edd. Spir. Pichen. sqq. *Tum impetu* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. cum MSS. Bud. Guelf.

nientium pulsae fores adstititque tribunus per silentium, at libertus increpans multis et servilibus probris.

XXXVIII. Tunc primum fortunam suam introspexit ferrumque accepit, quod frustra iugulo ac pectori per trepidationem admovens ictu tribuni transfigitur. corpus matri concessum. nuntiatumque Claudio epulanti perisse Messallinam, non distincto sua an aliena manu. nec ille quaesivit: poposcitque poculum et solita convivio celebravit. ne secutis quidem diebus odii, gaudii, irae, tristitiae, ullius denique humani adfectus signa dedit, non cum laetantes accusatores aspiceret, non cum filios maerentes. iuvitque oblivionem eius senatus censendo nomen et effigies privatis ac publicis locis demovendas. Decreta Narcisso quaestoria insignia, levissimum fastidii

adstititque. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Guelf. Bud. edd. Spir. Put. M. Pich. sqq. (Scribunt tamen nonnulli *astititque.*) Copulam *que* negligunt edd. Put. V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq.

at libertus. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pichena) edd. Pich. sqq. *ac libertus* MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. ceteraeque vett.

increpans. MS. Guelf. *increpitans.*

et servilibus. Sic MSS. Bud. Flor. (test. Iac. Gronov.) ed. Spir. *ac servilibus* MS. Guelf. edd. Put. sqq.

Cap. 38. *introspexit.* MS. Guelf. *intro aspexit.*

ac pectori. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Rhen. sqq. *ac prectori* MS. Guelf. *aut pectori* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. et sic in MS. Flor. se invenisse profitetur Iac. Gronovius.

transfigitur. Lipsius malebat *transigitur.* Nulla tamen adest mutandi necessitas; quanquam Iac. Gronovius testatur fratrem ita legisse in MS. Flor.

concessum. Ed. Spir. addit *est.*

nuntiatumque. Ed. Spir. *nunciatumque est.*

perisse. Sic vett. libri mei omnes et sqq. — Edd. Oberlin. sqq. *periisse.* Bekkerus veterem formam restituit.

ne secutis quidem. Ed. Spir. *nec secutis quidem.*

adfectus. Edd. Beroald. Alc. *effectus.*

ac publicis. Sic MS. Bud. et inde edd. Rhenan. sqq. Consentit ed. Spir. Contra MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. *et publicis.*

fastidii. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum al.) Vaticc. 1863 et 1864. edd. Spir. Ernest. Oberlin. sqq. — *fastigii* MSS. Vat. 1958. Harl. Bodl. Ies. Reg. Guelf. Agr. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Utrum sit verum, vix aliter discerni poterit quam ex auctoritate librorum. Nam pro *fastigii* est locus An. 3, 29. *ac tamen initia fastigii Caesaribus erant*; pro *fastidii* locus Plin. epp. 8, 6. *Placuit aere signari omnes honores fastidiosissimi mancipii* (Pallantis), *quosque repudiasset, quosque, quantum ad decernentes pertinet, gessisset.* Id. Paneg. c. 55. *Ut appareat, non superbia et fastidio te amplissimos honores repudiare, qui minores non dedigneris.* At quaerit Ernestius: „*quis* dicat *leve fastidii* vel *fastigii?* Immo *fastidio* vel *fastidiis* potius legendum."

eius, cum supra Pallantem et Callistum ageret. * honesta quidem, sed ex quibus deterrima orirentur, tristitiis multis.

Respondeo aliud esse *levissimum fastidii eius* quam *leve fastidii.* Nam *fastidium* hic dici pro *adrogantia*, *superbia*, facile intelligitur. Iam *fastidium* est summa rerum, quis ille superbiebat, et *levissimum fastidii eius* est levissimum ex iis, quae sibi adrogabat vel levissima pars earum rerum, quibus fastus eius nitebatur (genitivus partitivus). Germanice: *der geringste Gegenstand seines Uebermuths.* Sic 12, 28. *modica pars famae eius apud posteros* h. e. modica pars earum rerum, quibus fama eius nitebatur apud posteros.

supra. Sic MS. Flor., non totidem litteris, sed per compendium quod Ryckius interpretabatur *super*, Iac. Gronovius *supra.* Dicunt eandem notam inveniri c. 28. in verbo *superesset;* 12, 9. Hist. 1, 51. Victorius scripturam Beroaldinam reliquit intactam, nempe *secundum*, quod est in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. usque ad Ryckium. De MSS. Agr. Bud. ita tacent, ut idem inesse videatur.

ageret. Ed. Spir. *egeret.*

* *honesta quidem.* Vett. edd. haec legunt sic: *ageret honesta quidem* etc. Put. M. et V. — *egeret honesta quidem* ed. Spir. — *ageret*, *honesta quidem* edd. Alc. Rhenan. sqq. Sed cum verbo *ageret* coniungi *honesta* quis hic feret? Ut *honesta* referas ad *quaestoria insignia* et interposita parenthesi circumdes, propterea ineptum est, quia e quaestoriis insignibus certe *deterrima* illa non sunt orta. Hinc Ryckius, Ernestius aliique interpungunt: *ageret. Honesta quidem* etc., ut Tacitus brevi hoc epiphonemate sententiam suam super Messallinae caede a Narcisso perpetrata proferre voluisse videatur. Sed Ernestius insuper existimat, hic verba quaedam excidisse, velut: *haec tum acta flagitiis M. ulciscendis* aut simile quid. cf. An. 3, 19. et 11, 26. Arbitror Ernestium vidisse verum.

ex quibus. Ed. Spir. *ex quis.*

orirentur. MS. Flor. (test. Vict.) *orerentur.* cf. not. ad 3, 61. MS. Guelf. *orientur.*

tristitiis multis. Sic MSS. Flor. (t. V.) Guelf. edd. Spir. (haec *tristiciis*) Ernest. Broter. Oberl. sqq. — MS. Bud. *tristitiis inultis.* — *Flagitiis multis* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. et MSS. quidam apud Broterium. — *flagitiis inultis* edd. Rhenan. sqq. et MSS. Vaticc. 1863 et 1864. — Bip. coniect. *tristitiis mutatis* i. e. ut tristibus tristiora succederent (?). Hiller. Rac. 35. *astutiis multis.* Rupertius *tristitiae* vel *tristissima multis.* Sed de emendandis hisce verbis tum demum cogitabimus, cum totus locus erit salvus.

C. CORNELII TACITI

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI ANNALIUM

LIBER DUODECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. 2. Claudius de matrimonio cum libertis deliberat. 3. Agrippina Germanici fratris eius filia aliis praelata L. Silano, cui desponsa Octavia, insidias struit 4. administro Vitellio, 5—7. cuius artibus inducti senatus populusque infames nuptias probant. 8. Silanus mortem sibi consciscit. Seneca ab exsilio redux studiis Neronis praeest, 9. cui despondetur Octavia.

10. Parthi regem Roma petunt Meherdatem, 11. quem missum a Claudio Cassius in regnum ducere conatur. 12. Obstat fraus Acbari et 13. Izatis. 14. Victus Meherdates Gotarzi traditur. Hoc mortuo regnum in Vononem, dein Vologesem transfertur. 15. Mithridati regnum Ponti reciperare niso Romani resistunt et Cotys et Eunones. 16. Uspe urbe capta 17. Zorsines deserit Mithridatem, qui 18. supplex Eunoni 19—21. per eum a principe veniam impetrat Romamque perducitur.

22. Agrippinae artibus Lollia cedere Italia iubetur, Calpurnia pervertitur. 23. Salutis augurium. Pomerium urbis prolatum, 24. et qui olim protulerint.

25. Nero Domitius a Claudio adoptatur auctoritate Pallantis. 26. Britannicus depressus. 27. 28. Colonia in Ubios deducta. Catti latrocinia agitantes vincuntur. 29. 30. Vannius Suevorum rex a suis pulsus.

31. In Britannia turbantes reprimit Ostorius Icenos, 32. Cangos, Brigantas. 33—35. Silurum regem Caractacum vincit. 36. Is Romam perductus 37. mascule Caesarem adloquitur et veniam impetrat. 38. 39. Britanni vires reparant. Ostorius obtentis triumphi insignibus obit. 40. Ei Didius suffectus. Bellum intestinum Venutii et Cartismanduae.

41. Neroni virilis toga maturatur posthabito Britannico. 42. Burrus praetorio praefectus. Agrippinae adrogantia. Vitellio favet. 43. Prodigia Romae. Caritas annonae.

44—47. Bellum Armenios inter et Iberos. Rhadamistus Pharasmanis filius Iberus specie foederis Mithridatem invadit, vinclis onerat, interimit. 48. Quadratus Syriae praeses de ultione deliberat. 49. Pelignus Rhadamistum temere regium insigne sumere hortatur. 50. Parthi Armeniam invadunt. 51. Rhadamistus a suis pellitur. Zenobia coniunx ab eo vulnerata aegre servatur.

52. Furius Scribonianus relegatus. S. C. de mathematicis. 53. S. C. Claudianum de feminis, quae servis coniungerentur. Adulatio in Pallantem. 54. Felix et Ventidius turbant Iudaeam. Quadratus quietem reddit. 55. Motus in Cilicia sedat rex Antiochus.

56. Lacus Fucinus emissus et in eo navale spectaculum 57. et convivium cum periculo. 58. Nero ducit Octaviam. 59. Statilius Taurus eversus. 60. Procuratorum in provinciis auctoritas aucta. 61. Cois concessa immunitas. 62. 63. Byzantiis tributum ad tempus remissum. eius urbis situs.

64. Prodigia Claudianae necis. 65. Lepidae mors indicta. Narcissi liberae voces. 66. 67. Claudium Agrippina veneno tollit. 68. Nero primordia imperii capit. 69. Funus et consecratio Claudii. Gesta haec annis sex

C. POMPEIO ET Q. VERANIO
C. ANTISTIO ET M. SUILIO RUFO
TI. CLAUDIO V. ET SER. CORNELIO ORFITO
P. CORNELIO SULLA ET L. SALVIO OTHONE
D. IUNIO SILANO ET Q. HATERIO
M. ASINIO MARCELLO ET M'. ACILIO AVIOLA COSS.

I. Caede Messallinae convulsa principis domus, orto apud libertos certamine quis deligeret uxorem Claudio caelibis vitae intoleranti et coniugum imperiis obnoxio. nec minore ambitu feminae exarserant: suam quaeque nobilitatem, formam, opes contendere ac digna

COMMENTARIUS.

Cap. 1. *caelibis vitae intoleranti.* Ex emendatione Pichenae, quam cum Pichena recepere I. Fr. Gronov. Ryck. Ernest. sqq. — MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Vatic. 1863. ed. Spir. *caelibis* (s. *celibis*) *vitae intonanti.* MSS. Guelf. Vaticc. 1864 et 1958 Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *caelibi* (s. *celibi*) *vitae intonanti.* (MS. Guelf. interpungit ante *intonanti.*) MS. Agr. *caelibis vitae insolenti.* Spero neminem fore, qui adhuc de veritate emendationis dubitet. Nam *intonanti*, quidquid disserunt pro ea voce Lipsius et Salinerius, invito certe Tacito adest.

coniugum imperiis. MS. Guelf. *coniugiū.* Ed. Spir. *coniugibus imperatoriis.*

opes. Ed. Spir. *opem*, quod placet Broterio ob locum poetae apud Cic. Tuscul. 3, 19. *Ope barbarica tectis caelatis* etc. Sed ibi vocabulum *ope* alio sensu dicitur.

contendere. Interpretantur: „suam nobilitatem etc. cum aliorum conferendo extollere ac praeferre." Convertunt: *erheben* (Stromb.), quod verbo non inest; *wetteifernd aufstellen* (Rickl.). Maluerim: *zusammenstellen*, sc. ut nobilitas, forma, opes simul efficerent, quod unum sine altero efficere nequiret. Sic 13, 3. *vetera et praesentia contendere*, h. e. inter se comparare, an haec illis respondeant. Germ. c. 26. *nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt.* cf. ib. not.

ac digna. Sic edd. Spir. Lips. Pich. sqq. Testantur in MS. Flor. sicut in MSS. Guelf. aliisque esse *dignam*, quod habent edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Hinc recentiorum editorum alii c. Bipont. praeferunt

tanto matrimonio ostentare. sed maxime ambigebatur inter Lolliam Paullinam M. Lollii consularis filiam et Iuliam Agrippinam Germanico genitam: huic Pallas, illi Callistus fautores aderant. at Aelia Petina e familia Tuberonum Narcisso fovebatur. ipse huc modo, modo illuc, ut quemque suadentium audierat, promptus discordantes in consilium vocat ac promere sententiam et adiicere rationes iubet.

II. Narcissus vetus matrimonium, familiam communem (nam Antonia ex Petina erat), nihil in penatibus eius novum disserebat, si sueta coniunx rediret haudquaquam novercalibus odiis visura Britannicum et Octaviam, proxima suis pignora. Callistus improbatam

dignam, intellecto *se;* alii cum Broter. Lallem. Oberl. *digna*, quod commodius est. Sed iam aliud animadvertendum superest. Victorius testatur in MS. Flor. legi *contenderet* et *ostentaret*, quae forma (optativ. Graecorum) eleganter exprimit, id cuique feminarum fuisse in votis (*jede hätte gern*, *wollte gern* etc.). cf. Cic. Phil. 5, 7. *At ille homo violentus*, *qui hanc consuetudinem libere dicendi excluderet*, *inimicitias mihi denuntiavit*. Quam rationem si admittas, tum haud inepte reposueris *dignam* sc. se.

Lolliam. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Rhenan. sqq. *Loliam* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Mox aeque libri variant inter *Lollii* et *Lolii*. Guelf. etiam *Paulinum* et *Calistus*. Post *consularis* addunt *filiam* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq., omittunt MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Bud. Guelf. ed. Spir. Potest sane intelligi e vocabulo *genitam*, et alibi quoque in simili contextu talia omittuntur. De *Lollia*. cf. Dio 59, 12. Plin. 9, 35.

at Aelia. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Rhenan. sqq. Pro *at* exhibent *et* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. (omnes scribunt *Elia petina*, Guelf. *petinia*, hic et infr.). Ed. Put. M. pro *e familia* habet *est familia*, ut MS. Guelf.

huc modo, *modo illuc*. Sic MS. Flor. (test. Iac. Gronovio) et ed. Spir. *modo huc*, *modo illuc* MS. Guelf. edd. Put. sqq.

ac promere. Ed. Spir. *at pr.* — *consilium* MS. Guelf. edd. vett. omnes cum silentio Victorii. Lipsius ediderat *concilium*, quod I. Gron. MS. Flor. inesse testatur. Ernestius restituit *consilium*.

adiicere. Ed. Spir. *addicere*. Verbum *audierat* non est in MS. Guelf. nec *sententiam*.

Cap. 2. *Narcissus*, Ed. Spir. *Narcisso*. — *vetus matrimonium* cf. Sueton. Claud. c. 26.

familiam. Muretus, Acidalius, Ryckius et Ernestius volunt *filiam*, quia *familia* de uno capite non recte dicatur. At Antonia iam fuerat collocata Cn. Pompeio Magno cf. Dio 60, 5. et post eius caedem Fausto Sullae (cf. Sueton. Claud. c. 27. Zonar. p. 563); hinc ipsa cum marito liberisque apte dici potuit communis Claudio Petinaeque familia.

visura Br. et O. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. aliis) Reg. Agr. Bud. edd. Spir. Lips. Pichen. Gruter. Recte. Nam *videre* in tali contextu est ante oculos habere, tolerare. cf. Hist. 4, 42. *praetorium et con-*

longo discidio ac, si rursus adsumeretur, eo ipso superbam: longeque rectius Lolliam induci, quando nullos liberos genuisset, vacuam aemulatione et privignis parentis loco futuram. At Pallas id maxime in Agrippina laudare, quod Germanici nepotem secum traheret dignum prorsus imperatoria fortuna, stirpem nobilem, et familiae Claudiae quae posteros coniungeret

sularem visuri sumus? Ablativ. *novercalibus odiis* non denotat instrumentum, quo quis videt, sed, ut saepissime, adverbii loco fungitur poniturque pro *cum nov. od.* Hinc non opus est, ut mutes *nov. oculis.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Oberl. sqq. *usuram in Br. et O.* Sed displicet, quod sic in diversam a priore structuram abitur. Commodior sane est scriptura edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. Beregg. sqq. *usura in* etc. Sed auctoritate codicum MSS. destituitur, et potissimi libri tuentur eam, quam revocavi scripturam. Heins. volebat *ursura;* Bipont. *visuram.*

discidio. Sic MSS. Agr. Reg. edd. Spir. Gronov. Ryck. Ernest. sqq. *dissidio* MS. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. cf. not. ad 2, 86. 14, 1. — MS. Guelf. a pr. m. *disidio;* sec. m. addidit alterum *s.* Idem mox *asumeretur.*

rursus. Ed. Spir. *rursum.*

induci. Ed. Spir. *inducit.*

nepotem. MS. Guelf. *nepotes,* quod Ernestius defendi posse autumat similibus apud Nostrum exemplis. Utinam eiusmodi exempla addidisset. Namque spero nullum fore idoneum. In tali quidem contextu enallage numeri intolerabilis est.

dignum. Sic libri vett. omnes praeter MS. Agric., in quo Ryckius et Heinsius testantur esse *dignam,* quod exinde praetulere plerique editores hodieque edunt. Non enim conveniens interpretibus videbatur et in Britannici potius contumeliam dictum, quod Pallas Neronem *dignum prorsus imperatoria fortuna* ferat. Sed *imperatoria fortuna dignum iudicari* nondum est imperatorem destinari; spectat illud tantum ad receptionem in domum imperatoriam, eoque honore dignum dici Neronem quis aegre ferat? Aliqua saltem ratio debuit addi, cur Pallas id maxime in Agrippina laudaret, quod Germanici nepotem secum traheret.

stirpem nobilem. Int. Neronem h. e. natum loco nobili. Nam *stirps* hic valet non de eo, unde aliquis, sed de eo ipso, qui inde natus est, ut saepissime (*ein Sprössling aus edlem Blute*). cf. 1, 58. 12, 25. 2, 4. 37. Liv. 1, 1. Iam vero parum acre parumque decens I. Fr. Gronovio videbatur, eum eodem ordine vocari *stirpem nobilem,* quem ante auctor appellaverit *dignum i. fortuna.* Verum intellige *dignum* de ingenio animique indole, tum non absurdum erit eundem laudari a stirpe nobili.

et familiae Claudiae quae posteros coniungeret ne femina etc. Haec perspicuitatis causa inverso ordine ponuntur pro: *et ne femina exp. fecunditatis, quae* (femina) *fam. Cl. p. coniungeret, integra iuv. cl. C. al. i. d. ferret.* Simili inversione Noster utitur 6, 7. *aut quae ipsis nimia et maesta fuerant, ne pari taedio lecturos adficerent, verentur.* Nempe P. praeter Germanici nepotem, quem secum traheret, id quoque in A. laudabat, quod matrimonio Claudii cum illa inito caveretur, ne femina etc. Nam Nerone in domum imperatoris ob matrimonium matris recepto posteri familiae Claudiae in duas familias

ne femina expertae fecunditatis, integra iuventa, claritudinem Caesarum aliam in domum ferret.

III. Praevaluere haec adiuta Agrippinae inlecebris, quae ad eum per speciem necessitudinis crebro ventitando pellicit patruum, ut praelata ceteris et nondum uxor potentia uxoria iam uteretur. nam ubi sui matri-

tum divisi rursus in unam coniungebantur. Germanice: *Aber Pallas pries dies am meisten an der Agrippina, dafs sie den kaiserlicher Hoheit durchaus würdigen Enkel des Germanicus mit sich führte, einen Spröfsling aus edlem Blute, und dafs sie, welche der Claudischen Familie Nachkommenschaft einigen würde, eine Frau von erprobter Fruchtbarkeit, in frischer Jugend, den Ruhm der Caesaren nicht in ein anderes Haus brächte.* Alii alio modo locum constituunt. Lünemannus sequitur Oberlinum, qui edidit: *traheret, dignam prorsus i. f. stirpem nobilem, et familiae Claudiae quae posteros coniungeret; ne femina expertae fecunditatis, integra i., cl.* etc. quae tamen loci ratio sana esse nequit. Nam si in adpositione accipis verba: *dignam .... nobilem*, intolerabile est vocabulum *nobilem* in fine additum. Sin vero a voce *dignam* novam incipis sententiam, priora nimis nude posita esse videntur. Deest tum ratio, cur id potissimum in Agr. laudarit Pallas, quod G. nepotem secum traheret. Bekkerus eadem habet, nisi quod notam (;) post *coniungeret* mutat in virgulam. Vidit enim, quam inepta sit ratio eorum, qui verba: *ne femina ... ferret* dissuadentium sensu accipiunt. Rupertius vult: *quod ... traheret et stirpem nobilem, dignam prorsus i. f., et f. Cl. q. p. coniungeret.* Scilicet *stirps nobilis trahitur!* Ricklefs tamen felicem praedicabat coniecturam illam et secutus est. Priorum interpretum opiniones non omittam. Lipsius: *et familiae Claudiae, quin posteros coniungeret* (ut quasi hortantis ea sint liberti). I. Fr. Gronovius: *quin stirpem nobilem et familiae Cl. posteros coniungeret.* Heinsius: *at P. — traheret, dignam prorsus* (nempe Agrippinam) *imp. fortuna, stirpe nobilem et familiae Iuliae Claudiaeque, quae posteros coniungeret: ne femina .... domum inferret.* Iac. Gronovius: *stirpem nobilem etiam Iuliae Claudiaeque posteros coniungere.* Ryckius: *stirpe nobilem, et familiae Cl. quae posteros coniungeret.*

ne femina. MS. Reg. ed. Broterii *nec femina*, quod totum locum turbat.

expertae fecunditatis. Sic MS. Agr. edd. Ryck. sqq. suadentibus Pichena et Ursino Faernoque. Ceteri libri omnes *experta fecunditatis.* cf. Hist. 4, 76. *expertum belli.*

Cap. 3. *quae ad eum.* Sic edd. Spir. et recentt. inde a Lipsii prima. Omittunt *quae* MSS. Guelf. Bud. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. Rhen. Ald. Nam MS. Guelf. et Puteolanus coniungunt: *inlecebris ad eum* etc. nulla distinctionis nota. Haud dubie *quae* olim excidit, quod facile potuit fieri ob compendium scripturae. Ab initio cap. MS. Guelf. dat *praevalent* tes'. Strombeckio: *praevaleres* test. Ernestio. Verum hoc verbum ibi est in fine versus eiusque terminatio per compendium scripta, quod significat *praevalere* (*praevalē*). cf. not. ad c. 12. sub v. *exercitare.*

nam ubi. Ed. Spir. *nam sibi.*

monii certa fuit, struere maiora nuptiasque Domitii, quem ex Cn. Aenobarbo genuerat, et Octaviae Caesaris filiae moliri: quod sine scelere perpetrari non poterat, quia L. Silano desponderat Octaviam Caesar iuvenemque et alia clarum insigni triumphalium et gladiatorii muneris magnificentia protulerat ad studia vulgi. sed nihil arduum videbatur in animo principis, cui non iudicium, non odium erat nisi indita et iussa.

IV. Igitur Vitellius nomine censoris serviles fallacias obtegens ingruentiumque dominationum provisor, quo gratiam Agrippinae pararet, consiliis eius implicari, serere crimina in Silanum, cui sane decora et procax soror Iunia Calvina haud multum ante Vitellii nurus fuerat. hinc initium accusationis: fratrumque non incestum, sed incustoditum amorem ad infamiam traxit.

certa. Ed. Spir. *cura.*

Cn. Aenobarbo. Sic MS. Guelf. — Ed. Spir. *G. N. henobarbo*; Put. *Cn. enobarbo.* Inscript. ap. Grut. p. 1087. n. 1. *Ahenobarbus.*

moliri. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Rhen. sqq. *molliri* edd. Beroald. Alc.

poterat. Ed. Spir. *potuerat.*

Silano. Sic edd. recentt. inde a Lips. — *Sillano* ed. Spir. — *Syllano* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silentio Vict.) Alc. Rhenan. Ald. Lips. prima. cf. not. ad 13, 1. De re cf. Dio 60, 31.

alia clarum. Sic Lipsius e MS. Vatic. et Pichena testatur Florentinum congruere. Victorius tamen scripturam Beroald. intactam reliquit. *alias clarum* MSS. Guelf. Bud. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. cf. 1, 55. 2, 46. 3, 11. 3, 73. 4, 31. 69. Parum interest.

insigni. Ed. Spir. *insignia.* Mox MS. Guelf. *munificentia* pro *magnificentia.* Idem, ut fere semper, *quoi* antique pro *cui.*

Cap. 4. *implicari.* Sic libri vett., non *inplicari.*

serere. Sic edd. Put. Beroald. Alc. Bernegg. Gronov. (1672), Ryck. sqq. et ita emendatum est in MS. Vatic. 1958. Sed MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. aliique apud Broterium, edd. Spir. Rhen. sqq. exhibent *ferre*, quod commode intelligi potest de Vitellio criminum in Silanum apud Claudium nuntio. Nam mox Noster pergit: *et praebebat Caesar aures.* Vix abstineo, quin reponam.

cui sane. Ed. Spir. *cuius sane*, haud inepte. Nam *cui* aliquid scabri habet ob verbum *fuerat.*

fratrumque. Sic MSS. Flor. (per compendium *frm̃que*, test. Vict.) Vat. Reg. edd. Spir. Pich. sqq. — *fratremque* MS. Bud. — *fratrisque* MS. Guelf. et plerique MSS. test. Broterio, edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *fraternumque* MS. Agr. Varietas orta est e compendio scripturae, quod superest in MS. Flor. Sententia: ad infamiam traxit amorem fratrum tanquam incestum, quanquam hic fratrum amor non erat incestus, sed incustoditus tantum (*unvorsichtig*).

et praebebat Caesar aures accipiendis adversus generum suspicionibus caritate filiae promptior. At Silanus insidiarum nescius ac forte eo anno praetor repente per edictum Vitellii ordine senatorio movetur, quanquam lecto pridem senatu lustroque condito. simul adfinitatem Claudius diremit, adactusque Silanus eiurare magistratum, et reliquus praeturae dies in Eprium Marcellum collatus est.

V. C. Pompeio, Q. Veranio coss. pactum inter Claudium et Agrippinam matrimonium. iam fama, iam amore inlicito firmabatur, nec dum celebrare solemnia nuptiarum audebant nullo exemplo deductae in domum patrui fratris filiae. quin et incestum, ac si sperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur. nec ante omissa cunctatio quam Vitellius suis artibus id perpetrandum sumpsit. percunctatusque Caesarem, an iussis populi, an auctoritati senatus cederet? ubi ille unum se civium et consensui imparem respondit,

accipiendis. Bene; nam offerebantur suspiciones. Male Heinsius *arripiendis.*

adversus. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber (c. sil. Vict.) Alc. — *adversum* edd. Rhenan. sqq. quod hodieque vulgatur.

suspicionibus. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Alc. Rhen. Lips. sqq. — *suspitionibus* edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Ald.

eiurare. Ed. Spir. *euirare*, vulgari syllabarum confusione. Mox MS. Guelf. *epirum* pro *Eprium.*

Cap. 5. De huius cap. rebus cf. Dio 60, 31. Suet. Claud. c. 26.

Veranio sic edd. Spir. Put. M. et V. Ryck. cf. 2, 56. 74. 3, 10. 13. 17. *Verannio* edd. Alc. Rhenan. sqq. Igitur constantiae causa et hic scribimus *Veranio.* MS. Guelf. *Verania.*

iam fama, iam amore. Ed. Spir. *iam amore illicito, iam fama.* Edd. Put. M. et V. cum MS. Guelf. *iam fama amore,* omisso altero *iam.* Edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. vulgatum ordinem tuentur. Ceterum cum MS. Guelf. edd. Put. Beroald. Rhen. distinxi: *matrimonium. iam f., iam a. i. f., nec dum* etc. Vulgo: *matrimonium iam fama ....; nec dum* etc.

deductae . . . filiae. Sic MSS. Farnes. (t. Lipsio), Bud. et Flor. (t. Pichena; Victorius tamen scripturam Beroald. intactam reliquit) edd. recentt. inde a Pich. — E MS. Vat. 1864. Broterius adfert *deducte*, isque est Farnesianus Lipsii. Ceteri MSS. et vett. edd. *deducta . . . filia.* Quae ratio uti difficilior, ita non inepta est. *Nullo exemplo* ibi ponitur pro *nunquam.* Tres genitivi certe in *patrui fratris filiae* non adeo eleganter sese excipiunt. Mox pro *id* MS. Guelf. habet *ad.*

unum se civium et c. i. MS. Agr. *unum se et civium consensui imparem*, quod placebat Ryckio. Sed meliora sunt vulgata. Modeste loquitur Claudius. Nolebant enim imperatores non videri cives.

consensui. Edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. *consensu.* cf. not. ad 6, 23 et 3, 30.

opperiri intra palatium iubet. ipse curiam ingreditur summamque rem publicam agi obtestans veniam dicendi ante alios exposcit orditurque: Gravissimos principis labores, quis orbem terrae capessat, egere adminiculis, ut domestica cura vacuus in commune consulat. quod porro honestius censoriae mentis levamen quam adsumere coniugem prosperis dubiisque sociam, cui cogitationes intimas, cui parvos liberos tradat, non luxui aut voluptatibus adsuefactus, sed qui prima ab iuventa legibus obtemperavisset.

VI. Postquam haec favorabili oratione praemisit multaque patrum adsentatio sequebatur, capto rursus initio, quando maritandum principem cuncti suaderent, deligi oportere feminam nobilitate, puerperiis, sanctimonia insignem. nec diu anquirendum, quin Agrippina claritudine generis anteiret: datum ab ea fecunditatis experimentum et congruere artes honestas. Id vero egregium, quod provisu deum vidua iungeretur principi sua tantum matrimonia experto. audivisse a parentibus, vidisse ipsos adripi coniuges ad libita Caesarum: procul

opperiri. Ed. Spir. *operiri.*

summamque rem p. Sic edd. Ryck. sqq. — *summamque rei p.* edd. vett. cum MS. Guelf. Sed MS. Flor. (t. I. Gronovio) *summamque R. P.*, infr. 16, 28. *summam rēp.* Ernestius utrumque idem esse contendit. Aliquid tamen discriminis videtur intercedere. *Summa rei publicae* agitur, cum omnis civitatis res atque salus inde pendet. cf. *de summa rerum illic certaret* Hist. 3, 70. *summae rerum et imperii se reservaret.* Hist. 2, 33. *Summa respublica* agitur, cum id agitur, quo nihil in civitate est gravius. Pro *obtestans* MS. Guelf. *ostentans.*

capessat. MS. Flor. test. Vict. *capescat*, ut supra 11, 34. Edd. Spir. et Ald. hic habent *capessat.*

commune. MS. Guelf. *contionem.* Vitium ortum est e compendio *cōe*, quod exstat in edd. Put. M. et V.

censoriae mentis. Intellige Caesaris, cui *censoriam* dat mentem adulatione, h. e. gravitate insignem gravibusque rebus semper occupatam. cf. Plin. epp. 3, 20. *Audiebat senatus gravitate censoria.* Respicit Vitellius ad dignitatem Claudii censoriam. cf. Sueton. Claud. c. 16. Pro *censoriae* MS. Farnes. habet *Caesaris*; hinc Acidalius et Pichena volebant *Caesareae.* Frustra.

dubiisque. MS. Guelf. *dubiis* sine copula.

luxui. MS. Oxon. *luxu.* Recepit Kiesslingius. Sed quid aliis locis faciemus ubi superest terminatio *ui*? cf. supra not. sub v. *consensui.*

Cap. 6. *anquirendum.* Sic MS. Flor. (t. V. c. Pich.) edd. Pich. sqq. cf. not. ad 13, 6. et interprett. ad Cic. de Off. 1, 30. et Fin. 4, 7, 16. — *inquirendum* edd. vett. cum MSS. Bud. Vat. Harl. Bodl. Ies. Guelf.

id a praesenti modestia. statueretur immo documentum, quo uxorem imperator acciperet. At enim nova nobis in fratrum filias coniugia. sed aliis gentibus solemnia neque lege ulla prohibita. et sobrinarum diu ignorata tempore addito percrebruisse. morem accommodari, prout conducat, et fore hoc quoque in iis, quae mox usurpentur.

VII. Haud defuere qui certatim, si cunctaretur Caesar, vi acturos testificantes erumperent curia. conglobatur promiscua multitudo populumque Romanum eadem orare clamitat. Nec Claudius ultra exspectato obvium apud forum praebet se gratantibus, senatumque ingressus decretum postulat, quo iustae inter patruos fratrumque filias nuptiae etiam in posterum statuerentur. nec tamen repertus est nisi unus talis matrimonii cupitor,

Pro *maritandum* MS. Guelf. dat *maritandi.*

statueretur immo documentum, quo ... acciperet. Pro *quo* Lipsius volebat *quomodo*, Gronovio Ryckioque adsentientibus. Perperam. Documentum, quo imperator uxorem accipit, opponitur exemplis coniugum ad libita Caesarum adreptarum. Accipimus enim, quod offertur a volentibus; adripimus a nolentibus, quod nobis recusant. cf. Pichena ad h. l. Ceterum verba sunt adhortantis: *Es möchte im Gegentheil ein Beispiel aufgestellt werden* etc. Vulgo convertunt: *es würde ein Beispiel aufgestellt*, quae sententia non inest. Pichena prodidit in MS. Flor. post *imperator* esse lacunam aliquot litterarum, quam alii codices ignorant. Ad sensum explendum nihil deest, nec Victorius quid de lacuna adnotavit. Ed. Spir. male interpungit: *modestia statueretur: immo* etc.

coniugia. MS. Guelf. *connubia.*

neque lege. Sic MS. Flor. (test. Vict. et Iac. Gron.) ed. Spir. — *nec lege* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *nec ulla lege* MS. Guelf.

percrebruisse. Sic edd. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. Rhen. Ald. Lips. prima cf. not. ad 6, 20. *percrebuisse* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. et recentt.

in iis. Sic MS. Guelf. Vulgari permutatione alii libri habent *in his.* Verum libris de hac re parum est fidei.

Cap. 7. *vi acturos.* Sic edd. Spir. et recentt. omnes inde a Lips. prima. — *vim acturos* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Sed cf. 1, 29. *agendum fortioribus remediis.*

orare. MS. Bud. et inde edd. Rhen. sqq. *rogare.* Sed recentiores inde a Iac. Gronovio restituere *orare*, quod est in edd. ante Rhen. et MSS. Flor. Oxon. Guelf. ed. Spir.

ultra. Ed. Spir. *ultro.* MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) et Guelf. pro *obvium* habent *obvius.* Victorius intactum sinit vulgatum, quod est in edd. Spir. Put. sqq. Mox *nec tamen* MS. Flor. (test. Iac. Gron.) ed. Spir. — *neque t.* edd. Put. sqq.

T. Alledius Severus eques Romanus, quem plerique Agrippinae gratia impulsum ferebant. Versa ex eo civitas et cuncta feminae obediebant non per lasciviam, ut Messallina, rebus Romanis inludenti: adductum et quasi virile servitium: palam severitas ac saepius superbia: nihil domi impudicum, nisi dominationi expediret. cupido auri immensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur.

VIII. Die nuptiarum Silanus sibi mortem conscivit, sive eo usque spem vitae produxerat seu delecto die augendam ad invidiam. Calvina soror eius Italia pulsa est. addidit Claudius sacra ex legibus Tulli regis piaculaque apud lucum Dianae per pontifices danda, inridentibus cunctis quod poenae procurationesque incesti id temporis exquirerentur. At Agrippina, ne malis tantum facinoribus notesceret, veniam exsilii pro Annaeo Seneca, simul praeturam impetrat, laetum in publicum rata ob claritudinem studiorum eius, utque Domitii pueritia tali magistro adolesceret et consiliis eiusdem ad spem dominationis uteretur, quia Seneca fidus in Agrip-

T. Alledius. Ex emendatione probabili Lipsii. MSS. et vett. edd. *Talledius;* MS. Agr. *Telledius.* cf. Iuven. 5, 118.

Messallina. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. et recentt. inde a Lipsii prima, praeter Broterium, qui e MSS. Reg. Harl. Bodl. edd. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. Rhen. Ald. dedit *Messalinae.* Frustra Heinsius: *illudente* coniecit.

adductum. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Bud. Guelf. edd. Spir. Pich. sqq. cf. 14, 4. *et rursus adductus, quasi seria consociaret.* Hist. 3, 7. *adductius . . . imperitabat.* Sed edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Riv. habent *additum,* quod Rhenanus in sua edit. emendavit *addictum.* Similis confusio est Germ. c. 43. In seqq. alii libri pergunt *quasi et,* ut MS. Bud. edd. Rhen. sqq. usque ad Pichen., alii rectius *et quasi,* ut MSS. Flor. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Pichen. sqq.

virile. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. — *vile* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

Cap. 8. *produxerat.* Ed. Spir. *produxerit.* Eadem *ad augendam,* et deinde *addit.* Mox MS. Guelf. *piacula quoquè.*

At Agrippina. Ed. Spir. *ast Agr.* et mox *ne malum* pro *ne malis.* MS. Guelf. *facionoribus* pro *facinoribus.* Idem mox *impublicum* pro *in publicum.* Supra etiam *imposterum.*

exsilii. Edd. vett. c. MS. Guelf. *exilii,* c. silentio Vict. Alibi tamen idem corrigit *exsilium.* De hoc exsilio Senec. cf. Dio 60, 8.

uteretur. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. et MSS. praeter MS. Flor. unde Pichena protulit *uterentur.* Victorius tamen scripturam Beroald. intactam

pinam memoria beneficii et infensus Claudio dolore iniuriae credebatur.

IX. Placitum dehinc non ultra cunctari, sed designatum consulem Memmium Pollionem ingentibus promissis inducunt sententiam expromere, qua oraretur Claudius despondere Octaviam Domitio. quod aetati utriusque non absurdum et maiora patefacturum erat. Pollio haud disparibus verbis ac nuper Vitellius censet: despondeturque Octavia ac super priorem necessitudinem sponsus iam et gener Domitius aequari Britannico studiis matris, arte eorum quis ob accusatam Messallinam ultio ex filio timebatur.

X. Per idem tempus legati Parthorum ad expetendum, ut retttuli, Meherdatem missi senatum ingrediuntur mandataque in hunc modum incipiunt: Non se foe-

reliquit. Oberlinus restituit *uteretur*, quod ipse refert ad Agrippinam; sed contextus clamat id verbum aeque pertinere ad Domitii pueritiam. Si auctor voluisset referre ad Agrippinam, haud dubie scripsisset: *ipsa consiliis* etc.

Cap. 9. *sed designatum.* Ricklefs vult *et designatum.* Cur? — MS. Guelf. *dessignatum*, et sic saepius.

ingentibus promissis. Ed. Spir. *urgentibus promisit.*

inducunt. Sc. Agrippina cum suis, quorum notio latet in *placitum.* Ed. Spir. *inducit*, quod Broterius etiam invenit in MSS. Vatic. 1864. Reg. Corb. et a manu emendatoris in MS. Vat. 1863. Sed ceteri libri tuentur vulgatum. Parum refert. Eiusmodi varietates e compendio scripturae originem traxere.

oraretur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich. et Iac. Gron.) Vatt. 1863 et 1958, etiam Bodl. in margine, edd. Pich. sqq. — *hortaretur* edd. Spir. Beroald. Alc. Rhen. sqq. et MSS. quidam test. Broterio. MS. Guelf. *ortaretur*, superscripta littera *h*. *oraret* edd. Put. M. et V. Riv.

censet. Ed. Spir. *censuisset.*

despondeturque. Ed. Spir. *desponderetque Octaviam.*

super priorem. Sic Pichena restituit e MS. Flor. in quo est per compendium *s' priorem.* Prius editum *secundum priorem*, quod in ceteris MSS. est et in edd. vett. (cum silentio Vict.).

ob accusatam. Ed. Spir. *sub acc.*

Cap. 10. *ut rettuli.* Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio V.) Alc. Rhen. sqq. — *ut retuli* ed. Spir. — *ut dixi* MS. Guelf. De re cf. 11, 10. Mox *Meherdaten* MS. Flor. (test. Iac. Gronov.) edd. Spir. Iac. Gron. sqq. Priores *Meherdatem.* Ed. Put. *Meherdatē*, et sic MS. Guelf.

deris ignaros nec defectione a familia Arsacidarum venire: sed et filium Vononis, nepotem Phraatis, accedere adversus dominationem Gotarzis nobilitati plebique iuxta intolerandam. Iam fratres, iam propinquos, iam longius sitos caedibus exhaustos: adiici coniuges gravidas, liberos parvos, dum socors domi, bellis infaustus ignaviam saevitia tegat. Veterem sibi ac publice coeptam nobiscum amicitiam: et subveniendum sociis virium aemulis cedentibusque per reverentiam: ideo regum obsides liberos dari ut, si domestici imperii taedeat, sit regressus ad principem patresque, quorum moribus adsuefactus rex melior adscisceretur.

XI. Ubi haec atque talia dissertavere, incipit orationem Caesar de fastigio Romano Parthorumque obsequiis: seque divo Augusto adaequabat, petitum ab eo regem referens omissa Tiberii memoria, quanquam is

defectione. Ed. Spir. *defectionem.*

sed et filium. Sic MSS. Bud. Guelf. Flor. (de quo testatur silentium Victorii) et haud dubie alii, de quibus tacent, edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Recentiores edd. omittunt *et* inde a Lipsii prima. Male. Namque sententia est: ita longe se abesse a defectione a familia Arsacidarum, ut etiam filium V., nepotem P. (quippe Arsacidem) accedant. Kiesslingius varietatem scripturae non satis recte adnotavit.

accedere. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. Agr. Reg. Guelf. Vatic. (test. Broterio), edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. Sic *accedere ripam Euphratis* 2, 58; *societatem alicuius* infr. c. 31; *accedi* c. 33. Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. cum MS. Bodl. *accersere*, quod etiam est in marg. MS. Vatic. 1958.

plebique. MS. Agr. ed. Spir. *plebeique.* Mox *iuxta* in MS. Guelf. scribitur *iusta.*

intolerandam. Edd. Spir. Put. M. et V. *intollerandam.* Iac. Gronovius in MS. Flor. vidit *intoleranda.* Victorius sinit vulgatum, quod est in edd. Ber. sqq. — MS. Guelf. *tolerandā.*

adiici. MS. Flor. (t. V.) *adici* h. e. *adiici*, uti reposuit Rhen. e MS. Bud. qui etiam habet *adici.* Guelf. *adiici.* — Ed. Spir. *adicit.* Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *abiici.* Bip. coniiciunt *addici.* Sed *adiici* est addi, accedere, ut saepe. Pro *sitos* MS. Guelf. *scitos*, et mox *scaevitia*, uti solet.

bellis infaustus. Ed. Spir. *bellisque inf.* Illud *que* habet etiam MS. Vatic. 1958. supra adscriptum et recens additum. MS. Agr. *bellique inf.* MS. Guelf. *bellus infaustus.* Idem mox *domesticū* pro *domestici.*

Cap. 11. *adaequabat.* Ed. Spir. *aequabat.* cf. 2, 73. *et erant qui formam ... Magni Alexandri fatis adaequarent;* 12, 60 fin. Contra 2, 88. *qua gloria aequabat se Tiberius priscis imperatoribus.*

quoque miserat. addiditque praecepta (etenim aderat Meherdates), ut non dominationem et servos, sed rectorem et cives cogitaret, clementiamque ac iustitiam quanto ignara barbaris tanto toleratiora capesseret. Hinc versus ad legatos extollit laudibus alumnum urbis, spectatae ad id modestiae. ac tamen ferenda regum ingenia, neque usui crebras mutationes. rem Romanam huc satietate gloriae provectam, ut externis quoque gentibus quietem velit. Datum post haec C. Cassio, qui Syriae praeerat, deducere iuvenem ripam ad Euphratis.

XII. Ea tempestate Cassius ceteros praeminebat peritia legum. nam militares artes per otium ignotae

aderat. Ed. Spir. *erat.* Eadem totum locum male exhibet sic: *praecepta. Et enim erat Meherdates ut non* etc. MSS. Guelf. et Oxon. (I. Gronov.) copulam omittunt in *addiditque.* Guelf. mox ante *rectorem* addit *et.*

cogitaret. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *concitaret* MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir.

clementiamque ac iust. Ed. Spir. *clementiam atque iusticiam.*

quanto ignara. Sic edd. Spir. Beroald. (c. sil. Vict.) Lips. sqq. et MSS. Vat. Reg. Bud. cf. not. ad 3, 6. Quem usum vocabuli quum ignorarent, librarii mutarunt in *ignota*, uti est in MSS. Farnes. Corb., aut *ignoratiora*, quod habent MS. Harl. et edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. usque ad Lipsium; aut *ignorantiora* MS. Guelf.; aut denique *ignorantia* MS. Ies. E MS. Flor. Pichena prodidit *ignata*, quod corruptum est ex *ignara.*

toleratiora. Sic MS. Flor. (test. Pichena) edd. Beroald. (cum silentio Vict.) Pich. sqq. Consentiunt ferme MSS. Vaticc. 1863 et 1864. qui habent *tolleratiora.* — *tolerantiora* MSS. Vat. 1958. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Alc. Rhenan. sqq. *tollerantiora* edd. Spir. Put. Ven. cf. not. ad 3, 45. Nimirum *tolerantiora* sunt, quae satis tolerari possunt, tolerabilia; *toleratiora*, quae tolerari solent lubenter, grata, accepta.

capesseret. MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Ald. *capesceret*, ut supra aliquoties.

ac tamen. Ed. Spir. *attamen.*

externis. Ed. Spir. *exteris.*

velit. Datum post haec etc. Sic MS. Flor. (test. Vict.) Corb. Bud. pr. m. edd. Pichen. sqq. — *velit. Datum post hac* ed. Spir. — *velit datam. Post haec* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. et MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. 2. m.

Syriae. MS. Flor. (test. Vict.) *Suriae.* Ed. Spir. *Siriae.*

ad Euphratis. Ed. Spir. et MS. Guelf. *ad Eufratis.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. (2. m.) edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. addunt *iubet*, sc. ex emendatione, quae profecta est e mala interpunctione eorundem librorum. Vid. not. praeced. Abest *iubet* a MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Corb. edd. Spir. Gruter. Bernegg. sqq.

Cap. 12. *ceteros praeminebat.* Sic MSS. Flor. Bud. edd. recentt. inde a Pichena. *caeteros praeeminebat* edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. et MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. — *caeteris praeerat* MSS. Reg. Vatic. ed. Spir. ex inscitia eorum, qui formulam *praeminere aliquem*

industriosque aut ignavos pax in aequo tenet. attamen quantum sine bello dabatur, revocare priscum morem, exercitare legiones, cura, provisu perinde agere ac si hostis ingrueret: ita dignum maioribus suis et familia Cassia ratus per illas quoque gentes celebrata. Igitur excitis, quorum de sententia petitus rex, positisque castris apud Zeugma, unde maxime pervius amnis, postquam inlustres Parthi rexque Arabum Acbarus advenerat, monet Meherdatem: barbarorum impetus acres, cunctatatione languescere aut in perfidiam mutari:

non concoquerent. Lipsio tamen placebat haec scriptura. cf. c. 33. *ceteros Br. imperatores praemineret*; 3, 56. *cetera imperia praemineret*; 15, 34. *malos praemineret.*

industrios. MS. Guelf. *industriosos.*

aut ignavos. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. edd. Spir. Ernest. sqq. — *ac ignavos* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. usque ad Ernest. Rhenano, qui *ac* volebat corrigi in *aut*, operae non paruerunt.

tenet. Ed. Spir. *tenebat.* Verum est potius sententia quam narratio. Eadem mox *siue bello.*

exercitare. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) edd. Spir. Pich. sqq. Idem fuit in vett. libris Lipsii. — *exercere* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. cum MS. Guelf. (hic in fine versus per compendium *exercē*).

provisu. Ed. Spir. *provisum.*

perinde agere ac. Sic edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Bernegg. sqq. — *agere perinde ac* edd. Rhen. Ald. Lips. Pich. Grut. — *inde agere ac* MS. Guelf. Idem mox ante *moribus* addit *et.*

Cassia ratus per illas. Sic MS. Guelf. (hic *casia*) edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — MS. Flor. (test. Vict.) *Cassia* , *p illas*, sic ibi relicto spatio. Iac. Gronov. ibi invenit *ratus* a recenti manu adscriptum. — Ed. Spir. omittit *ratus* sine lacuna. — MS. Bud. habet *ratus* et deinde lacunam. MS. Reg. omittit *ratus*, an sine lacuna, Broterius tacet.

per illas q. g. celebrata. cf. Dio 40, 28. Vellei. 2. 46. Eutrop. 6, 15. Ioseph. 14, 12.

petitus. MS. Flor. (test. Vict.) *peritus*, vitiose.

Zeugma. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. *zeuma* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Emendavit Rhenanus e Strabone et Stephano.

rexque. Deest in ed. Spir.

Acbarus. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gron.) Guelf. (test. Ernest. Sed ego ibi vidi *acharus*) Reg. Vatic. (Lips.) edd. Iac. Gron. Ernest. sqq. Sic et Appianus. — *Aebarus* MS. Agr. et ed. Spir. — *Abbarus* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. E nummis et inscriptt. Ryckius et Broterius edidere *Abgarus.* — *Arabum* h. e. Edessenorum. Mox *Meherdaten* MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Iac. Gron. sqq. *Meherdatem* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *meherdatē* MS. Guelf. cf. not. ad c. 10.

acres, cunctatione. Virgulam c. Pich. posui inter utrumque vocabulum. *Impetus* est ὅρμη, *der erste Entschluſs, der erste Eifer*; *acres* sc. esse. — Mox MS. Guelf. *ac in perfidiā.* Idem *sumptum* pro *spretum*: in margine *spretum.*

itaque urgeret coepta. Quod spretum fraude Acbari, qui iuvenem ignarum et summam fortunam in luxu ratum multos per dies attinuit apud oppidum Edessam. et vocante Carrhene promptasque res ostentante, si citi advenissent, non cominus Mesopotamiam, sed flexu Armeniam petunt id temporis importunam, quia hiems occipiebat.

XIII. Exin nivibus et montibus fessi postquam campos propinquabant, copiis Carrhenis adiunguntur. tramissoque amne Tigri permeant Adiabenos, quorum

itaque. Ed. Spir. *ita.* Paulo ante MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Pich. sqq. *cunctatione*; edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *contatione.* MS. Guelf. a prima m. habuit *conctatione;* altera manus id verbum plerumque mutavit in *cunct.*

in luxu ratum. Ed. Spir. *in luxu ratus.* Mox *attinuit* libri vett.; non *adtin.*

Edessam. Ed. Spir. *Adessam.*

Carrhene. Ed. Spir. et MS. Guelf. *Carene.* Teste I. Gronovio etiam in MS. Flor. vocabulum sine aspiratione scribitur. Victorius tacet hic; mox *Carrhenis* corr. *Carrenis* consentiente Iac. Gronovio, qui etiam c. 14. e MS. Flor. adfert *Carenem.*

Mesopotamiam. MS. Guelf. *messopotamiã.*

petunt. MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Rhen. Ald. *petivit.* Edd. recentt. inde a Lipsii prima habent *petunt*, scilicet ob *advenissent.* Sed nihilominus *petivit* tolerari potest.

importunam. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. et recentt. inde a Lips. prima. *importunum* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Nimirum scribunt: *petivit. Id temporis opportunum* ex inscitia, qua non intelligerent accusativum *id.* Mox pro *quia* ed. Spir. habet *quam*, uti MSS. Vatic. 1863. et Reg.

occipiebat. Sic MSS. Vatic. 1958. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *occupabat* MSS. Vatt. 1863 et 1864. Reg. Agr. ed. Spir. cf. Germ. c. 22. Hoc etiam placebat Mureto et Oberlino. Sed *occipiebat* facilius potuit abire in *occupabat*, quam hoc in illud.

Cap. 13. *campos.* Sic MSS. Flor. (test. Ryck.) Reg. Agr. (test. Ryck.) edd. Spir. Oberl. sqq. Sic Sallust. in fragm. *Bithyni propinquantes iam amnem* etc. Tac. An. 6, 44. *propinqua Seleuciae adventabat.* Vid. ibi not. De MS. Flor. Victorius tacet et intactum reliquit *campis*, quod est in MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. cf. 1, 63. *propinquare silvis.* De Florentino tacent etiam Pichena et Iac. Gronovius.

Carrhenis. MS. Flor. (t. Vict.) *Carrenis;* MS. Guelf. ed. Spir. *Carenis.*

adiunguntur. MS. Guelf. *adiungimur* (in fine versus per compendium).

tramissoque. Sic MS. Flor. (t. Vict.) et edd. recentt. inde ab Oberlino. cf. 1, 13. 49. 56 etc. — *transmissoque* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

permeant. MS. Guelf. *pmaneãt.*

Adiabenos. Ed. Spir. *ac labenos*, puncto posito ante *ac.*

rex Izates societatem Meherdatis palam induerat, in Gotarzem per occulta et magis fida inclinabat. Sed capta in transitu urbs Ninos, vetustissima sedes Assyriae: castellum insigne fama, quod postremo inter Darium atque Alexandrum proelio Persarum illic opes conciderant. Interea Gotarzes apud montem, cui nomen Sambulos, vota diis loci suscipiebat, praecipua religione Herculi,

Izates. Ex emendatione Freinshemii et Lipsii secundum Ioseph. 20, 2, 3. facta, quam recepere Bernegg. sqq. MSS. Flor. (test. Vict.) Vaticc. 1863 et 1864. edd. Spir. Lips. Pich. Grut. *Iuliates.* — MS. Guelf. *Iliates.* — MS. Bud. *Yliates.* — MS. Vatic. 1958. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *Hyliates.* Sed infra omnes libri *Ezates*, quae fortasse vera Taciti est scriptura.

Gotarzem. Ed. Spir. *Gotharzen.* MS. Guelf. *gotharcẽ*, hic et alibi.

per occulta et magis fida. Sic edd. Spir. Rhen. (e MS. Bud.) sqq. — *per occultam et magis fidam* (sc. societatem) MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. nescio an rectius.

urbs Ninos. MS. Guelf. *urbis ninos.*

vetustissima sedes Assyriae: castellum insigne fama etc. Sic MSS. et vett. edd. praeter MS. Agr. qui habet: *Assyriae, et Arbela, castellum illustre fama* etc. Eam scripturam (salvo tamen vocabulo *insigne*) a Ryckio receptam hodie vulgo edunt. Sed codicis illius auctoritas in hac re minima est reliquis dissentientibus omnibus, et verba addita ibi haud dubiam emendationis speciem praeferunt. Accedit, quod Arbela nemini antiquorum scriptorum dicitur castellum, sed πόλις. cf. Arrian. 6, p. 399. Apud Strabonem audit κατοικία ἀξιόλογος. Arrianus vero l. l. diserte refert, pugnam esse factam apud Gangamela (κώμην οὐκ μεγάλην), Arbela autem, ut civitatem potiorem illius regionis, gloriam pugnae abstulisse. Igitur si quid interponendum erat, debebat scribi: *et Gangamela.* Sed contenti simus antiquae scripturae verbis, non ut urbs Ninos ipsa dicatur *castellum*, sed intelligatur *castellum* eius urbis vel regionis. Nam castellum illud nomine suo Gangamela, sive ita audiat vicus prope castellum situs, in ea fuit urbis Nini vicinitate, ut commode posset accipi pro castello illius urbis. Converte: *Aber es wurde im Durchzuge die Stadt Ninos genommen, der älteste Sitz Assyriens: das Castell berühmt dadurch dafs* etc.

Sambulos. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. sqq. (c. silent. Vict.). At Iac. Gronov. testatur in MS. Flor. esse *Sanbulos.*

diis. MS. Flor. (test. Vict.) *dis* per contractionem, ut saepe.

praecipua religione Herculi. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Oxon. (test. eod.) Bud. Guelf. et apud Broterium Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Broter. Oberl. sqq. De MS. Flor. tamen Victorius tacet intactumque sinit *Herculis*, quod est in edd. Spir. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Parum interest. Nam *praecipua religione* sunt ablativi absoluti, intellecto participio verbi substantivi, ut Hist. 4, 40. *diversa fama Demetrio.* Sententia: vota diis loci suscipiebat, inter quos praecipua religio erat Herculi. Ernestius casum *Herculi* male refert ad *vota suscipiebat.* Ed. Spir. *praecipue.*

qui tempore stato per quietem monet sacerdotes, ut templum iuxta equos venatui adornatos sistant. equi, ubi pharetras telis onustas accepere, per saltus vagi nocte demum vacuis pharetris multo cum anhelitu redeunt. rursum deus, qua silvas pererraverit, nocturno visu demonstrat: reperiunturque fusae passim ferae.

XIV. Ceterum Gotarzes nondum satis aucto exercitu flumine Corma pro munimento uti: et quanquam per insectationes et nuntios ad proelium vocaretur, nectere moras, locos mutare et missis corruptoribus exuendam ad fidem hostes emercari. Ex quis Izates Adiabenus, mox Acbarus Arabum cum exercitu

tempore stato. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) edd. Lips. posteriores, Pich. sqq. — MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. et edd. vett. *statuto*, vulgari utriusque verbi confusione. cf. Germ. c. 39. *Tempore stato* est certo ac definito tempore, quod sua vice recurrit. cf. Hist. 3, 30. — *tempore statuto* est tempore indicto, cf. An. 1, 48. Vid. Drakenborch. ad Liv. 24, 27. et Baumgarten-Crusius in clave Sueton. p. 735.

adornatos. Ed. Spir. *adhornatos.* Mox pro *ubi* MSS. Harl. Ies. Guelf. *ut.*

telis onustas. MSS. Vatt. 1863 et 1864. ed. Spir. *telis omissis onustas.* Lips. corr. *telis omnigenis o.* Acidalius *t. missilibus o.* Sed salva videntur vulgata, quae tuentur ceteri libri. MS. Guelf. *honustas.*

accepere. Ed. Spir. *accipere.*

anhelitu. Ed. Spir. et MS. Guelf. *hanelitu.*

rursum. Sic ed. Spir. *rursus* vulgo edunt ex edd Put. sqq. et MS. Guelf.

qua silvas pererraverit. Sic Pichena (e MS. Flor.) et edd. recentt. Victorius tamen scripturam Beroald. intactam sinit. *quas s. perrerraverit* MSS. Reg. Bud. ed. Spir. — *quas s. pererraverint* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. Lips. Gruter. — E MS. Guelf. Ernestius falso attulit *pererraverit.*

nocturno visu. Heins. corr. *nocturno cursu* vel *incursu*, quae trahit ad verbum *pererraverit.* Frustra et male.

Cap. 14. *Corma.* MS. Guelf. *croma.*

et quanquam. Ed. Spir. *et quoniam.*

Izates Adiabenus. I. Fr. Gronovio auctore Oberl. et Bip. emendaverunt *Adiabeno*, quod iam vulgatur. At plane inutilis haec emendatio videtur. Nam veterum librorum scripturae, quam restituo, idem inest sensus. Cum dicit: Izatem Adiabenum, mox Acbarum Arabum cum exercitu abscessisse, ex oppositione satis patet, illum Adiabenorum cum exercitu, uti hic Arabum cum exercitu, abscessisse. *Cum exercitu abscedunt* sunt praedicata ad utrumque subiectum spectantia. Iuxta Izatem Adiabenum cum exercitu abscedentem ponitur Acb. Arabum c. exercitu abscedens. Delectatur Noster varianda structura in eiusmodi locis. Quare in hunc etiam locum valent, quae Ernestius dixit ad An. 13, 29. „Studium intempestivum conformandi sequentia praecedentibus saepe obfuit Tacito." Quod Gronovius censet fatuum esse Izatem *Adiabenum* iterum dici, quum

abscedunt, levitate gentili et quia experimentis cognitum est barbaros malle Roma petere reges quam habere. At Meherdates validis auxiliis nudatus, ceterorum proditione suspecta, quod unum reliquum, rem in casum dare proelioque experiri statuit. nec detrectavit pugnam Gotarzes deminutis hostibus ferox. concursumque magna caede et ambiguo eventu, donec Carrhenem profligatis obversis longius evectum integer a tergo globus circumveniret. Tum omni spe perdita Meherdates promissa Parrhacis paterni clientis secutus dolo eius vincitur traditurque victori. Atque ille non propinquum neque Arsacis de gente, sed alienigenam et Romanum increpans auribus decisis vivere iubet ostentui clementiae suae et in nos dehonestamento. Dein Gotarzes morbo obiit accitusque in regnum Vonones Medos tum praesidens. nulla huic prospera aut adversa, quis me-

id satis antea percepissemus, nihili est. Nam 15, 14. scribitur *Monobazus Adiabenus*, licet ex c. 1. eiusd. libr. satis constet Monobazum Adiabenum fuisse. Eiusmodi repetitio neque a nostra dicendi ratione abhorret. Ceterum probent Gronovianae emendationis fautores, sine absurdo sic praeponi casum *Adiabeno*, cuius ratio demum constet ex remotiore praepositione *cum*. Pro *Acbarus* MS. Guelf. hic habet *abazus*. MS. Agr. (test. Heinsio) *Acbarus Arabum rex*.

abscedunt. MS. Guelf. *abscndunt*. Mox *male* pro *malle*.

Roma petere reges. Sic MS. Reg. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. cum silentio Victorii. cf. 2, 1. *qui petitum Roma acceptumque regem*. Contra MSS. Ies. Guelf. ed. Spir. *Romam petere reges*, quod defendit Burmann. ad Ovid. Met. 7, 296. cf. Schegkius ad Vellei. 2, 102. Nec dubium est verbum *petere* sic duos accusativos adsumere, cum est *bitten*. Hic tamen id verbum non est *bitten*, sed *holen*. Tum scabra etiam constructio *Romam petere* ob sequens *quam habere*. Nam series verborum eo ducit, ut accipias quam habere sc. Romam reges, quod absurdum est.

proditione. Ed. Spir. *prodicione*.

quod unum reliquum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Agr. Guelf. edd. Spir. Rhen. Ald. Gryph. Lips. Pichen. Gruter. Broterii. — *quod unum erat reliquum* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. et recentt. pleraeque inde a Bernegg.

deminutis. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. et Pichen. sqq. — *diminutis* edd. Rhen. sqq. cf. not. ad 1, 14.

eventu. MS. Guelf. *adventu*. Mox *carenẽ*, ut supra.

profligatis obversis. Ed. Spir. *profligatis consiliis obusis*. MS. Agr. *profligatis ebusis*. Heins. gentile nomen latere putat.

Parrhacis. Ed. Spir. *parracis*. In MS. Guelf. hoc nomen non apparet, nec mox *secutus*. Vocabulum *eius* ibi est ante *dolo*.

Medos tum praesidens. Sic e MS. Flor. edd. Pich. sqq. cf. not.

moraretur: brevi et inglorio imperio perfunctus est, resque Parthorum in filium eius Vologesem translatae.

XV. At Mithridates Bosporanus amissis opibus vagus posteaquam Didium ducem Romanum roburque exercitus abisse cognoverat, relictos in novo regno Cotyn iuventa rudem et paucas cohortium cum Iulio Aquila equite Romano, spretis utrisque concire nationes, inlicere perfugas: postremo exercitu coacto regem Dandaridarum exturbat imperioque eius potitur. Quae ubi cognita et iam iamque Bosporum invasurus habebatur, diffisi propriis viribus Aquila et Cotys, quia Zorsines Siracorum rex hostilia resumpserat, externas et ipsi gratias quaesivere missis legatis ad Eunonem, qui Adorsorum genti praecellebat. nec fuit in arduo societas po-

ad 1, 58. et 3, 39. Victorius tamen intactum reliquit *Medis*, quod habent reliqui libri quantum constat omnes interque eos MS. Guelf., qui mox fert *ut* pro *aut*; dein *Vologensem* pro *Vologesem*.

Cap. 15. *Mithridates*. Ed. Spir. *Metridates*, mox *Mitrid*. De hoc cf. Dio 60, 8.

Bosporanus. Sic edd. Bernegg. sqq. *Bosphoranus* edd. vett., quod restituit Broterius. *Bosforanus* MS. Guelf. Falso igitur Stromb. prodidit in illo cod. hoc nomen deesse. Vocabulo *Bosp.* hic Mithrid. distinguitur a Mithr. 11, 8.

posteaquam. MS. Guelf. ed. Spir. *postquam*.

abisse. Sic MSS. Vaticc. edd. Spir. Put. Oberl. sqq. *abiisse* MS. Guelf. edd. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhenan. sqq.

relictos. Ed. Spir. *relicto*. Eadem mox *Cothin*. MS. Guelf. *pauca cohortium*. MS. Agr. *Iulio Aquilio*.

postremo. MS. Guelf. *extremo*. Mox *dandaricarum*.

et iam iamque. Ed. Spir. *ianuamque*. Rhenanus auctoritate cod. Bud. male delebat *et iam*, si operae paruissent. Idem corrigebat *videbatur* pro *habebatur* eodem eventu.

Bosporum. Sic edd. Bernegg. sqq. praeter Broterium, qui retinet vett. librorum scripturam *Bosphorum*. MS. Guelf. *bosfarum*.

invasurus. Ed. Spir. *invasurum*. Eadem mox *diffisis*, quod etiam in MS. Flor. esse testatur Pichena, unde is fecit *diffisi*. Victorius intactum reliquit *diffisus*, quod habent ceteri libri usque ad Pichenam, etiam MS. Guelf.

Siracorum. Ex emendatione Lipsii, quam recepit Ryck.; namque apud Strabonem 11, p. 492. τὰ τῶν Σιράκων φῦλα sunt. Veteres libri variant. MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. *Syracusorum*. — MSS. Farnes. Reg. et Spir. *Siracusorum*, quod Pichena etiam e MS. Flor. adfert. Edd. Beroald. Alc. *Syracusarum*. MS. Agr. *Seracosiorum*. Edd. Rhen. sqq. *Soracorum*. Ernestius suspicatur *Siracenorum* vel *Seracenorum*. cf. Ptolem. 5, 9. Sed vid. not. ad c. 16.

Adorsorum. Ed. Spir. et MS. Agr. *adorscorum*. MS. Reg. *Adhorscorum*. Ryckius recepit *Aorsorum*, quo nomine dicuntur Straboni, Plinio, Ptolemaeo.

tentiam Romanam adversus rebellem Mithridatem ostentantibus. Igitur pepigere, equestribus proeliis Eunones certaret, obsidia urbium Romani capesserent.

XVI. Tum composito agmine incedunt: cuius frontem et terga Adorsi, media cohortes et Bosporani tutabantur, nostris in armis. sic pulsus hostis ventumque Sozam oppidum Dandaricae, quod desertum a Mithridate ob ambiguos popularium animos obtineri relicto ibi praesidio visum. Exin in Siracos pergunt et transgressi amnem Pandam circumveniunt urbem Uspen, editam loco et moenibus ac fossis munitam, nisi quod moenia non saxo, sed cratibus et vimentis ac media humo adversum inrumpentes invalida erant: eductae-

Eunones certaret. Ed. Spir. *ut Eunones certaret.*

capesserent. MS. Guelf. et ed. Spir. *capescerent*, ut supra.

Cap. 16. *Tum composito.* Ed. Spir. *Tunc composito.* Mox *cuius* in MS. Guelf. scribitur *quoius.*

nostris in armis. Intellige non in modum popularium instructos, sed more Romano et in exercitum R. ita receptos, ut essent pars exercitus Romani. MS. Bud. *nostri in armis.*

Sozam. Sic MS. Flor. (test. Pichena) edd. Spir. Pich. sqq. Victorius intactum reliquit *Soza*, quod est in edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. et in MSS. Guelf. aliisque.

Dandaricae. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *Dandaride* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. *Dandaridae* edd. Beroald. Alc. — MS. Bud. non habet *oppidum:* retinent tamen Rhenan. (1533.) Ald. Micyll. sqq.

relicto ibi. MS. Guelf. *ibi relicto.*

Exin in Siracos. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Ryck. sqq. *Exin in Seracos* MS. Guelf. *Exin Seracos* ed. Spir. *Exin sacros* edd. Put. M. et V. *Exin Soracos* edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Praepositionem omittunt etiam MSS. Vat. 1863. Reg.; habent eam MSS. Vatt. 1864. et 1958. uti et edd. recentt. inde a Pichena. Utraque ratio bona est. cf. not. ad c. 32. et 6, 44. *propinqua Seleuciae adventabat;* 2, 59. *Aegyptum proficiscitur.*

et transgressi. MS. Guelf. *ac transgressi.*

Uspen. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. et dein Lips. Pich. sqq. *Vispen* edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. Mox MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Lips. sqq. *Uspensium;* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *Vispensium.*

cratibus et vimentis. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Vat. Reg. Agr., edd. recentt. inde a Pichena. E compendio, quod est in Flor. *et uiπ̄tis*, exortum est *cratibus iunctis* in edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. et MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. (test. Stromb.); *evinctis* MS. Guelf. test. Ernestio. Sed ibi est *uinctis.* — *cratibus et iumentis* MS. Corb. et ed. Spir. In MS. Bud. *ac vimentis* per errorem bis scriptum fuit, quod dein sec. m.

que altius turres facibus atque hastis turbabant obsessos. ac ni proelium nox diremisset, coepta patrataque expugnatio eundem intra diem foret.

XVII. Postero misere legatos veniam liberis corporibus orantes: servitii decem millia offerebant. quod aspernati sunt victores, quia trucidare deditos saevum, tantam multitudinem custodia cingere arduum, ut belli potius iure caderent. datumque militibus, qui scalis evaserant, signum caedis. Excidio Uspensium metus ceteris iniectus nihil tutum ratis, cum arma, munimenta, impediti vel eminentes loci amnesque et urbes iuxta perrumperentur. Igitur Zorsines diu pensitato, Mithridatisne rebus extremis an patrio regno consuleret, postquam praevaluit gentilis utilitas, datis obsidibus apud effigiem Caesaris procubuit magna gloria exercitus Romani, quem incruentum et victorem tridui itinere

correxit in *cratibus vinctis ac vimentis*. Broterius edidit *cratibus revinctis*, quod ipsi praebuit Caes. B. G. 4, 17. 7, 23. Sed vulgata nil habent, quod nobis displiceat. Vimentum factum est a *vimen*, ut *stramentum* a *stramen*, *spiramentum* a *spiramen*. cf. Ryck. ad h. l. *cratibus et vimentis* est ἓν διὰ δυοῖν. Pro *media* MS. Guelf. exhibet *modica*.

Cap. 17. *Postero*. Sic edd. recentt. inde a Lipsii prima. Vett. libri omnes *postremo*. Sic et MS. Guelf.

orantes. Ed. Spir. *exorantes* cum MSS. Vaticc. 1863 et 1864.

servitii. Ed. Spir. *servitia*.

trucidare deditos saevum. Ed. Spir. *trucidarent deditos: senum tantam mult.* etc. mira confusione. MS. Guelf. *scaevum*, uti solet, pro *saevum*.

ut belli ... caderent. Reposui particulam *ut* ab Ernestio relegatam quamvis vett. librorum omnium auctoritate tutam. Non hic sunt verba aspernantium legatos, quasi illi respondissent: *belli potius iure caderent;* sed explicat auctor, cur victores aspernati sint deditionem, nempe, *quia ... arduum*. *Ut* subiungit comma ut saepissime effectumque significat, ita ut, adeo ut. Sententia: visum esse consultantibus, ut belli potius iure caderent. Kiesslingius mecum consentit. Mox MS. Guelf. *excidio in spem sive metus*, a secunda manu. Prius fuit *ũspẽ sive metus*. Primus ductus litterae *u* in *ũspẽ* nigriore colore ut a secunda manu renovatus: altera pars pallida.

perrumperentur. Sic edd. Rhenan. sqq. ex Rhenani ingenio. Vett. libri *prorumperentur*.

Zorsines. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. *Gorsines* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

apud effigiem Caesaris. In signo militari. cf. 15, 24. Suet. Cal. c. 14. extr.

Romani. Ed. Spir. *romanus*.

incruentum et victorem. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *invictum et victorem* MSS. Vaticc. 1863 et 1864. ed. Spir.

abfuisse ab amne Tanai constitit. Sed in regressu dispar fortuna fuit, quia navium quasdam, quae mari remeabant, in litora Taurorum delatas circumvenere barbari, praefecto cohortis et plerisque centurionum interfectis.

XVIII. Interea Mithridates nullo in armis subsidio consultat, cuius misericordiam experiretur. frater Cotys proditor olim, deinde hostis metuebatur: Romanorum nemo id auctoritatis aderat, ut promissa eius magni penderentur. ad Eunonem convertit propriis odiis non infensum et recens coniuncta nobiscum amicitia validum. Igitur cultu vultuque quam maxime ad praesentem fortunam comparato regiam ingreditur genibusque eius provolutus „Mithridates" inquit „terra „marique Romanis per tot annos quaesitus sponte ad„sum. utere, ut voles, prole magni Achaemenis, quod „mihi solum hostes non abstulerunt."

plerisque centurionum. MS. Flor. (test. Vict. c. al.) *plerisque consiliarium.* MSS. Vatt. Oxonn. Guelf. Bud. (pr. m.) Reg. Agr. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. *plerisque consularium.* In Guelf. vidi *cũsularium.* Quae nunc vulgantur inde a Rhenano: *plerisque centurionum*, Rhenanus invenit in MS. Bud. a man. emendatoris addita. Sic et infr. c. 38. coniunguntur *praefectus* et *octo centuriones* a Britannis caesi. Lipsius coniecit: *auxiliarium;* Pichena *classicorum* vel *classiariorum*, Heinsius *commanipularium;* Iac. Gronovius *contubernalium.* Sed cuncta haec incerta sunt. — *Consularium* certe nemo ibi adfuit; immo eques Romanus summa potestate erat praeditus. cf. c. 15. et mox legimus c. 18. *Romanorum nemo id auctoritatis aderat, ut* etc. Vana igitur illa scriptura. *Consiliarium* vel *consiliariorum* nomine dicuntur, qui constituunt consilium alicui duci vel magistratui additum. cf. Sueton. Tib. c. 18. et c. 33. et 55. Claud. c. 12. Num apud Tacitum vocem Flor. interpretabimur de viris Iulium Aquilam, Romanorum ducem, consilii causa comitantibus?

interfectis. Particip. aorist.; non *postquam interfecti sunt*, sed *ita ut interfecti sint.*

Cap. 18. *cuius misericordiam.* MS. Guelf. *quoius miseriã.*

id auctoritatis. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et omnes libri praeter edd. Beroald. et Alc. quae habent *eius auctoritatis.* Rhenanus vitium emendavit.

propriis odiis non infensum. Sic edd. Ryck. Ernest. Oberl. sqq. ex MS. Agr. Ceteri libri vett. omittunt *non*, idoneo sensu nullo. Alii emendavere *nullis pr. od. infensum.* Iac. Gronov. *inoffensum* edidit.

quam maxime. MS. Guelf. omittit *quam.*

ingreditur. Ed. Spir. *aggreditur.*

Romanis. Ed. Spir. *a romanis.*

prole magni Ach. Dio 60, 8. *Μιθριδάτῃ τὸ γένος ἀπ' ἐκείνου τοῦ πάνυ ἔχοντι.*

XIX. At Eunones claritudine viri, mutatione rerum et prece haud degeneri permotus adlevat supplicem laudatque, quod gentem Adorsorum, quod suam dextram petendae veniae delegerit. Simul legatos litterasque ad Caesarem in hunc modum mittit: populi Romani imperatoribus magnarumque nationum regibus primam ex similitudine fortunae amicitiam: sibi et Claudio etiam communionem victoriae esse. bellorum egregios fines, quotiens ignoscendo transigantur. sic Zorsini victo nihil ereptum. pro Mithridate, quando gravius mereretur, non potentiam neque regnum precari, sed ne triumpharetur neve poenas capite expenderet.

XX. At Claudius quanquam nobilitatibus externis mitis dubitavit tamen, accipere captivum pacto salutis

Cap. 19. *degeneri.* Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Agr. ed. Spir. — *degenere* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *degener* MS. Guelf. test. Stromb. At ego ibi vidi *deneger.*

permotus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. *promotus* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. vulgari confusione ob compendium scripturae. cf. An. 1, 74. *permotus his.*

Adorsorum. MS. Flor. (t. Vict.) *Aduorsorum;* ed. Spir. *aduersorum.*

dextram. Sic MS. Flor. (test. Vict.) cf. 1, 35. 51. 61. 64. sqq. Vulgo hic edunt *dexteram,* quod est in MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

populi Romani. MS. Guelf. *Populus Romanus.* MS. Flor. (test. Vict.) *PĪR.* In *magnarumque* uterque cod. omittit *que.*

etiam communionem. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Guelf. et plerique alii, edd. Spir. Put. V. Pich. sqq. *et communionem* ed. Put. M. Perperam MS. Vat. 1864. edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *ex communione.* Vitium sustulit Pichena.

transigantur. Sic edd. Put. Beroald. (cum silentio Victorii, quo testatur MS. Flor. consentire) Alc. — *transigatur* MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq., absolute, ut Hist. 3, 46. Agr. c. 34. Sed hic cum emphasi praeponitur vocabulum *bellorum,* ut non dubitari possit *bella* esse subiectum verbi, ut Hist. 2, 38.

sic Zorsini. Ed. Spir. corrupte: *Sicque rorsim.*

neque regnum. Sic MSS. et vett. edd. praeter MS. Guelf. ex quo Ernest. recepit *non regnum.* Sed illius codicis auctoritas non est tanti, ut contra alios libros quidquam inde emendemus, nisi necessitas urgeat. Et Kiesslingium restituisse *neque* video.

expenderet. MS. Farnes. (t. Lips.) *exciperet,* quod recepere Bip. — MS. Agr. *excipere,* unde Ryckii amicus faciebat *exigerent.* Sed cf. Cic. Tusc. 2, 10. Virg. Aen. 11, 258.

Cap. 20. *At Claudius.* Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum I. Gronov.) Bud. Guelf. aliique test. Broterio, edd. Spir. Put. M. et deinde edd. I. Gronov. sqq. *atque Claudius* vitio operarum venit in edd. Put. V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

an repetere armis rectius foret. hinc dolor iniuriarum et libido vindictae adigebat. sed disserebatur contra: Suscipi bellum avio itinere, importuoso mari: ad hoc reges feroces, vagos populos, solum frugum egens: tum taedium ex mora, pericula ex properantia, modicam victoribus laudem ac multum infamiae, si pellerentur. quin adriperet oblata et servaret exsulem: cui inopi quanto longiorem vitam, tanto plus supplicii fore. His permotus scripsit Eunoni: Meritum quidem novissima exempla Mithridatem nec sibi vim ad exsequendum deesse: verum ita maioribus placitum, quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum. nam triumphos de populis regnisque integris acquiri.

hinc dolor. Sic libri vett. Ex emendatione Lipsii Ernestius sqq. edidere *huc* pro *hinc.* Frustra. *Hinc* est ab hac parte. cf. not. ad 11, 17. *Adigebat* absolute ponitur.

adigebat. Sic MSS. Vat. 1958. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *adiacebat* MSS. Vatt. 1863 et 1864. Agr. Reg. ed. Spir. Heinsius coniiciebat: *adacuebat.* Sed vulgatum bene se habet.

ad hoc. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Rhenan. sqq. *ad haec* edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Victorii), Alc.

populos. MS. Guelf. *pulsos.*

egens: tum taedium ex etc. Ed. Spir. *egentum tedium: ex* etc. MS. Agr. *egenum* habet pro *egens* omittitque *tum.*

pericula. MS. Guelf. *periculum.*

pellerentur. Ed. Spir. *pelleretur.*

adriperet. Put. M. et V. *obriperet.*

cui inopi. Sic edd. Put. M. et Ven. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. *quin inopi* MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Guelf. et multi alii test. Broterio, ed. Spir., quod Pichena recte putat ortum ex antiqua scriptura *quoi.* Heinsius vult *quia.*

his permotus. Sic MSS. Flor. (t. V.) Guelf. edd. Spir. Rhen. (e Bud.) sqq. — *promotus* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. cf. not. ad c. 19. Mox ed. Spir. *nec sibi ad exequendum vim deesse.* MS Flor. scribit *exenquendũ.*

quanta pervicacia in hostem, tanta etc. Ex emend. Mureti edd. Lips. sqq. — Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. *quantalibet pervicacia in hoc tentata: beneficentia.* Ed. Spir. *quanta pervicacia in hoc tentata beneficentia.* Victorius nil mutat, nisi quod *pervicatia* ed. Beroald. corrigit *pervicacia, beneficentia* corr. *beneficientia.* MS. Guelf. *quantalibet peruicatia in hoc tentata benefitia.* MS. Bud. *quanta pervicacia in hoc tempta benef.* Eadem fere Broterius in MSS. vidisse videtur. Kiesslingius legendum censet: *quantalibet pervicacia in hostem, at benef.* etc.

acquiri. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *adquiri* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

XXI. Traditus post haec Mithridates vectusque Romam per Iunium Cilonem procuratorem Ponti ferocius quam pro fortuna disseruisse apud Caesarem ferebatur. elataque vox eius in vulgum hisce verbis: „non „sum remissus ad te, sed reversus: vel si non credis, „dimitte et quaere." Vultu quoque interrito permansit, cum rostra iuxta custodibus circumdatus visui populo praeberetur. Consularia insignia Ciloni, Aquilae praetoria decernuntur.

XXII. Iisdem consulibus atrox odii Agrippina ac Lolliae infensa, quod secum de matrimonio principis certavisset, molitur crimina et accusatorem, qui obiiceret Chaldaeos, magos, interrogatumque Apollinis Clarii simulacrum super nuptiis imperatoris. Exin Claudius inaudita rea multa de claritudine eius apud senatum praefatus, sorore L. Volusii genitam, maiorem ei patruum Cottam Messallinum esse, Memmio quondam Regulo nuptam (nam de C. Caesaris nuptiis consulto reticebat), addidit perniciosa in rem publicam consilia, et materiem sceleri detrahendam. proin publicatis bonis

Cap. 21. *post haec.* Ed. Spir. *post hac.*

per Iunium Cilonem. Sic edd. Pich. sqq. — MSS. et edd. vett. *per I. Colonem.* Correxit Lipsius e Dion. 60, 33. *Cilones* et alibi inveniuntur, non *Colones.*

Cap. 22. *Iisdem.* MSS Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. *isdem*, ut saepe per contractionem; *iisdem* edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

consulibus. Ed. Spir. *temporibus.* De re cf. Dio 60, 32.

Lolliae. Sic MS. Flor. (t. V.) et edd. Rhen. sqq. Priores edd. *Loliae*, ut MS. Guelf.

magos. Ed. Spir. *magistros.*

simulacrum. Sic MSS. Flor. (t. V.) Guelf. edd. Spir. et recentt. inde a Lips. prima. — *simulachrum* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Post *simulacrum* ed. Spir. addit *etiam.*

exin. MS. Flor. (t. V.) *exim.*

L. Volusii. Ed. Spir. *Lolii volusii.*

Messallinum. Sic edd. recentt. inde a Lips. prima. *Messalinum* ed. Spir. *Messallam* MS. Guelf. *Messalam* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. *Messallinam* MS. Flor. (test. Vict.). cf. 4, 20.

Memmio. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Agric. edd. recentt. inde a Gronoviana (1672). cf. Sueton. Cal. c. 25. Dio 59, 12. *Mennio* edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

nuptiis. Abest a MS. Farnesian.

materiem. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Rhen. sqq. cf. 2, 26. 3, 31. et alibi. — *materiam* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc.

sceleri. Ed. Spir. *celeriter.*

publicatis. MS. Flor. (test. V.) *puplicatis.* cf. not. ad 11, 3. MS. Guelf. *publicatus.*

cederet Italia. Ita quinquagies sestertium ex opibus immensis exsuli relictum. Et Calpurnia inlustris femina pervertitur, quia formam eius laudaverat princeps, nulla libidine, sed fortuito sermone. unde vis Agrippinae citra ultima stetit. In Lolliam mittitur tribunus, a quo ad mortem adigeretur. Damnatus et lege repetundarum Cadius Rufus accusantibus Bithynis.

XXIII. Galliae Narbonensi ob egregiam in patres reverentiam datum, ut senatoribus eius provinciae non exquisita principis sententia iure, quo Sicilia haberetur, res suas invisere liceret. Ituraeique et Iudaei defunctis regibus Sohemo atque Agrippa provinciae Syriae additi. Salutis augurium quinque et viginti annis omissum re-

sestertium. Ed. Spir. *sestercium.* Ed. Put. M. *sextertium.* MS. Guelf. *sextercium.*

Calpurnia. Sic MS. Flor. (t. Vict.) edd. recentt. inde a Lipsii prima. *Calphurnia* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald.

vis Agrippinae. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *ex Agrippinae* ed. Spir. E MS. Flor. Victorius affert *ivet Agr.* Num fuit *vindicta?*

citra ultima. Ed. Spir. *ultima citra.* Eadem pro *et lege* habet *ex lege.*

Cadius Rufus. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. (nisi quod Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. scribunt *ruffus*). Consentiunt nummi apud Pellerin. t. 3. p. 227. cf. Hist. 1, 77. Male igitur MS. Agr. *Caelius Rufus;* Reg. *Claudius Rufus.*

Bithynis. MSS. Flor. (t. Vict.) Guelf. ed. Spir. *Bithinis.*

Cap. 23. *in patres.* Ed. Spir. *in partes.* Eadem mox *iure quoque* pro *iure quo.* Lucem accipit hic locus e Dion. 52, 42. *Προςαπεῖπε* (Augustus) *πᾶσι τοῖς βουλεύουσι μὴ ἐκδημεῖν ἔξω τῆς Ἰταλίας, ἂν μὴ αὐτός τινι κελεύσῃ ἢ καὶ ἐπιτρέψῃ. Καὶ τοῦτο καὶ δεῦρο ἀεὶ φυλάσσεται πλὴν γὰρ ὅτι ἔς τε τὴν Σικελίαν καὶ ἐς τὴν Γαλατίαν τὴν περὶ Νάρβωνα, οὐδαμόσε ἄλλοσε βουλευτῇ ἀποδημῆσαι ἔξεστιν.*

Ituraeique et Iudaei. Ed. Spir. *Iter eique et iudei.*

Sohemo. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. recentt. inde a Lipsii prima. *Sohema* ed. Spir. *Suhennio* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *Sohennio* edd. Rhen. Ald. *Suemo* MS. Guelf. Dioni 59, 12. scribitur *Σοαίμος.* Hinc Kiessl. vult *Sohaemo.*

Syriae. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *Suriae.*

Salutis augurium. Dio 37, 24. *τοῦτο δὲ μαντείας τις τρόπος ἐστὶ πίστιν τινὰ ἔχων, εἰ ἐπιτρέπει σφίσιν ὁ θεὸς ὑγίειαν τῷ δήμῳ αἰτῆσαι· ὡς οὐχ ὅσιον οὐδὲ αἴτησιν αὐτῆς, πρὶν συγχωρηθῆναι, γενέσθαι. Καὶ ἐτελεῖτο κατ' ἔτος ἡ ἡμέρα, ἐν ᾗ μηδὲν στρατόπεδον μήτε ἐπὶ πόλεμον ἐξῄει, μήτ' ἀντεπαρετάττετό τις, μήτε ἐμάχετο. καὶ διὰ τοῦτο ἐν τοῖς συνεχέσι κινδύνοις, καὶ μάλιστα τοῖς ἐμφυλίοις, οὐκ ἐποιεῖτο.* Repetitum id augurium Cicerone et Antonio coss. post longiorem intermissionem. cf. Dio l. l. instauratum rursus an. u. 725. Dio 51, 20. Iam

peti ac deinde continuari placitum. Et pomerium auxit Caesar more prisco, quo iis, qui protulere imperium, etiam terminos urbis propagare datur. nec tamen duces Romani quanquam magnis nationibus subactis usurpaverant, nisi L. Sulla et divus Augustus.

XXIV. Regum in eo ambitio vel gloria varie vulgata. sed initium condendi et quod pomerium Romulus posuerit noscere haud absurdum reor. Igitur a foro boario, ubi aereum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi coeptus, ut magnam Herculis aram amplecteretur. inde certis spatiis interiecti lapides per ima montis Palatini ad aram Consi, mox ad curias veteres,

vero quinque et viginti anni, quibus Noster augurium Salutis omissum dicit, interpretibus suspecti sunt, quoniam nemo scriptorum inter Augusti et Claudii tempora illud repetitum rettulit. Interesse igitur non 25, sed potius 77 annos putat Lipsius. Sed res ita se habet. An. u. 725. secundum Dion. 51, 20. Salutis augurium repetitum quidem est; addit vero idem: καὶ γάρ τότε δι' ἅπερ εἶπον διελέλειπτο. ἦσαν μὲν γὰρ ἐν ὅπλοις ἔτι καὶ Τριουήροι Κελτοὺς ἐπαγόμενοι, καὶ Κάνταβροι καὶ Οὐακκαῖοι καὶ Ἄστυρες. Non igitur inde ab an. 725. quotannis continuatum, sed iterum omissum est. Augustus vero postquam pontificatum maximum adeptus est (an. u. 741. Dio 54, 27.) iterum repetiit. cf. Suet. Aug. c. 31. Iam puta eam caerimoniam quotannis factam usque ad an. u. 778, tum Tiberii abscessu rursus intermissam usque ad restaurationem a Claudio nunc coeptam.

pomerium. MS. Bud. edd. Spir. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. usque ad Ernestium addunt *urbis.* Ernestius vocabulum *urbis* sustulit auctoritate MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Dicitur sane *pomerium* omisso vocabulo *urbis* Cic. N. D. 2, 4. Liv. 1, 44. et infr. c. 24. et in inscriptt. Scriptura *pomerium* (sic MS. Guelf.) pro *pomoerium* nititur lapidum inscriptionibus, et Graeci scribunt *πομήριον.* cf. Gruter. p. 196. nr. 4. Ibid. p. 198. nr. 1. et p. 242. Kiesslingius maluit *pomoerium.*

protulere. MS. Guelf. *proculere.*

Sulla. Ed. Spir. *Silla.* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Rhen. *Sylla.* cf. not. ad 1, 1. Erroris Nostrum convincit Lipsius docendo et Iulium Caesarem id usurpasse. cf. Gell. 13, 14. Dio 43, 50. 44, 49. Cic. ad Att. 13, 20. Putat tamen rem a Iulio coeptam ab Augusto demum esse perfectam. Cui opinioni non favent Dionis verba l. l., qui diserte refert et Iulium et Augustum pomerium protulisse. cf. idem 55, 6.

Cap. 24. *noscere.* Hoc abest a MS. Guelf. Idem mox *sulcis* pro *sulcus.* Deinde *dessignandi* et *amplectaretur.*

Palatini. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *Palatii* MS. Flor. (test. Vict. c. lac. Gronov.) ed. Spir. (haec *palacii*). Pro *Consi* MS. Flor. (t. V.) *Consii;* MS. Guelf. *consisti.*

mox ad curias veteres. MSS. Flor. (test. Vict. c. lac. Gronov.)

tum ad sacellum Larium: forumque Romanum et capitolium non a Romulo, sed a T. Tatio additum urbi credidere. mox pro fortuna pomerium auctum. et quos tunc Claudius terminos posuerit facile cognitu et publicis actis perscriptum.

XXV. C. Antistio, M. Suilio coss. adoptio in Domitium auctoritate Pallantis festinatur. qui obstrictus Agrippinae ut conciliator nuptiarum et mox stupro eius inligatus stimulabat Claudium, consuleret rei publicae, Britannici pueritiam robore circumdaret. sic apud divum Augustum quanquam nepotibus subnixum viguisse privignos: a Tiberio super propriam stirpem Germanicum adsumptum. se quoque accingeret iuvene partem curarum capessituro. His evictus biennio maiorem natu Domitium filio anteponit, habita apud senatum oratione

Guelf. edd. Put. M. et V. omittunt *ad*, quod commode omitti potest. Addunt *ad* edd. Spir. Ber. Alc. et recentt. inde a Lips. prima. — Edd. Rhen. Ald. *in Curia vetere*. Secundum castigatt. Rhen. voluit dare *in curias veteres*.

Larium. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — Ed. Spir. *larem*. Iac. Gronov. in MS. Flor. testatur esse *larum*, sicut in MSS. Guelf. Agr. Consentit Monim. Ancyr.

urbi credidere. Ed. Spir. *ubi credere*. MS. Guelf. omittit *pro* ante *fortuna*.

auctum. Ed. Spir. *actum*. Eadem mox cum cod. Guelf. *tunc* pro *tum*, recte.

perscriptum. Sic edd. Spir. Beroald. (c. sil. Vict.) et recentt. inde a Ryckio, qui ita emendavit e MSS. Reg. Agr. Consentiunt MSS. Flor. (test. I. Gronovio) Guelf. Bud. a pr. m. *praescriptum* edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. vulgari confusione e comp. script. orta. Ceterum MS. Guelf. addit *est*.

Cap. 25. *M. Suilio*. Ed. Spir. *L. Marco Suillo*. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. *M. Suillio*. Edd. recentt. inde a Lipsii prima *M. Suilio*. In num. apud Harduin. Sel. Oper. p. 71. *M. Συιλλιος*.

adoptio. MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Spir. *optio*.

festinatur. Ed. Spir. *destinatur*. Eadem mox pro *obstrictus* habet *obstructus*. Dein: *Britannici robur: pueritiam circumdaret*; et pro *adsumptum* illa *absumptum*, pro *iuvene* dat *iuvenem*, *capessiturum* pro *capessituro*.

biennio. Viderunt interpretes scribendum esse *triennio* saltem. Nam Nero natus est mense Decembr. (cf. infr. 13, 10.) an. u. 790. XVIII. Kal. Ianuar. cf. Suet. Ner. c. 6.; Britannicus vero Idib. Febr. an. u. 794. cf. Suet. Claud. c. 27. Quare infr. 13, 6. Nero dicitur *princeps vix septemdecim annos egressus*, et mox c. 15. quattuordecim anni tribuuntur Britannico. Vid. Ryck. ad h. l. Est vero etiam apud Suetonium in hac re mira temporum confusio. Mox MS. Guelf. *habita ante apud ad senatum oratione*.

in eundem quem a liberto acceperat modum. Adnotabant periti nullam antehac adoptionem inter patricios Claudios reperiri eosque ab Atto Clauso continuos duravisse.

XXVI. Ceterum actae principi grates quaesitiore in Domitium adulatione, rogataque lex, qua in familiam Claudiam et nomen Neronis transiret. augetur et Agrippina cognomento Augustae. Quibus patratis nemo adeo expers misericordiae fuit, quem non Britannici fortunae maeror adficeret. desolatus paulatim etiam servilibus ministeriis per intempestiva novercae officia

in eundem. MS. Flor. (test. Vict. et Iac. Gronov.) omittit *in.* Sed cf. 1, 44. 58. et alibi.

antehac. Ed. Spir. *ante hanc.* Pro *reperiri* ed. Ald. dat *reperi.*

adoptionem. MS. Guelf. *orationem.*

Atto Clauso. Sic MS. Flor. (t. Pichena et Victorio) et edd. inde a Lipsii prima. cf. not. ad 4, 9. — Ed. Spir. *Appio Claudio.* — Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. MS. Bud. *Actio Clauso.* MS. Guelf. *Accio Clauso.* — Edd. Rhen. Ald. *Appio Clauso.* MS. Vatic. (test. Lips.) *Atto Cluso.*

Cap. 26. *quaesitiore.* Sic edd. Pich. sqq. e cod. MS. Flor. qui test. Pich. et Vict. habet *quaestiore.* Ed. Spir. et MS. Guelf. *questore.* Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *exquisitiore.*

lex qua. MS. Guelf. *lex quae.*

Augustae. Ed. Spir. et MS. Guelf. *augusta*, haud inepte.

maeror adficeret. Ernestius malebat: *fortuna moerore adficeret.* Sed Tacitus absolute etiam ponit verbum *adficere*, non addito ablativo rei. cf. 4, 64. *ignis violentia urbem ultra solitum adfecit.*

per intempestiva. Sic libri vett. quantum constat omnes praeter ed. Spir. quae omittit *per*, idque auctore Ernestio recentiores edd. omnes delevere. „Noverca, ait Ernestius, volebat officiosa videri; sed id faciebat inepte. Itaque Britannicus intelligens fraudem ridebat inepta officia. Nihil clarius esse potest." Sed mihi nihil est manifestius, quam virum falsa opinione esse deceptum. Describitur misera Britannici fortuna, quae omnes maerore adficeret. Quippe desolatus paulatim etiam servilibus ministeriis per intempestiva novercae officia in ludibria vertebat (h. e. *er wurde zum Gespött*). cf. 6, 46. *ne memoria Augusti, ne nomen Caesarum in ludibria et contumelias verterent.* Addit Noster: *intelligens falsi*, non ut rationem reddat praecedentium, sed ut augeat misericordiam memorando Britannicum non ut puerum segni indole sensus expertem et cum torpore haec tolerasse, sed intellexisse fraudem, quae sibi fieret. Meo saltem sensu ab hoc loco plane alienus est risus ille, quo Britannicus novercae officia excepisse Ernestio videtur. Nec Dio, qui hanc rem Tacito uberius tractat, quidquam habet de risu Britannici, ita potius haec narrat, ut in nostram sententiam consentiat. Nam 60, 32. legimus: *καὶ τὸν Βρεττανικὸν τὸν παῖδα αὐτοῦ* (Claudii) *ὡς καὶ τῶν τυχόντων τινὰ τρέφεσθαι ἐποίει.* Mox: *Βρεττανικὸς δὲ οὔτε τινὰ τιμὴν οὔτε ἐπιμέλειαν εἶχεν. ἀλλ' ἡ Ἀγριππῖνα τούς τε ἄλλους τοὺς περιέποντας αὐτὸν τοὺς μὲν ἐξέβαλε, τοὺς δὲ καὶ ἀπέκτεινε. καὶ*

in ludibria vertebat intelligens falsi. neque enim segnem ei fuisse indolem ferunt, sive verum seu periculis commendatus retinuit famam sine experimento.

XXVII. Sed Agrippina, quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius. ac forte acciderat, ut eam gentem Rheno transgressam avus Agrippa in fidem acciperet. Iisdem temporibus in superiore Germania trepidatum adventu Cattorum latrocinia agitantium. dein L. Pomponius legatus auxiliares

τὸν Σοσίβιον, ᾧ ἥ τε τροφὴ καὶ ἡ παιδεία αὐτοῦ προσετέτακτο, κατέσφαξεν, ὡς καὶ τῷ Νέρωνι ἐπιβουλεύοντα. κἂκ τούτου παραδοῦσα αὐτὸν οἷς ἤθελεν ἐκάκου ὅσον ἐδύνατο. καὶ οὔτε τῷ πατρὶ συνεῖναι, οὔτε ἐς τὸ δημόσιον προϊέναι εἴα, ἀλλ' ἐν ἀδέσμῳ τρόπον τινὰ φυλακῇ εἶχεν. Zonaras p. 565. *τὸν δὲ Βρεττανικὸν συχνοὶ μὲν οὐδ' εἰ ἔζη ἐγίνωσκον, οἱ λοιποὶ δὲ παραπλῆγα καὶ ἐπίληπτον, ταῦτα κηρυττούσης τῆς Ἀγριππίνης, ᾤοντο.* Si tamen mavis Ernestii sequi vestigia, ne deleas quaeso voculam *per*, sed scribe *perintempestiva.* Sic 4, 12. *peridoneus*; 4, 64. *peramoena*; infr. c. 45. *persimplex.* Sallust. in fragm. apud Gellium 18, 4. *perincertum, stolidior an vanior.* In posteriorem rationem video et Kiesslingium inclinare.

falsi. Sic edd. Spir. Rhen. sqq. cum MSS. Bud. Guelf. — *falli se* edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc.

sive verum. Heinsius corrigebat: *sive e vero.* Frustra. Intell. *sive verum est.* MS. Bud. et ed. Spir. *sive ... sive ...*

commendatus ... famam. MS. Guelf. *commendatis ... phamam.*

retinuit. sc. apud posteros. Igitur *retinuit* non est pro *obtinuit*, ut Ernestio videbatur.

Cap. 27. *sociis quoque.* MS. Guelf. *sotiisque.* Secunda manus fecit *quoque.* cf. not. ad 1, 28.

impetrat. Edd. Lipsii, Pichen. Gruter. *imperat*, vitio operarum, ut videtur Ernestio. Veterem scripturam *impetrat* habent edd. Bernegg. sqq. Pro *Ubiorum* MS. Flor. (test. Vict.) habet *Ubiiorum;* ed. Put. Ven. *Ubicrum*, vitio operarum.

ex vocabulo. MS. Flor. (test. Vict.) omittit *ex*, haud inepte. Audiunt *Agrippinenses* in inscript. apud Grut. p. 436.

avus Agrippa. Lipsius rem refert ad an. u. 717. Dio 48, 49. Potest vero etiam referri ad an. 735. Dio 54, 11., ubi Agrippa Galliis praefectus per Germanos infestatis res ibi composuit.

iisdem. Ed. Spir. *isdem*, per contr., ut saepe. — *hisdem* MS. Guelf.

adventu. MS. Flor. (test. Vict.) *aduectu*, quod bonum est, si cogitas de navali Cattorum expeditione per Rhenum facta. cf. not. ad Germ. c. 9.

Cattorum. MS. Guelf. *Cacthorum:* idem infra *Cathi.* Ed. Spir. *canthorum.* Edd. Put. M. et V. *Catthorum.* Edd. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *Cattorum.* cf. not. ad 1, 55. Eodem modo libri variant c. 28.

dein L. Pomponius. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *Deinde* MS.

Vangionas ac Nemetas addito equite alario monuit, ut anteirent populatores vel dilapsis improvisi circumfunderentur. Et secuta consilium ducis industria militum, divisique in duo agmina, qui laevum iter petiverant, recens reversos praedaque per luxum usos et somno graves circumvenere. aucta laetitia quod quosdam e clade Variana quadragesimum post annum servitio exemerant.

XXVIII. At qui dextris et propioribus compendiis ierant, obvio hosti et aciem auso plus cladis faciunt, et praeda famaque onusti ad montem Taunum revertuntur,

Guelf. edd. Put. M. et Ven. Ber. Alc. Rhen. sqq. *Dein* vel *deinde* hic ut 2, 69. valet non de tempore, sed de causa, quemadmodum *ἐκ τούτου*, *demnach*, *demzufolge*. cf. not. ad 2, 69. Quare viri docti frustra coniecere *proinde*, ut Acidalius e cod. Lampugn.; *inde*, ut Hillerus, quod nimis sedulo Oberlinus recepit. Bekkerus restituit *deinde*. Quod Ernestius vidit punctum post *deinde* in edd. Spir. Put. Riv. et MS. Guelf., unde colligit lacunam hic esse, nihili est; nam edd. vett. ubique fere compendium praenominum ita exhibent, ut duobus punctis includant, sic *.L.* et *.C.* et *.M.* aliaque eiusdem generis.

Vangionas. Sic edd. Spir. Iac. Gronov. Ernest. sqq. cum MSS. At edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. *Vuangionas*. MSS. Harl. Bodl. Ies. *Wangionas*. Guelf. *vvangionas*. Edd. Rhenan. sqq. *Vangiones*, non ex cod. Bud. qui habet *Vangionas*.

alario. Ed. Spir. et MS. Guelf. *clario*.

monuit. MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. *monitos*; ed. Spir. *monito*. Quare satis recte cum Rhenano coniicias verbum finitum excidisse. Et ille quidem emendat: *addit*, *equite alario monito*. Sed monitum Pomponii non modo ad equitem pertinuisse, sed etiam ad pedites, patet e sequentibus, ut bene animadvertit Ernestius. Quare malim: *mittit*, *addito equite alario*, *monitos*, *ut* etc. cf. 1, 63. *monitos*.

populatores. Ed. Spir. *populationes*.

dilapsis. Edd. Rhen. sqq. *delapsis*, vitio operarum. Veram scripturam e MS. Flor. restituit Pichena. Consentiunt MSS. Bud. Guelf. et edd. vett. E vitio typogr. ed. Ald. dat *delapsus*.

improvisi. MS. Guelf. *improvisum*.

militum. Sic MS. Bud. edd. Spir. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *militis* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. et nuper Kiesslingius. Parum refert.

quadragesimum. MS. Flor. (t. Vict.) *quadragensimum*, quae scriptura frequens est in illo codice. Rhenanus e MS. Bud. dederat *post quadr.* Pichena e MS. Flor. praepositionem suo loco reposuit. Consentiunt ceteri libri vett.

Cap. 28. *ierant.* Ed. Spir. *iuerant*.

aciem auso. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. et edd. recentt. inde a Lipsii prima. — *in aciem auso* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. — *acie auso* ed. Spir.

onusti. MS. Guelf. *honusti*, ut supra.

Taunum. Sic MS. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. cf. 1, 56. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. *Taurum*.

ubi Pomponius cum legionibus opperiebatur, si Catti cupidine ulciscendi casum pugnae praeberent. Illi metu, ne hinc Romanus inde Cherusci, cum quis aeternum discordant, circumgrederentur, legatos in urbem et obsides misere: decretusque Pomponio triumphalis honos, modica pars famae eius apud posteros, in quis carminum gloria praecellit.

XXIX. Per idem tempus Vannius Suevis a Druso Caesare impositus pellitur regno, prima imperii aetate clarus acceptusque popularibus, mox diuturnitate in superbiam mutans et odio adcolarum, simul domesticis discordiis circumventus. Auctores fuere Vibillius Hermundurorum rex et Vangio ac Sido sorore Vannii geniti. nec Claudius quanquam saepe oratus arma certantibus barbaris interposuit, tutum Vannio perfugium promittens, si pelleretur: scripsitque P. Atellio Histro, qui

casum. MS. Guelf. *causam.*

aeternum. Sic 3, 26. *aeternum mansere.* Pro *aeternum* MS. Guelf. habet *certe non.*

Cap. 29. *Vannius Suevis a Dr. C. imp.* Cf. 2, 63. MS. Guelf. *Vannius Sueuius* etc.

diuturnitate. Sic ed. Spir. et e MS. Flor. edd. Pichen. sqq., postquam Lipsius ita legendum esse iam prius divinaverat. Victorius tamen intactum reliquit *diuturnitatem*, quod habent MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Vitium originem traxit ex interposito *in.*

mutans. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. cf. not. ad 2, 23. Ed. Spir. *mutatus.*

Vibillius. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronovio) Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. Ernest. sqq. cf. 2, 63. — Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. c. MSS. Harl. Bodl. Ies. *Iubillius*, vulgari syllabarum *vi* et *iu* confusione. cf. not. ad 1, 8. MS. Guelf. non *Iubelius*, uti traditum est, sed *Iubilius.*

Hermundurorum. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Alc. Rhen. sqq. — Edd. Put. M. et V. *Hermundorum.* Ed. Beroald. *Hermunduorum.* — MS. Guelf. *Hermondorum.*

Vangio ac Sido. Sic Rhenanus et sqq. ut videtur e MS. Bud. — *Vangio ac Sidio* ed. Spir. — *Vando ac Sydo* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Verum c. 30. MS. Flor. (test. Vict.) habet *Vagio ac Sidio;* ed. Spir. *Vagio ac Sidio* cum Flor. conspirans. — Edd. Put. M. et V. Beroald. *Vangio ac Sydo.* De *Sidone* cf. Hist. 3, 5. Strombeckius e MS. Guelf. pro *ac* falso prodidit *et.* Pro *perfugium* ibi legitur *perfugum.*

P. Atellio Histro. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Vatic. (Lips.) edd. Put. M. (sed *Hystro*) Pich. sqq. *P. Attellio histro* ed. Spir. MSS. Agr. Guelf. (hic *hystro*). — *P. Atillio hystro* edd. Put. V. Ber. Alc. — *P. Attilio Histro* edd. Rhen. sqq. e MS. Bud. — Pro *Atellio* Lipsius et Ryckius

Pannoniam praesidebat, legionem ipsaque e provincia lecta auxilia pro ripa componeret, subsidio victis et terrorem adversus victores, ne fortuna elati nostram quoque pacem turbarent. nam vis innumera Lygii aliaeque gentes adventabant fama ditis regni, quod Vannius triginta per annos praedationibus et vectigalibus auxerat. Ipsi manus propria pedites, eques e Sarmatis Iazygibus erat, impar multitudini hostium, eoque castellis sese defensare bellumque ducere statuerat.

XXX. Sed Iazyges obsidionis impatientes et proximos per campos vagi necessitudinem pugnae attulere, quia Lygius Hermundurusque illic ingruerant. igitur degressus castellis Vannius funditur proelio, quanquam

coniiciebant legendum *Palpelio*, quo nomine *Hister* aliquis legitur in inscript. apud Gruterum p. 447. nr. 4. Nemo tamen eiusmodi emendationes certo adfirmabit.

Pannoniam. Sic MS. Flor. (t. Vict. c. Pich.) edd. Pich. sqq. *Pannoniae* MSS. Bud. Guelf. aliique, edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — cf. not. ad 1, 58.

componeret. Sic edd. Spir. et ceterae omnes cum vett. tum recentt. *componere* MSS. Flor. (t. Vict. et Iac. Gronov.) Guelf. haud absurde. Sic 6, 2. *orabat deligere*; 2, 37. *inlectus ducere*; 11, 9. *pepigere ulcisci.*

terrorem. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronovio) edd. Spir. Ernest. sqq. — *terrori* MS. Bodl. edd. Put. V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *terrore* ed. Put. M. — *tempore* MSS. Bud. Guelf. Ies.

turbarent. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Put. M. Alc. Rhen. sqq. — *turbarentur* (operarum vitio) edd. Put. V. Beroald.

vis. Ed. Spir. *ius*, vulgari confusione.

Lygii. Sic edd. Oberl. sqq. cf. Germ. c. 43. — *Ligii* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Sed Graeci scribunt *Λύγιοι*. cf. Xiphil. 67, 5.

Iazygibus. Sic edd. Rhen. sqq. Graecis *Ἰάζυγες*. Xiph. l. l. — MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. *Iazigibus.* — Ed. Spir. *Iargizibus.* Mox *Laziges.* Observavi saepius in officina Spirensi longum *I*, quod exstat in MSS., mutatum esse in *l*.

bellumque. MS. Guelf. *bellum quoque.*

CAP. 30. *Lygius Hermundurusque.* Ed. Spir. *Ligius hermus: Clurusque.*

ingruerant. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Berold. (c. sil. Vict.) Alc. MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. — *ingruebant* edd. Rhenan. sqq. e MS. Bud. Veterem scripturam restituit Pichena.

degressus. Sic edd. Ernest. sqq. cf. 4, 49. Nam Vannius descendit in campum, ut proelium committeret. Vett. libri omnes *digressus.* cf. not. ad 2, 69. Id tamen me offendit, quod Vannius *castellis* non ita apte dicitur *degressus*, ac si esset *castello.* Quodsi vis cum Kiesslingio retinere *digressus*, intellige de castellis relictis, omissis.

rebus adversis laudatus quod et pugnam manu capessiit et corpore adverso vulnera excepit. Ceterum ad classem in Danubio opperientem perfugit. secuti mox clientes et acceptis agris in Pannonia locati sunt. Regnum Vangio ac Sido inter se partivere, egregia adversus nos fide: subiectis, suone an servitii ingenio, dum adipiscerentur dominationes, multa caritate, et maiore odio, postquam adepti sunt.

XXXI. At in Britannia P. Ostorium pro praetore turbidae res excepere, effusis in agrum sociorum hostibus eo violentius, quod novum ducem exercitu ignoto et coepta hieme iturum obviam non rebantur. Ille gnarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni citas

capessiit. Sic edd. Rhen. sqq. (Ernestius de Rhenano falsus est. In castigatt. ille dicit se dedisse *capessit;* in contextu est *capessiit*). MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *capesciit.* cf. not. ad 12, 11. — Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *capessuit*, quod videtur originem traxisse e forma Flor. — *capessit* MS. Guelf.

Danubio. MSS. Flor. (test. Vict. et Iac. Gronov.) Guelf. *dauio* sive e compendio script. sive litteris mediis omissis, quod saepius accidisse iam aliquoties vidimus.

et acceptis. Ed. Spir. *ut acceptis.* — *Et* Ernestio tollendum videbatur. Scilicet Tacitum breviorem facere student quam per se est. Sed hic duo momenta distinguuntur, *clientes mox secutos esse* et *acceptis agris in P. locatos;* quare bene se habet *et.* — Mox MS. Guelf. *Vangido ac Sydo.*

partivere. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichen.) Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Pichen. sqq. et sic MSS. test. Broterio. — *partiti sunt* edd. Spir. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Ante Pichenam iam Lipsius in MSS. invenerat *partivere* posueratque in margine.

adversus. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Vatic. (Lips.) Bud. Agr. edd. Spir. Lips. Pichen. sqq. — *apud* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. Mox pro *subiectis* MS. Agr. dat *incertum.*

dominationes. Sic libri omnes. Ernestius cum amico Ryckii malebat *dominationis*, ut 6, 45. Sed *dominationes* hic sunt regna, *Herrschaften*, et de duobus regibus sermo est. cf. 3, 26. *dominationes provenere.*

Cap. 31. *At in Br. P. Ostorium.* cf. Agr. c. 14. MS. Guelf. *P. Ostrium.*

pro praetore. Sic edd. I. Gronov. Ernest. Oberl. sqq. ut e MSS. Flor. Guelf. — Victorius tamen intactum reliquit *propraetorem*, quod habent edd. vett. et MS. Bud. De ceteris MSS. tacent.

effusis. Ed. Spir. *et fusis.* Eadem mox *in agris* pro *in agrum.*

hieme. Edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. Ald. *hyeme.* Scripturam *hieme* dedit Lipsius. Est in MS. Guelf. ed. Spir. Pro *iturum* Guelf. habet *icturum*, et *rebatur* pro *rebantur*, *illi* pro *ille.* Mox pro *aut fid.* ed. Spir. dat *ad fid.*

cohortes rapit, et caesis qui restiterunt, disiectos consectatus, ne rursus conglobarentur infensaque et infida pax non duci, non militi requiem permitteret, detrahere arma suspectis cunctaque castris Aufonam et Sabrinam fluvios cohibere parat. Quod primi Iceni abnuere, valida gens nec proeliis contusi, quia societatem nostram volentes accesserant. hisque auctoribus circumiectae nationes locum pugnae delegere septum agresti aggere et aditu angusto, ne pervius equiti foret. Ea munimenta dux Romanus, quanquam sine robore legionum sociales copias ducebat, perrumpere adgreditur et

cohortes. MS. Guelf. *cohortis.*

qui restiterunt. Sic MSS. (Guelf. *restituerunt*) et edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. usque ad Ernestium, qui dedit *restiterant.* Consentit ed. Spir. Sed eadem huius loci ratio est quam vidimus ad 1, 53. sub verbo *scripsit;* 2, 62. sub v. *transtulit;* 6, 31. sub v. *imposuit.* Etenim *restiterunt* ἀορίστως dicitur, ut sententia sit: alios restitisse eosque caesos esse, alios disiectos eosque illum consectatum esse. *Restiterant* est tempus relativum et locum ita constituit, ut respiciatur ad aliquos, quos restitisse aliunde tibi constet, qui tamen hic sunt nulli. Invenio et Kiesslingium restituisse *restiterunt.*

cunctaque castris Aufonam et Sabrinam fl. c. p. Cum Bekkero recepi emendationem Camdeni *Aufonam* legentis pro *Antonam*, quod vett. libri exhibent (in Guelf. sec. manus fecit *Antoniam*). Satis enim verisimile est intelligi eum fluvium, qui hodie audit *Avon.* cf. Cellar. geogr. ant. Vol. I. p. 403. In ceteris reduxi verba MS. Flor. qui (test. Vict. c. al.) habet *cunctaque.* Scilicet *cunctâ* est graecum πάντη, Dorice παντᾶ. Nam Hist. 3, 13. Noster: *mox cuncta simul erumpunt* h. e. undique erumpunt. *Cohibere fluvios* h. e. cavere ne transeant fluvios. Graece κωλύειν, εἴργειν τινά τι. Quam loci rationem quum non intelligerent, varie mutarunt. Ed. Spir. *cunctasque castris Antonam et Sabnam fl. c. p.* — MSS. Harl. Ies. Guelf. *cinctasque castris.* — Alii MSS. et edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *cinctosque c.* Lipsius e suis libris adfert: *cunctisque castris.* — MS. Agr. *iunctisque castris.* Accedunt virorum doctorum coniecturae. Lipsius vult: *cinctisque: castris* etc. vel *cinctosque castris*, *Antona et S. fluviis;* Pichena: *cunctosque ultra A. et S.;* Heinsius: *iunctoque castris* vel *cunctaque c. Antonam inter et S. fluvios* etc. Bipont. et Oberl. *cunctosque castris ad A. et S. fl.*

primi Iceni. Ed. Spir. *primigeni.*

contusi. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Reg. Farnes. edd. Spir. Pichen. sqq. *concussa* MSS. Harl. Bodl. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — *concussi* MS. Bud. Quae sunt interpretamenta scripturae genuinae. cf. 4, 46. *contusis Thracum gentibus.*

circumiectae. Ed. Spir. *circumuectae.*

aditu. Edd. Put. V. et Beroald. Alc. *additu.* Victorius corr. *aditu.*

distributis cohortibus turmas quoque peditum ad munia accingit. tunc dato signo perfringunt aggerem suisque claustris impeditos turbant. Atque illi conscientia rebellionis et obseptis effugiis multa et clara facinora fecere. qua pugna filius legati M. Ostorius servati civis decus meruit.

XXXII. Ceterum clade Icenorum compositi qui bellum inter et pacem dubitabant: et ductus inde in Cangos exercitus. vastati agri, praedae passim actae, non ausis aciem hostibus vel, si ex occulto carpere agmen tentarent, punito dolo. Iamque ventum haud procul mari, quod Hiberniam insulam aspectat, cum ortae apud Brigantas discordiae retraxere ducem destinationis certum, ne nova moliretur nisi prioribus firmatis. Et Brigantes quidem paucis, qui arma coeptabant,

peditum ad munia. Lipsius hic haerebat emendabatque: *turmas, quodque peditum.* Pichena melius docuit coniungenda esse *peditum ad munia.*

qua. MS. Guelf. *contra.*

servati civis decus. Sub his verbis Victorius adnotavit: „Praemium servati civis in proelio corona quernea erat, ut multis antiquorum auctorum testimoniis patet, vidimus etiam nomisma aeneum hac inscriptione: *C. Caesar Divi Aug. pronepos Aug. P. m. trib. pl. m. P. P.* In adversa autem parte: S. P. Q. R.
P. P.
ob cives
servatos.
Erat autem undique quernea corona in adversa parte illius numismatis." MS. Guelf. pro *civis* habet *cuius.*

Cap. 32. *ductus inde in Cangos.* Sic edd. Oberlin. sqq. e coniectura Pichenae. — MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichen.) Vat. Corb. Harl. Bodl. Ies. Guelf. ed. Spir. *d. inde Cangos.* — MS. Bud. *inde Gangos.* Et sane Tacitus sine praepositione ponit locum, in quem quis tendit, quemadmodum fit in nominibus oppidorum. cf. 2, 54. *tramisit Lesbum.* Hist. 3, 85. *Vitellius Aventinum, in domum uxoris, sellula defertur.* Virgil. Ecl. 1, 65. *sitientes ibimus Afros.* Tac. infr. c. 55. *ipse praeceps Iberos ad patruum regnum pervadit.* cf. not. ad c. 16. sub verbis: *Exin in Siracos.* Sed hic non regio significatur simpliciter, in quam exercitus ductus est; sed *contra Cangos* exercitum esse ductum, ut mox c. 33. *Itum inde in Siluras,*

Hiberniam. Ed. Spir. *hibernam.* Paulo ante *Iamque* MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Guelf. edd. Spir. Pich. sqq. *Iam* omisso *que* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

Brigantas. Sic MS. Corb. edd. Spir. Ernest. sqq. — *Brigantes* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. cum silentio Victorii. Ernestius e MS. Guelf. falso prodidit *Brigantas.*

coeptabant. Sic libri vett., nisi quod in ed. Spir. est *coeperant.* Quod Kiesslingius corruptum putat e *ceperant.* Ernestius ex Acidalii opinione dedit *coeptarant,* quod non est verius, quam quod

interfectis, in reliquos data venia, resedere: Silurum gens non atrocitate, non clementia mutabatur, quin bellum exerceret castrisque legionum premenda foret. id quo promptius veniret, colonia Camulodunum valida veteranorum manu deducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles et imbuendis sociis ad officia legum.

XXXIII. Itum inde in Siluras super propriam ferociam Caractaci viribus confisos: quem multa ambigua, multa prospera extulerant, ut ceteros Britannorum imperatores praemineret. sed tum astu locorum fraude prior

idem volebat *statuerunt* pro *statuebant* 6, 29. Hic etiam *pauci, qui arma coeptabant*, non sunt certi quidam homines, de quis satis tibi constet; sed intelligendi sunt pauci talium hominum, qui arma coeptarent h. e. si qui coeptabant, interficiebantur, in qua indefinite loquendi ratione Noster more Graecorum constanter usurpat imperfectum. Uti hic ita et Hist. 3, 52. in *scriptitabat*; Agr. c. 21. in *abnuebant* offendebatur idem Ernestius.

in reliquos. Ed. Spir. *et in rel.* Eadem *residere.*

Silurum. Sic edd. Rhen. sqq. et sic edd. vett. c. 38. Hoc loco ed. Spir. *Diluarum*; MS. Guelf. edd. Put. V. et Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. *Sylurarum*; ed. Put. M. *Silurarum*; MS. Bud. *Siluarum*. cf. Agr. c. 17.

id quo. Ed. Spir. *id quod.* MS. Guelf. *In quo.* Idem cod. *promptus* pro *promptius.*

Camulodunum. Sic MSS. Flor. Agr. Oxon. et MSS. Broterii, edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *camulodonum* ed. Spir. *Camuldonum* MS. Guelf. cf. Dio 60, 21. *Camulodunum* exhibet inscriptio apud Gruter. p. 439. cf. 14, 31.

officia legum. Opposita sunt *munia legum* 1, 2. 11, 5. Male Boxhornius coniecit legendum esse *officia legionum*; nec opus est emendatione Burmanni, qui (ad Claudianum de sext. cons. Hon. v. 100) vult *obsequia.*

Cap. 33. *Siluras.* Sic MS. Guelf. edd. Spir. et recentt. inde a Lipsii prima. *Syluras* edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald.

Caractaci. Sic edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *Carataci* ed. Spir. MSS. Reg. Guelf. et sic Zonaras p. 565. — *Carattaci* MS. Ies. — *Καταράτακον* habet Dio 60, 20. Infr. c. 34. MS. Guelf. habet *Caractacus.*

praemineret. Sic edd. Spir. Put. sqq. — *praeemineret* MS. Guelf.

sed tum astu locorum fraude prior. Sic MS. Flor. test. Vict. c. al. Parum inde deflectunt MS. Reg. et ed. Spir. qui libri habent *tamen* pro *tum.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. et nuper Oberlin. sqq. *sed tum astu, tum locorum fraude prior.* — MSS. Agr. Bud. *sed tamen astu locorumque fraude prior.* Lipsius dedit: *Sed astu, tum locorum fraude prior.* Pichena revocavit scripturam MS. Flor. Sed quia sic locum nondum satis sanum putabant, I. Gronovius coniecit: *Sed tum astu, loco, tum fraude prior,* nemine adplaudente; Ernestius: *sed ea tempestate, locorum f. p.*;

tis, intemerata coniugum et liberorum corpora retinerent. Haec atque talia dicenti adstrepere vulgus: gentili quisque religioni obstringi non telis, non vulneribus cessuros.

XXXV. Obstupefecit ea alacritas ducem Romanum: simul obiectus amnis, additum vallum, imminentia iuga, nihil nisi atrox et propugnatoribus frequens terrebat. sed miles proelium poscere, cuncta virtute expugnabilia clamitare, praefectique ac tribuni paria disserentes ardorem exercitus intendebant. Tum Ostorius, circumspectis quae impenetrabilia quaeque pervia, ducit infensos amnemque haud difficulter evadit. ubi ventum ad aggerem, dum missilibus certabatur, plus vulnerum in nos et pleraeque caedes oriebantur. postquam facta testudine rudes et informes saxorum compages distractae parque cominus acies, decedere barbari

gentili quisque religioni. Sic libri vett. omnes. Edd. recentiores inde a Lipsii prima e correctione, quae est in ed. Gryphiana, dant *religione*, quod Ernestius interpretatur, suae quemque gentis more iurasse. Sed cur non putemus quemque suae gentis *religioni* h. e. diis patriis iureiurando obstrictum? Nam obstringi alicui rei dicuntur, qui ita obstringuntur, ut illa re teneantur. Veterum librorum auctoritatem certe servandam esse duxi.

Cap. 35. *Obstupefecit.* MS. Guelf. *obstufecit.* Mox *praemium* pro *proelium.*

ac tribuni. Ed. Spir. *Tibrum* pro *ac trib.* Ante MS. Guelf. pro *virtute* dat *virtuti.* Ceteri libri vulgata tuentur.

intendebant. Sic libri vett. omnes et Lipsii prima. E correctione, quae est in ed. Gryphiana, originem traxit verbum inde a Lipsio vulgatum *incendebant.* Male. Nam *incensus* iam prius erat ardor militum; praefecti ac tribuni paria disserentes *intendebant* h. e. augebant. cf. Hist. 2, 53. *intendebat formidinem.* An. 4, 26. *huic negatus honor gloriam intendit.* Hist. 1, 24. *largitionem secretioribus praemiis intendebat.* Sic etiam *ardor*, h. e. studium, intendi apte dicitur. Revocavit et Kiesslingius.

tum Ostorius. Ed. Spir. *tunc Ostorius.*

certabatur. MS. Agr. ed. Spir. *certatur.*

et pleraeque caedes oriebantur. Heinsius scribendum censet: *et peraeque caedis oriebatur.* Sed *caedes* numero plur. bene huic loco convenit. cf. 1, 44. *et pleraeque* est pro *plurimae*, ut saepe.

postquam. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Spir. *posteaquam* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

distractae. MS. Flor. (test. Vict.) *distracta*, vitiose, nisi mutes *rudis et informis.* Mox MS. Guelf. *comminus.*

decedere. Sc. loco. Est verbum de iis, qui impares pelluntur. Brevitatis studio auctor statim addit *in iuga montium*, quum de-

in iuga montium. sed eo quoque inrupere ferentarius gravisque miles, illi telis adsultantes, hi conferto gradu, turbatis contra Britannorum ordinibus, apud quos nulla loricarum galearumve tegmina, et si auxiliaribus resisterent, gladiis ac pilis legionariorum, si huc verterent, spathis et hastis auxiliarium sternebantur. Clara ea victoria fuit captaque uxore et filia Caractaci fratres quoque in deditionem accepti.

XXXVI. Ipse, ut ferme intuta sunt adversa, cum fidem Cartismanduae reginae Brigantum petivisset, vinctus ac victoribus traditus est, nono post anno quam bellum in Britannia coeptum. unde fama eius evecta insulas et proximas provincias pervagata per Italiam quoque celebrabatur, avebantque visere, quis ille tot per annos opes nostras sprevisset. Ne Romae quidem ignobile Caractaci nomen erat: et Caesar, dum suum

buisset interponi aliud verbum *secessum* significans. Acidalius coniiciebat *recedere;* amicus Ryckii *secedere.*

ferentarius. MS. Guelf. *fermentarius.*

conferto gradu. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. Recte. Nam *conferto gradu* opponitur *turbatis Britannorum ordinibus.* cf. Liv. 9, 27. *confertiores steterant.* Contra MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Oberl. sqq. habent *conserto.* cf. not. ad 6, 35.

apud quos nulla lor. g. tegmina. Quare Βουνδουΐκα apud Dion. 62, 5. suos laudat, quod non ut Romani utantur galeis, thoracibus etc. Vocabulum *galearum* non est in MS. Guelf. quanquam addit *ue* post *loricarum.*

spathis. Sic edd. Gron. 1672. sqq. cum MSS. Reg. Guelf. Hesychius: σπάθη. Vett. edd. omnes *spatis*, c. silentio Vict.

fratres quoque. Ed. Spir. *fratresque.* cf. not. ad 1, 28. Eadem ed. Spir. *dedicionem.*

Cap. 36. *ipse, ut ferme* etc. MS. Guelf. *ipsa ut ferme intuta sunt, adversam cum* etc.

Cartismanduae. Sic edd. recentt. inde a Lipsii prima ex Hist. 3, 45. — MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. hic *Cartimandus;* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *Cartimanduae.* Broterius e MSS. pro variis lectt. adfert *Cartunanduae* (et sic MS. Guelf.), *Cartumanduae.* Cf. not. ad c. 40.

vinctus. Ed. Spir. *iunctus*, vulgari confusione. Eadem *et victoribus.* Mox MS. Guelf. pro *nono* habet *Nemo:* dein *phama*, uti solet.

evecta insulas. Ed. Spir. *in insulas*, male. Heinsius putabat *insulam* h. e. ipsam Britanniam. Sed insulae hic opponuntur terrae continenti. Mox MS. Guelf. *provincias* fert in margine, in contextu *ciuitates:* dein *celebrebatur*, et postea *ruebantque* pro *avebantque.*

decus extollit, addidit gloriam victo. vocatus quippe ut ad insigne spectaculum populus. stetere in armis praetoriae cohortes campo, qui castra praeiacet. tunc incedentibus regiis clientulis phalerae torquesque, quaeque externis bellis quaesierat, traducta: mox fratres et coniunx et filia: postremo ipse ostentatus. Ceterorum preces degeneres fuere ex metu: at non Caractacus aut vultu demisso aut verbis misericordiam requirens.

XXXVII. Ubi tribunali adstitit, in hunc modum locutus est: „Si, quanta nobilitas et fortuna mihi fuit, „tanta rerum prosperarum moderatio fuisset, amicus „potius in hanc urbem quam captus venissem: neque „dedignatus esses claris maioribus ortum, pluribus gen„tibus imperitantem, foedere pacis accipere. Praesens

victo. Ed. Spir. *vincto.* Eadem pro *ad insigne* dat *adsigne.*

castra praeiacet. Sic MSS. Harl. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *castris praeiacet* MSS. Vatic. (t. Lips.) Reg. et Spir.

tunc incedentibus. Sic MSS. et edd. vett. (c. sil. Vict.). — Ernestius, Broterius sqq. *tunc* ex ingenio mutarunt in *tum*, illudque alienissimum dicit Ernestius. „Nam *tunc*, ait, est eo tempore; *tum*, post, quo facto." Recte. Sed propterea huc quadrat *tunc*, neque vero *tum*. Nam illa rerum traductio et clientium incessus haud dubie fuit, dum in armis stabant praetoriae cohortes, neque vero postquam steterant. Bene igitur Strombeckius dixit: *Da;* male Ricklefs: *Darauf.*

clientulis. Sic MSS. et edd. omnes ante Lipsium, quem secuti omnes dein edidere *clientelis.* Sed *clientulis* satis tutum est per locum de Orat. c. 36. nec in sua forma quidquam habet, quod latinitati repugnet. Sic *adolescentulus*, *infantulus.* cf. not. ad 14, 61.

phalerae. Ed. Spir. *fallere.*

torquesque. MS. Flor. (t. Vict.) *torquibus.*

externis bellis. Ed. Spir. *bellis externis.* Eadem *quaesiverat.*

traducta. MS. Reg. ed. Spir. *tradita sunt.*

ex metu. Hoc additur, quoniam et aliis de causis degeneres esse possunt preces. *Non*, quod sequitur, non alieno, sed aptissimo loco et cum emphasi positum esse non est quod disseram. Secus videbatur Ernestio, qui lacessebat quoque vocem *ex metu.*

Cap. 37. *neque dedignatus esses ... ortum ... imperitantem ... accipere.* Sic MS. Flor. (t. Vict.). Consentit fere ed. Spir., nisi quod habet: *essem . . . imperantem . . . foedera.* Scripturam Flor. sequuntur edd. Lips. Pichen. sqq., nisi quod Lipsius habet *imperantem.* Cum ed. Spir. conspirat MS. Reg., ut saepissime. At MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *neque dedignatus essem . . . ortus . . . imperitans foedere pacem accipere.* Illa quae sunt a MS. Flor., haud dubie praestant. Nam quae C. adfert, se claris maioribus ortum etc. non ita potuere impellere Caractacum ad pacem foedere accipiendam, quam Claudium, ut

„sors mea, ut mihi informis, sic tibi magnifica est. habui equos, viros, arma, opes. quid mirum, si haec „invitus amisi? nam si vos omnibus imperitare vultis, „sequitur, ut omnes servitutem accipiant? Si statim „deditus traderer, neque mea fortuna, neque tua gloria „inclaruisset. et supplicium mei oblivio sequeretur: at „si incolumem servaveris, aeternum exemplar clementiae ero." Ad ea Caesar veniam ipsique et coniugi et fratribus tribuit. atque illi vinclis absoluti Agrippinam

foedere pacis illum acciperet. Verum qui scripsere *dedignatus essem*, id verbum passive posuerunt. Ceterum non tacebo, Victorium in suo exemplari Beroald. intactum reliquisse *pacem*, quum reliqua corrigeret; et nisi fallor ea demum vera script. est, quae sic oritur: *neque dedignatus esses c. m. ortum, p. g. imperitantem, foedere pacem accipere*, intellecto ὥςτε ante *foedere pacem accipere*, ut eadem sit structura, quam vidimus 11, 1. *non extimuisse concionem p. r. fateri* etc. cf. ibi not. Quam structuram qui non intelligerent, locum constituere, uti est in MSS. Harl. etc.

nam si vos etc. Sic libri vett. omnes praeter MS. Agr., ex quo Ryckius sqq. dedere: *non si vos* etc. Lipsius volebat: *Num si vos .... accipiant?* Sed bona est vetus scriptura. Idem enim hic ponitur interrogationis genus, quod vidimus 2, 15. *aliud sibi reliquum.* cf. ibi not. Germanice: *Denn wenn ihr allen gebieten wollt, folgt wohl, daſs alle die Knechtschaft annehmen wollen.* Ceterum pro *sequitur* MS. Agr. habet *sequetur*, ut volebat Lipsius. Frustra.

traderer. Miror Ernestium hoc tempus intactum reliquisse. Sed bene se habet. Nam *traderer* auctor scribit, non *traditus essem*, quoniam in hoc verbo non cogitat de certo momento tradendi, quod aliquando fuit, sed rem dicit ut e mera cogitatione pendentem. Germanice: *Wenn ich sogleich mich ergebend überliefert würde* etc. Ceterum MS. Guelf. habet *tradererer.*

sequeretur. Post *inclaruisset* Bekkerus bene reposuit plenam distinctionem, quae pridem erat in vett. edd. Sed non debebat e Rhenani coniectura *sequeretur* mutare in *sequetur.* Nam *sequeretur* recte ponitur in optativo, quia C. de supplicio loquitur ut de re, quae fieri quidem posse sibi videatur, quam vero factum iri non certo adfirmet. Germanice: *Meiner Hinrichtung würde Vergessenheit folgen.* H. e. si supplicio me adficeres, oblivio sequeretur. At cum fiducia quadam pergit: *si incolumem ... ero*, ut de re satis certa addita scilicet conditione: *si .. servaveris.* Mox MS. Guelf. eodem vitio, quod supra vidimus, pro *aeternum* dat *certae non.*

vinclis. Ed. Spir. *vinculis*, contra Taciti morem.

absoluti. Sic MSS. et edd. vett. — *exsoluti* recentiores inde a Lipsii prima. Scilicet *exsolvere* vinclis melius convenire videbatur quam *absolvere.* At *vinclis absoluti* hic non sunt tantum intelligendi, quibus vincla exsoluta et adempta, sed potius quibus ademto vinclo libertas est reddita *(von Banden befreit und freigesprochen)*, ut porro non vinciantur. Contra *vinclis exsolutus* intelligi potest, qui ad tem-

vi militum inferior transfert bellum in Ordovicas, additisque, qui pacem nostram metuebant, novissimum casum experitur, sumpto ad proelium loco, ut aditus, abscessus, cuncta nobis importuna et suis in melius essent, tunc montibus arduis, et si qua clementer

Bip. *sed tum iste l. f. p.* Verum nil opus est hisce coniecturis; genuina est script. MSti Flor. *Astus* Tacito est *consilium illud imperatorium, quod Graeci στρατήγημα appellant.* Cic. N. D. 3, 6. cf. Hist. 2, 28. 3, 73. 5. 17 et 22. Iam iste *tum astu prior* fuit *fraude locorum* h. e. quia locis utebatur in fraudem Romanorum (*an Kriegslist überlegen durch schlaue Benutzung des Terrain*). Duplex ablativus diversa tamen ratione eadem in serie positus ne te offendat, cavent exempla An. 2, 24. *nullo illic hominum cultu fame absumptus.* cf. not. ad 2, 23. Hist. 1, 79. *aut cupidine praedae graves onere sarcinarum. Tum* (*damals*) transitum facit ad narrationem rerum, quibus auctor praemisit notitiam de viro. Plane sic Hist. 1, 79. *Sed tum* etc. — Deest ille transitus in libris, qui habent *tum — tunc* —; neque ulla idonea ratio particularum *tum — tum.* Rupertius suspicatur coniungenda esse: *astu transfert*, baud inepte ut mihi videtur. *Fraudem loci* dicit Virgil. Aen. 9, 397. eodem sensu.

vi militum. Ed. Spir. vulgari confusione *in militum.* MS. Guelf. *vi multum.*

Ordovicas. Ex emendatione Rhenani, quam petiit e loco Agr. c. 18. — Ed. Spir. *ordolicas.* — MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. *Ordolucos.* Paulo ante pro *bellum*, quod est in edd. Spir. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq., *proelium* habent edd. Put. M. et V. MS. Guelf.

additisque. Ed. Spir. *aditisque.* Sed vulgatum certe melius.

pacem nostram. Ed. Spir. *pacem in iram*, corrupte. Vulgatum tuentur ceteri libri. Mirum est commentum I. Fr. Gronovii, quo adfirmat, *pacem* interdum eleganter idem esse quod *imperium.* Immo *pacem nostram* accipe pro sorte et conditione, qua utebantur inita cum Romanis pace; hanc metuebant, quia durior ipsis videbatur quam bellum ob tributa, secures, aliasque donorum vexationes. Frustra igitur loco emendando studuerunt Lipsius: *pacem an iram;* Freinshemius: *parem iniuriam;* Heinsius: *pacem irritam* vel *infidam.*

aditus. MS. Guelf. *additus.*

essent, tunc montibus arduis. Edd. omnes locum distinguunt in talem modum: *essent. Tunc montibus* etc. Et Ernestius quidem coniungit: *montibus arduis praestruit.* Male. Nam *montes ardui* praestructione non indigebant, sed ea quae clementer accedi poterant, ut aeque munita haec essent praestructione atque montes ardui natura. Hinc alii verba: *tunc montibus arduis* per se constare iubent convertuntque: *Er stand auf steilen Bergen, und wo* etc. Sed haec non insunt. Et *tunc* quid sibi velit in hac serie, non satis video. Miror interpretes tam leviter hunc locum transiisse, qui, uti vulgo editur, plane ineptus et inconcinnus est. Quare sustuli punctum ante *tunc*, ut coniungas: *sumpto ad proelium loco tunc montibus arduis.* Rationem reddunt quae interponuntur: *ut aditus . . . essent.* Germanice: *indem er den Ort zum Kampfe, damit . . . alles uns nachtheilig, und den Seinigen günstig wäre, damals auf steilen Bergen wählte.*

accedi poterant, in modum valli saxa praestruit: et praefluebat amnis vado incerto catervaque armatorum pro munimentis constiterant.

XXXIV. Ad hoc gentium ductores circumire, hortari, firmare animos minuendo metu, accendenda spe aliisque belli incitamentis. enimvero Caractacus huc illuc volitans illum diem, illam aciem testabatur aut reciperandae libertatis aut servitutis aeternae initium fore. vocabatque nomina maiorum, qui dictatorem Caesarem pepulissent: quorum virtute vacui a securibus et tribu-

accedi. Ed. Spir. *accipi.* Mox eadem *vallis* pro *valli.*

saxa praestruit. Sic edd. Spir. Lips. Pichen. sqq. *saxis praestruit* MSS. Oxon. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. Ald. Utrumque bonum est et *saxis* fortasse verum. Tum *praestruit* absolute ponitur pro *praestructionem facere;* per *saxis* exprimitur *quomodo.* Kiesslingius revocavit *saxis.* Is tamen falsus est de ed. Spir. Nec Pichena postea primus, sed Lipsius inde ab an. 1574 edidit *saxa.*

praefluebat. MS. Guelf. *praefulciebat.*

catervaque armatorum. Libri vett. omnes habent *catervaque maiorum;* unus cod. Agr. et inde edd. Ryckii et Rupertii *catervaque maiore.* Sed quia *maiores* ab hoc loco sunt alieni nec usitatum *maiores* dicere ullo sensu, qui in hanc seriem quadret, viri docti ad emendandum locum varia coniecerunt. Lipsius: *catervaeque nationum;* Barthius (in Adv. 45, 3.) *Moniorum* vel *Maniorum*, ut cogites de incolis insulae *Moniae* vel *Maniae;* Bipont. *meliorum,* quod Oberlinus et seqq. editores accepere. Provocant in exempla 13, 56; 16, 5. Hist. 2, 82. Sallust. Iug. c. 13., ubi *meliores* dici pro *fortiores* adfirmant. Diversa tamen est eorum exemplorum ratio, nec satis video, quid sibi velint *catervae* meliorum, quum sufficeret dici *meliores* pro munimentis constitisse. Quare malui Freinshemii coniecturam edere: *catervaque armatorum*, quae nititur loco Agr. c. 37. Num fuit: *catervaque maior eorum pro . .?* Ceterum *caterva*, ut collectivum, verbum accipit in num. plur. *constiterant*, quod frequentissimum Nostro. cf. c. 40. *iuventus invadunt.* Frustra igitur editores recentt. *caterva* mutarunt in *catervae.* MS. Guelf. habet *constiterat.* De formula *pro munimentis* cf. 2, 80. et not. ad 2, 81.

Cap. 34. *accendenda.* Ed. Spir. *accidenda.*

volitans. MS. Guelf. *volutans.*

reciperandae. Sic edd. recentt. inde a Lipsii prima. MS. Guelf. et veteres edd. (c. sil. Vict.) *recuperandae.* Vid. not. ad 6, 32. Pro *aut — aut* MS. Guelf. habet *at — at.* Mox *pepulisent.*

servitutis. Ed. Spir. *salutis.*

initium. Lipsius et Acidalius hoc vocabulum perperam lacessunt, ut deleant. Necessario adest. Nam licet dici possit: *Hic dies erit dies reciperandae libertatis*, non aeque tamen aptum est illud: *dies servitutis aeternae.* Dies ille non potuit esse nisi initium aeternae servitutis. Quid, si respicis ad vocabulum *aciem?*

a securibus. Ed. Spir. haud inepte *et a securibus.*

et Romanis armis defensus, cum Cartismanduam reginam matrimonio teneret: mox orto discidio et statim bello etiam adversus nos hostilia induerat. Sed primo tantum inter ipsos certabatur callidisque Cartismandua artibus fratrem ac propinquos Venutii intercepit. inde accensi hostes stimulante ignominia, ne feminae imperio subderentur. valida et lecta armis iuventus regnum eius invadunt. quod nobis praevisum: et missae auxilio cohortes acre proelium fecere, cuius initio ambiguo finis laetior fuit. Neque dispari eventu pugnatum a legione, cui Caesius Nasica praeerat. nam Didius senectute gravis et multa copia honorum per ministros agere et arcere hostem satis habebat. Haec quanquam a duobus Ostorio Didioque propraetoribus plures per annos gesta coniunxi, ne divisa haud perinde ad memoriam sui valerent. ad temporum ordinem redeo.

contortum est. Nam licet Historiarum libri ante Annales prodierint, vocabulum *supra* non potest ad illos spectare. Quare cogitemus potius de loco aliquo, qui in libris deperditis olim fuit.

et Romanis armis. Ed. Spir. *et romanis et armis.*

Cartismanduam. MS. Flor. (t. Vict.) *Cartimannum;* mox *Cartimannus artibus.* Ed. Spir. *Cartimandam;* mox *Artimannus artibus.* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *Cartimandam*, mox *Cartimanda artibus.* Vid. not. ad c. 36.

discidio. Sic MSS. Flor. (test. I. Gronov.) Bud. Agr. edd. Spir. Ryck. sqq. *dissidio* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. cf. not. ad 2, 86.

bello. Ed. Spir. *bella*, cum mala loci distinctione; mox *hostis* pro *hostes* et *ignominia stimulante.*

praevisum. Ed. Spir. *provisum.* Paulo ante MS. Reg. *intercipit* pro *intercepit.* Ed. Spir. *intercoepit.*

laetior. MS. Guelf. *lectior.* Idem cod. post *pugnatum* addit *est.*

neque dispari. Ed. Spir. *nanque dispari.* Eadem ante *multa* omittit *et.*

Nasica. MS. Guelf. *nassica.*

Ostorio Didioque propraetoribus. Freinshemius suspicatur nomina haec e glossemate adiecta. Sed satis apte adsunt. Ricklefs vult: *duobus propraetoribus, Ostorio Didioque.* Utinam exemplo aliquo apud Tacitum invento docuisset hunc scriptorem ita loqui.

perinde. Ed. Spir. *proinde*, vulgari confusione. cf. not. ad 3, 17.

ad temporum. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. I. Gronov.) Guelf. Bud. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ernest. sqq. *nunc ad temporum* edd. Spir. Beroald. Alciat. Rhen. sqq. usque ad Ernestium.

XLI. Tib. Claudio quintum, Sex. Cornelio Orfito coss. virilis toga Neroni maturata, quo capessendae rei publicae habilis videretur. Et Caesar adulationibus senatus libens cessit, ut vicesimo aetatis anno consulatum Nero iniret atque interim designatus proconsulare imperium extra urbem haberet ac princeps iuventutis appellaretur. additum nomine eius donativum militi, congiarium plebei. Et ludicro Circensium, quod acquirendis vulgi studiis edebatur, Britannicus in praetexta, Nero triumphalium veste transvecti sunt. spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu ac perinde fortunam utriusque praesumeret. Simul qui centurionum tribunorumque sortem Britannici

Cap. 41. *Tib. Claudio.* Edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. *T. L. Claudio*, quod vitium ortum est e scriptura *TI.* Vertranius emendavit. MS. Guelf. accurate *Tiberio Claudio.* Sed pro *quintum* idem addit *Quinto.*

capessendae. Edd. Spir. Ald. *capescendae*, uti solent. De MS. Flor. Victorius hic nil adnotavit, et MS. Guelf. *capessendae.*

libens. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Lips. sqq. Consentit MS. Harl. secunda manu. De MS. Guelf. Ernestius falsus est. Nam ibi *libens* non legitur, sed *libeiis*, et ita quidem, ut si punctum super medio *l* abesset, legeres *liberis*. Contra MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. *liberis cessit.* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. Gryph. *cessit* omisso altero vocabulo.

vicesimo. MS. Flor. (test. Vict.) *vicensimo*, hic et alibi.

plebei. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Harl. Bodl. Ies. Guelf. — *plebeis* MS. Agr. et ed. Spir. — *plebi* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

acquirendis. Sic vett. libri mei omnes; non *adquirendis.*

triumphalium veste. Sic MSS. et vett. edd. consensu, nisi quod cod. Agr. dat: *Nero in triumphalium veste.* Genitivus plur. inservit indicando rerum generi, cui res aliqua est adnumeranda. Sic Graeci. Xenoph. Symp. 7, 2. τροχὸς τῶν κεραμεικῶν h. e. τροχὸς κεραμεικός. Theophr. Ch. 5. θυριακὰς τῶν στρογγύλων ληκύθους καὶ βακτηρίας τῶν σκολιῶν ἐκ Λακεδαίμονος. Lucian. D. Mort. 10, 9. λαβὼν πέλεκυν τῶν ναυπηγικῶν ἀποκόψει τὸν πώγωνα. cf. Matth. Gr. Gr. § 345. b. Ita videbatur mihi, quum Observv. specimen alterum ederem (1827). Nunc scio *triumphalium* vocabulum hic esse capiendum de viris triumphalibus, et *triumphalium vestem* esse vestem, quali triumphales viri uti solebant (insignia triumphalia). Ita *insigni triumphalium* supra c. 3. Non igitur opus est, ut cum Acidalio legas *triumphali in*, aut cum Freinshemio *triumphali cum veste*, quod hodie edunt, aut denique *triumphantium veste*, quod nonnullis placebat.

transvecti. MS. Flor. (test. Vict.) *travecti.* Idem liber constanter *tramittere.*

puerili. Ed. Spir. *pueri.* MS. Guelf. omittit *ac* ante *perinde.*

simul qui. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichena), Guelf. Bud. et MSS. Broterii, edd. Spir. Put. M. et V. Pichen. sqq. *simulque qui*

quoque haud procul alio suggestu conspicuam iisdem quibus principem laudibus gratibusque venerati sunt. novum sane et moribus veterum insolitum feminam signis Romanis praesidere: ipsa semet parti a moribus suis imperii sociam ferebat.

XXXVIII. Vocati posthac patres multa et magnifica super captivitate Caractaci disseruere, neque minus id clarum quam cum Siphacem P. Scipio, Persem L. Paullus, et si qui alii vinctos reges populo Romano ostendere. Censentur Ostorio triumphi insignia, prosperis ad id rebus eius, mox ambiguis, sive quod amoto Caractaco, quasi debellatum foret, minus intenta apud nos militia fuit, sive hostes miseratione tanti regis acrius ad ultionem exarsere. Praefectum castrorum et legionarias cohortes exstruendis apud Siluras praesidiis relictas circumfundunt. ac ni cito nuntiis et castellis

pus vinclis liberaretur, ut mox eadem reciperet. Ceterum ed. Put. Ven. post *absoluti* plenam ponit interpunctionem.

gratibusque. Edd. vett. (cum silentio Vict.) et MS. Bodl. a sec. m. *gratiisque*. At MSS. Guelf. Bodl. pr. m. edd. recentt. inde a Lipsii prima omnes *gratibusque*.

parti a maioribus. MS. Guelf. *patri ac maioribus*.

Cap. 38. *quam cum*. Sic edd. Put. sqq. — Ed. Spir. omittit *cum*. Eadem ante *si qui* omittit *et* trahitque *censentur* ad praecedentia, puncto posito ante *Ostorio*. Iac. Gronovius testatur in MS. Flor. esse *quam quod* pro *quam cum*, haud inepte. Mox *Persen* MS. Flor. edd. Spir. Iac. Gronov. sqq. *Persem* edd. Put. sqq. *praesens* MS. Guelf.

vinctos. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichena) Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Pichen. sqq. *victos* edd. Put. M. et V. Beroald. Rhen. sqq. Eadem librorum varietas est An. 1, 65. Vid. ibi not.

sive hostes. MS. Reg. et ed. Spir. *sive quod*. Male. Non enim pari cum praecedentibus ratione haec utuntur. *Sive quod* inducit rem in facto positam; alterum *sive*, omisso *quod*, alteram addit rationem coniectura nixam. Iac. Gronovius testatur in MS. Flor. priore etiam loco ante *amoto* particulam *quod* deesse. Sed ibi necessario adest. Mox MS. Guelf. *cohortis*.

exstruendis. Ed. Spir. *extruendisque*, quasi hae diversae fuerint cohortes ab illis.

Siluras. Ed. Spir. *siluas*.

nuntiis et castellis pr. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Guelf. Bud. et MSS. Broterii, edd. Spir. Put. M. et V., nec ulla est necessitas, ut inde deflectamus. *Nuntiis et castellis* est ἓν διὰ δυοῖν; indicatur, quomodo subventum sit, scilicet *nuntiis* missis, ut appellarent auxilia apud praesidia proxima, et *praesidiis proximis*, quae auxilia mittebant, nuntio accepto. — Edd. Beroald. Rhen. sqq. pro *nuntiis* ha-

proximis subventum foret, copiae tum occidione occubuissent. praefectus tamen et octo centuriones ac promptissimus quisque e manipulis cecidere. nec multo post pabulantis nos ipsos missasque ad subsidium turmas profligant.

XXXIX. Tum Ostorius cohortes expeditas exposuit: nec ideo fugam sistebat, ni legiones proelium excepissent. earum robore aequata pugna, dein nobis pro meliore fuit.

bent *vicis.* Ex Mureti sententia edd. Oberlin. sqq. *e vicis.* Bekkerus tamen illud *e* cancellis circumdedit. Lipsius volebat: *ni citis nuntiis e castellis;* Ryckius: *ni cito nuntiis e castellis;* Bipont. *ni nuntiasset et*, quod Oberlino ingeniosum videbatur. Rupertius: *ni cito nunc* vel *tunc iis ex castellis* vel *iis et cast. p. s. f.*

copiae tum occidione. Sic edd. Rhenan. sqq. — *copiarum obsidione* MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. cum silent. Vict. — *copiarum occidione* MS. Agr.

occubuissent. MS. Flor. (test. Vict.) *obcubuissent.* Ed. Put. V. *occubuisset.* Muretus volebat *occidione occidissent.*

e manipulis. Libri vett. *manipulus.* Lipsius coniecit *e manipulis*, quod nunc edimus. Alii e sententia Pichenae cum Bip. et Oberlino edunt *manipularis;* alii suadente Ernestio *manipularium.* Quaeritur, an non salva sit scriptura *manipulus*, quam retinuerunt Bipontini. Non enim incredibile est totos manipulos occidisse.

pabulantis nos ipsos missasque. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. lac. Gronov.) Guelf. Recte. *Pabulantis* est forma quarti casus Nostro usitatissima; *nos* sexcenties auctor scribit de Romanis loquens, ut *pabulantis nos* idem sit ac *pab. nostros.* Vocabulum *ipsos* opponit *pabulantis*, quos dixit, *missis ad subsidium turmis.* Fusius scripsisset: *nec multo post pabulantis nos profligant*, *non tantum ipsos pabulantis*, *sed etiam missas* etc. — Ed. Spir. et MS. Reg. *pabulatum nos ipsos.* — MSS. Harl. Ies. *pabulantes nostros ipsos.* — Edd. Put. M. et V. Alc. Beroald. *pabulantis nostros missasque.* — Edd. Rhenan. Ald. *pabulantis nostros ipsasque missas.* Quae scriptura valuit usque ad Ernestium, qui revocavit Puteolani rationem.

Cap. 39. *cohortes.* MS. Guelf. *cohortis.*

exposuit. Sic libri vett. omnes. Sed Ernestius ad hunc locum: „Cur, ait, exposuit? An in navibus fuerant? Legitimum verbum erat *submisit.* Tolerabilius erat *expromsit.*" Hinc Bipont. Oberlin. sqq. e Lipsii sententia edidere *opposuit.* At per verbum *exponere* Noster exprimit graecum ἐκτάσσειν, *in Schlachtordnung stellen*, *aufstellen*, *ins Feld stellen*, quod egregie convenit huic loco.

sistebat. MS. Guelf. *sistebant.*

excepissent. Ed. Spir. more suo *excoepissent.*

aequata pugna, *dein nobis pro meliore fuit.* Sententia: legionibus in auxilium vocatis rursus aequo Marte pugnatum est, quum ante hostes superiores fuissent; postea superiores etiam facti sunt Romani. *Pro meliore esse* ad extremum idem est ac *meliorem esse* vel *instar melioris*, nisi quod inest aestimationis notio.

effugere hostes tenui damno, quia inclinabat dies. Crebra hinc proelia et saepius in modum latrocinii per saltus, per paludes, ut cuique sors aut virtus, temere, proviso: ob iram, ob praedam: iussu, et aliquando ignaris ducibus. ac praecipua Silurum pervicacia, quos accendebat vulgata imperatoris Romani vox: ut quondam Sugambri excisi, ut in Gallias traiecti forent, ita Silurum nomen penitus exstinguendum. Igitur duas auxiliares cohortes avaritia praefectorum incautius populantes intercepere. spoliaque et captivos largiendo ceteras quoque nationes ad defectionem trahebant, cum taedio curarum fessus Ostorius concessit vita, laetis hostibus, tanquam ducem haud spernendum et si non proelium, at certe bellum absumpsisset.

XL. At Caesar cognita morte legati, ne provincia sine rectore foret, A. Didium suffecit. is propere vectus non tamen integras res invenit, adversa interim legionis pugna, cui Manlius Valens praeerat, auctaque et apud

effugere. Ernestius vult: *et fugere.* Immo *effugere* sc. perniciem, internecionem (*sie entkamen, sie retteten sich, kamen davon*). Ni dies inclinasset, pro tenui damno multa eorum caedes fuisset.

tenui damno. Ed. Spir. *tenuia damna;* eadem coniungit *pro meliore fuit effugere* etc.

ac praecipua. Freinshemius male damnabat. Paulo ante *proviso* Pichena restituit e MS. Flor. Victorius tamen intactum reliquit *provisa,* quod est in MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Lipsius voluerat *provisu.* Mox verba *ob praedam* absunt a MS. Guelf. qui male coniungit huius loci partes.

Sugambri. Sic edd. Lips. sqq. De scriptura cf. not. ad 2, 26. Hic ed. Spir. *Sigambri.* Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *Sycambri.* MS. Guelf. *Sicambri.*

ut ... excisi, ut in Gallias etc. Sic MSS. et edd. vett. (c. sil. Vict.). Iac. Gronovius tamen in cod. Flor. vidit *aut in Gallias,* et sic volebant Faërnus et Ursinus. — Edd. inde a Lipsii prima ferunt *et in G.* Sed nullam video necessitatem recedendi a vetere scriptura. *Excisi* non sunt exstincti, deleti, sed vastati et e sede sua deturbati. cf. An. 2, 25. *exscindit hostem.* Vid. ibi not.

auxiliares cohortes. In MS. Guelf. hic est *cohortes;* sed eadem manus super *e* addidit *i.* Mox idem cod. habet *populantis.*

at certe. Ed. Spir. *aut certe.* Eadem habet *assumpsisset* pro *absumpsisset.*

Cap. 40. *propere.* MS. Guelf. *prope,* sed in fine versus, ubi scriba signum compendii omisit.

integras res. Ed. Spir. *res integras.*

Manlius. Ed. Spir. *Malleus.* Eadem omittit *et* ante *apud.* Editi libri omnes inter *praeerat* et *auctaque* ponunt punctum, quod con-

hostes eius rei fama, quo venientem ducem exterrerent, atque illo augente audita, ut maior laus compositi, vel si duravissent, venia iustior tribueretur. Silures id quoque damnum intulerant, lateque persultabant, donec adcursu Didii pellerentur. Sed post captum Caractacum praecipuus scientia rei militaris Venutius e Brigantum civitate, ut supra memoravi, fidusque diu

cinnitatem loci turbat. Nam quid sibi vult in sequentibus *atque*, nisi praecessit participium per copulam cum casu *illo augente* iungendum? Verum *auctâque* continuat structuram a voce *adversa .. pugna* coeptam. Solet Nostri oratio sic per ablativos absolutos exire in fine periodi. cf. c. 46. *cunctante ad ea Mithrid.* etc. Cum I. Fr. Gronovio emendare: *atque ille augere audita*, nimiae est licentiae.

ut maior laus compositi. Sic libri vett. consensu. Lipsius emendavit *compositis*, quod edd. recentt. inde a Pichena praeferunt. Nam Ernestius ad h. l. „Quorsum, ait, referetur commode *duravissent*, si ante singularis est?" — Minime vero *compositi* est in singulari numero, sed potius in plurali, hac structura: *ut compositi* sc. essent *maior laus* h. e. maiori laudi. Sic Noster Germ. c. 13. *Nec rubor inter comites aspici.* Hist. 1, 15. *et iudicii mei documentum sint non meae tantum necessitudines, quas tibi postposui, sed et tuae.* cf. not. ad 4, 69. At contradicit huic meae interpretationi vir doctus (*Ergänz. Bl. zur Allgem. Lit. Zeit. Nr.* 114. 1825.) adfirmans *compositi* non posse accipi in num. plur., quoniam pro subiecto supplendum sit *res.* Mihi tamen non persuasit. Immo *compositi* intelligendi sunt *hostes*, quos *componi* dici posse satis docent exempla apud Nostrum permulta. cf. c. 32. *clade Icenorum compositi, qui bellum inter et pacem dubitabant;* 3, 38. *plurimi ac maxime compositi;* 12, 55. *ceteros clementia composuit.* Nil igitur opus est Lipsii emendatione, idque iam viderat Iac. Gronovius. Invenio et Kiesslingium revocasse *compositi.*

adcursu. Sic MS. Flor. test. Vict. — *accursu* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Rhen. sqq. — *ad cursum* ed. Spir.

Venutius. Ed. Spir. *venustius,* infr. *Venutii.* cf. not. ad Hist. 3, 45.

e Brigantum civitate. Ed. Spir. *Euigantum civitate.* MS. Reg. *Euigantium civitate.* Edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhenan. c. MS. Guelf. *e Iugantum civ.* Quae vocabula quum nemo geographorum agnoscat, cesserunt emendationi e MS. Agr. desumptae: *e Brigantum,* quam receperunt Bipont. Oberlin. Bekk. aliique. Nam Cartismanduam Brigantum reginam fuisse legimus supr. c. 36 et Hist. 3, 45. *Venutius* autem, quoniam matrimonio illam tenebat, ad eandem gentem videbatur pertinere. At nonne potuit vir nobilis alia quam Brigantum civitate oriundus Cartismanduam tenere matrimonio? Et profecto sunt, quae hoc innuant. Nam *hostes, quos stimulabat ignominia, ne feminae imperio subderentur,* non poterant esse Brigantes, qui dudum Cartismanduae parebant, sed alii, qui timebant, ne victo Venutio Cartismanduae imperio accederent. Porro *valida et lecta armis iuventus, quae Cartismanduae regnum invasit*, haud dubie aliunde debuit venire, ut Cartismanduae regnum invaderet.

ut supra memoravi. Sunt qui respici putent ad Hist. 3, 45. quod

miserabantur, remoti fictis causis et alii per speciem honoris. etiam libertorum si quis incorrupta fide, depellitur tali occasione. Obvii inter se Nero Britannicum nomine, ille Domitium salutavere. quod ut discordiae initium Agrippina multo questu ad maritum defert: sperni quippe adoptionem, quaeque censuerint patres, iusserit populus, intra penates abrogari: ac nisi pravitas tam infensa docentium arceatur, eruptura in publicam perniciem. Commotus his quasi criminibus optimum quemque educatorem filii exsilio ac morte adficit datosque a noverca custodiae eius imponit.

XLII. Nondum tamen summa moliri Agrippina audebat, ni praetoriarum cohortium cura exsolverentur

edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. usque ad Pichenam. Mox ed. Spir. post *sortem* addit *et*.

miserabantur. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *miserebantur* MSS. Guelf. Bud. Harl. Bodl. Ies. ed. Spir. cf. 1, 39. 3, 17.

remoti. Ed. Spir. *remotis*. Sic etiam MS. Flor. test. Vict.

tali occasione. Vett. edd. et MS. Guelf. locum finiunt per *depellitur* et coniungunt: *Tali occasione obvii* etc. Lipsio suadente meliorem interpunctionem instituit Pichena. Ceterum MS. Guelf. *occaxione*.

sperni quippe. MS. Guelf. pro *quippe* dat *quidem*. Pro *questu* edd. Spir. Put. M. et V. ferunt *quaestu*; sed talis confusio saepissime ibi recurrit.

quaeque. Edd. Beroald. Alc. *quaque*, quod Victorius correxit *quaeque* e MS. Flor., cum quo consentiunt MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et Ven. Rhenan. sqq. — Mox in MS. Guelf. nunc legitur *arrogari*: sed cernitur adhuc littera *b* perpallido colore, quae prius fuit.

ac nisi. Ed. Spir. *acni*.

pravitas. cf. not. ad 3, 48. MS. Guelf. *privatas*, exoscitantia librarii.

tam infensa. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. Sed MS. Agr. ed. Spir. habent *tam impensa*, quod placebat Lipsio.

eruptura. Sic edd. vett. cum silentio Victorii. MSS. Guelf. Agr. *erupturam*, quod recepit Rupertius.

quasi criminibus. Sic MSS. Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Pro *quasi* habent *tanquam* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Mox ante *optimum* nomen *Claudius* additur in MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.; omittitur in MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Corb. Agr. ed. Spir., quorum librorum auctoritate delevi. Nam e contextu satis patet neminem hic praeter Claudium intelligi posse. Supra legimus: *Agrippina . . . ad maritum defert*. Iam *commotus his* quis esse poterit nisi maritus ille?

Cap. 42. *ni praetoriarum*. Ed. Spir. *in praet*, vitiose.

exsolverentur. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. et recentt. *exsolveretur* (s. *exolveretur*) MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Rhen. Ald. Lips. prima.

Lusius Geta et Rufius Crispinus, quos Messallinae memores et liberis eius devinctos credebat. Igitur distrahi cohortes ambitu duorum et, si ab uno regerentur, intentiorem fore disciplinam adseverante uxore transfertur regimen cohortium ad Burrum Afranium, egregiae militaris famae, gnarum tamen cuius sponte praeficeretur. Suum quoque fastigium Agrippina extollere altius: carpento Capitolium ingredi, qui mos sacerdotibus et sacris antiquitus concessus venerationem augebat feminae, quam imperatore genitam sororemque eius qui rerum potitus sit et coniugem et matrem fuisse unicum ad hunc diem exemplum est. Inter quae praecipuus propugna-

Lusius. Sic MS. Flor. (t. Vict.) edd. Put. M. et recentt. — *Luscius* edd. Put. V. Beroald. Rhen. Ald. Per comp. ed. Spir. *L. Geta.*

Rufius. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) Reg. Corb. Guelf. edd. Ryck. sqq. — *Ruffus* ed. Spir. — *Ruffius* MSS. Harl. Bud. — *Rufus* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. usque ad Ryckium. cf. 15, 71. Sueton. Ner. c. 35. et not. ad 13, 45.

et liberis eius devinctos. Ed. Spir. *et liberos eius iunctos.*

cohortes. MS. Guelf. *cohortis.*

intentiorem. Ed. Spir. *interiorem.*

Burrum Afranium. Sic MSS. Reg. Agr. edd. Spir. Ryck. sqq. et sic vett. inscriptt. Testantur eandem scripturam inesse MSto Flor., Victorius tamen intactum reliquit *Burrhum*, quod praeferunt MSS. Harl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. usque ad Ryckium. Ed. Spir. MS. Guelf. *Affranium.* Edd. Puteol. aliaeque *Afrannium.*

carpento Capitolium ingredi. Dio 60, 33. *τῷ καρπεντίῳ ἐν ταῖς πανηγύρεσι χρῆσθαι.* Quare Lallemandus apud Tacitum pro *Capitolium* vult *circum.*

et sacris antiquitus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. edd. Spir. Lips. sqq. — *et sacris Druidibus antiquitatis* edd. Put. M. et V. — *et sacris Druidibus antiquitus* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Pro *concessus* ed. Spir. dat *concessis*. Vocabulum *Druidibus*, quod libri nonnulli addunt, vitiosum esse nemo dubitat (praeter Woltmannum, qui vult *armento* pro *carpento*, *et* mutat in *ut* vel *e* vocemque *Druidibus* pro adiectivo esse iubet). Pithoeus (Advers. subsec. 1, 5.) e *Druidibus* facit *virginibus.* Bipont. *sacrorum regibus.* Sed rectius forsitan coniicies: *et sacris deorum diebus* (*Drū diebus*). *Et* tum est explicativum pro *et quidem.* cf. Germ. c. 9. *certis diebus.* A veritate saltem hoc parum aberit. Nam honorem quocunque die et promiscue carpento Capitolium ingrediendi sacerdotibus concessum non putabis, sed restrictum ad sacros deorum dies. Nemini tamen hanc coniecturam obtrudam. Id tantum addo, verba vulgata: *et sacris ant. conc.*, non satisfacere. Nam quomodo intelligendum sit vocabulum *sacris* nude positum frustra quaerunt.

sororemque. Sic ed. Spir., unde recepi ut aptissimum. Vulgo *sororem* omisso *que.* MS. Guelf. *sorore eiusque.* Eadem ed. Spir. pro *rerum* habet *rebus.* Dein pro *gratia* eadem dat *erga et.*

tor eius Vitellius validissima gratia, aetate extrema (adeo incertae sunt potentium res) accusatione corripitur deferente Iunio Lupo senatore. is crimina maiestatis et cupidinem imperii obiectabat. praebuissetque aures Caesar, nisi Agrippinae minis magis quam precibus mutatus esset, ut accusatori aqua atque igni interdiceret. hactenus Vitellius voluerat.

XLIII. Multa eo anno prodigia evenere. insessum diris avibus capitolium, crebris terrae motibus prorutae domus, ac dum latius metuitur, trepidatione vulgi invalidus quisque obtriti. frugum quoque egestas et orta ex eo fames in prodigium accipiebatur. Nec occulti tantum questus, sed iura reddentem Claudium circumvasere clamoribus turbidis pulsumque in extremam fori partem vi urgebant, donec militum globo infensos perrupit. Quindecim dierum alimenta urbi, non amplius, superfuisse constitit: magnaque deum benigni-

aqua atque igni. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Bekkeri ex usu Taciti. *aqua atque igne* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *aqua et igne* ed. Spir.

interdiceret. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Rhenan. sqq. — *interdiceretur* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *interdicat* ed. Spir. MS. Reg.

voluerat. MS. Guelf. *voluat͠* (h. e. *volvatur*).

Cap. 43. *evenere.* MS. Covarruv. *fuere.*

prorutae. Sic MS. Flor. edd. Lips. Pichen. sqq. *proruptae* MS. Guelf. edd. ante Lipsium. — Broterius e scriptis editisque adfert *proruptae, praeruptae, perruptae.* cf. not. ad 15, 40.

obtriti. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) edd. Lips. Pichen. sqq. *obtritus* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald.

orta. Ed. Spir. *ortae.*

accipiebatur. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Rhenan. sqq. *accipiebantur* edd. ante Rhenan. omnes, cum silentio Victorii. Parum refert.

circumvasere. Ed. Spir. *circum invasere.*

vi urgebant. Sic MS. Flor. (t. Vict. *vi urguebant*, more libri) edd. Spir. Pich. sqq. Omittitur *vi* in edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq.; abest etiam a MSS. Bud. Guelf.

globo. Ed. Spir. *globos.* Sic et MS. Reg.

infensos. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Agr. edd. Spir. Ryck. sqq. — *infestos* MSS. Harl. Bodl. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — I. Gronov. e MS. Oxon. adfert *infesto.*

perrupit. Sic MSS. Flor. Reg. Agr. Bud. Guelf. edd. Puteol. sqq. *prorupit* ed. Spir.

deum. Ed. Spir. *deinde.*

tate et modestia hiemis rebus extremis subventum. At hercule olim Italia legionibus longinquas in provincias commeatus portabat: nec nunc infecunditate laboratur: sed Africam potius et Aegyptum exercemus navibusque et casibus vita populi Romani permissa est.

XLIV. Eodem anno bellum inter Armenios Iberosque exortum Parthis quoque ac Romanis gravissimorum inter se motuum causa fuit. Genti Parthorum Vologeses imperitabat, materna origine ex pellice Graeca, concessu fratrum regnum adeptus: Iberos Pharasmanes vetusta possessione, Armenios frater eius Mithridates obtinebat opibus nostris. Erat Pharasmani filius nomine Rhadamistus, decora proceritate, vi corporis insignis et patrias artes edoctus claraque inter adcolas fama. is modicum Iberiae regnum senecta patris detineri ferocius crebriusque iactabat, quam ut cupidinem occultaret. igitur Pharasmanes iuvenem potentiae promptae et studio popularium accinctum vergentibus iam annis

hiemis. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. (hic *hyemis*) edd. Spir. et recentt. inde a Lipsii prima. — *urbis* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Ceterum *magna d. benign. et mod. hiemis* est ἓν διὰ δυοῖν, quod adiicio, ne cum Acidalio deleas *et*.

subventum. Ed. Spir. *subveniendum.*

at hercule. Ed. Spir. *at hercle.* Sed cf. 1, 3. MS. Flor. (t. Vict.) habet *ad* pro *at*, vulgari confusione.

olim Italia legionibus ... portabat. Libri vett. variant. MS. Flor. (test. Vict. c. al.) ed. Spir. *olim Italia regionibus ... portabat.* Pro *regionibus*, quod est in vett. libris omnibus et in quo latet culpa confusionis, legendum esse *legionibus* bene vidit Ernestius. Eadem utriusque vocabuli confusio est An. 13, 7. et Hist. 2, 74. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. *olim Italiae regionibus . . . portabant.* — MS. Bud. edd. Rhen. sqq. *olim ex Italiae regionibus . . . portabant.* Oberlinus e MS. Bud. (forsitan a 2. m.) adfert *portabantur*, quod est in MS. Agr., totumque locum constituit sic: *olim ex Italia legionibus ... portabantur.*

Cap. 44. *Iberosque.* MS. Guelf. *hiberosque.* Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. *hyberosque*, et deinde *Mithrydates*, *optinebat*, *Hyberiae*, cum silentio Victorii.

exortum Parthis quoque. MS. Guelf. *exortum est*, *Parthisque ac Romanis.* Mox idem *uetera* pro *vetusta*; *artis* pro *artes*; *ferotius detineri* pro *detineri ferocius*, *iactabant* pro *iactabat*, *cupinè* pro *cupidinem.*

Pharasmani filius. Ed. Spir. *Farasmanis filius.* Dein *Radamistus.* Mox cum MS. Guelf. *accintum* pro *accinctum.* MS. Guelf. *ramadistus* pro *Rhadamistus:* sed in marg. *Radamistus.* Et sic mox.

vergentibus. MS. Ies. et ed. Spir. *urgentibus.*

suis metuens aliam ad spem trahere et Armeniam ostentare pulsis Parthis datam Mithridati a semet memorando: sed vim differendam et potiorem dolum, quo incautum opprimerent. Ita Rhadamistus simulata adversus patrem discordia tanquam novercae odiis impar pergit ad patruum: multaque ab eo comitate in speciem liberum cultus primores Armeniorum ad res novas inlicit ignaro et ornante insuper Mithridate.

XLV. Reconciliationis specie adsumpta regressusque ad patrem, quae fraude confici potuerint, prompta nuntiat, cetera armis exsequenda. Interim Pharasmanes belli causas confingit: proelianti sibi adversus regem Albanorum et Romanos auxilio vocanti fratrem adversatum eamque iniuriam excidio ipsius ultum iturum. simul magnas copias filio tradidit. ille inruptione subita territum exutumque campis Mithridatem compulit in

trahere. MS. Guelf. *traherere.* Mox *vin* pro *vim.*

differendam. Ed. Spir. *afferendam.*

comitate. Ed. Spir. *comitatur.* Eadem *cultum* pro *cultus.*

inlicit. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Bekker. Vulgo *illicit.* cf. 1, 10.

ornante. MS. Reg. ed. Spir. *ignorante.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Rhen. Ald. *orante.* Pichena e MS. Flor. prodidit *ornante*, postquam Lipsius ita ex ingenio emendaverat; Iac. Gronovius de Flor. contradicit testaturque ibi exstare *orante.*

Cap. 45. *Reconciliationis sp. adsumpta.* Haec verba in MSS. et vett. edd. ad priora trahi solent. Deinde pergunt *regressusque* (cum silent. Vict.). Rhenanus dat: *Mithridate, rec. specie assumpta, regressus ad* etc. Melius edd. recentt. inde a Lipsii prima punctum ponunt ante *reconciliationis.* Potest tamen vel sic copula *que* servari, quam restitui. Ceterum MS. Guelf. scribit *recunciliationis.* Ed. Spir. pro *specie* habet *spem*, vulgari confusione. Nam vocabula *speciem* et *specie* in MSS. per compendium scribuntur *spē.* cf. not. ad 15, 79. Hist. 3, 84. 4, 46.

quae fraude confici potuerint, prompta n. Ex emendatione Lipsii. MSS. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Rhen. Ald. legunt: *qua fraude confici potuerit prompte nuntiat.* Ed. Spir. *qua . . . potuerint prompte nuntiat.*

ultum. Ed. Spir. *multum.*

inruptione. Sic libri vett. omnes (sc. *irruptione*). Nam etiam Victorius illud *irruptione* Beroald. intactum reliquit. Lipsius et Pichena ediderant *eruptione*, quod Ryckius et Broterius credebant esse e MS. Flor. In Lipsii ed. prima adhuc exstat *irruptione.* Idem an. 1598 edidit *eruptione.* Falsus igitur est Iac. Gronovius, qui adfirmat in omnibus Lipsii edd. esse *irruptione.* Scilicet vidit ille priores tantum Lipsii editiones.

castellum Gorneas, tutum loco ac praesidio militum, quis Caelius Pollio praefectus, centurio Casperius praeerat. Nihil tam ignarum barbaris quam machinamenta et astus oppugnationum: at nobis ea pars militiae maxime gnara est. Ita Rhadamistus frustra vel cum damno tentatis munitionibus obsidium incipit: et cum vis negligeretur, avaritiam praefecti emercatur, obstante Casperio ne socius rex, ne Armenia donum populi Romani scelere et pecunia mutarentur. Postremo, quia multitudinem hostium Pollio, iussa patris Rhadamistus obtendebant, pactus inducias abscedit, ut, nisi Pharasmanem bello absterruisset, T. Ummidium Quadratum

Gorneas. MS. Guelf. *gorgoneas.*

Caelius. Ed. Spir. *Cellius.* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Rhen. Ald. *Celius.* — *Caelius* edd. Lips. sqq. et ita id nomen scribitur in monimentis.

Casperius. Ursinus malebat *Asperius;* sed nomen *Casperius* legitur etiam apud Xiphilin. 68, 3. et alibi.

tentatis. Ed. Spir. *tempatis* (volebat dare *temptatis*).

avaritiam. Edd. Spir. Put. M. et V. *avariciam*, uti solent.

Armenia. Ed. Spir. *Armeniae.* Pro *obtestante* MS. Guelf. *obstante.*

mutarentur. Edd. Put. M. et V. Beroald. Rhen. sqq. usque ad Ernestium *venderentur* cum MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Contra ed. Spir. cum MS. Reg. *uterentur.* Idem inesse MSto Flor. testantur Ryckius aliique. Sed Victorius docet ibi legi *muterentur*, quod ipse emendat *mutarentur*. Recte. Nam sic 4, 23. *libertos regios et servilia imperia bello mutaverant;* 16, 12. *mutatus mensis Maius Claudii, Iunius Germanici vocabulis.* Facile intelligis, e corrupta scriptura *muterentur* exortum esse *uterentur*, *venderentur*, et *verterentur*, quod praeferunt MSS. Bud. Agr. edd. Ernest. Brot. sqq. Praestat haud dubie *mutarentur.*

obtendebant. MS. Guelf. *obtinebant.*

abscedit. Ed. Spir. *abscessit.*

nisi Pharasmanem. MS. Guelf. *ni pharasmatẽ.* Et sic aliquoties. Plerumque habet *Pharasmanem.*

T. Ummidium. MS. Flor. (test. Iac. Gronovio) *Tumidium.* MS. Reg. ed. Spir. *tum Midium.* Victorius intactam reliquit scripturam Beroald. *T. Vinidium*, quam etiam praeferunt edd. Put. M. et V. Rhen. sqq. — MSS. Harl. Bodl. Guelf. *T. Umidium.* MS. Agr. *tum Umidium.* MS. Vat. (Lips.) *Tumidum.* MS. Bud. dubie *umidium*, an *uinidium.* Solent enim eiusmodi syllabae in MSS. ita scribi, ut non discerni possint, quia puncta nunc omittuntur, nunc ambigue collocantur. Lipsius et Ryckius corrigunt *Numidium* ex Ioseph. Ant. 20, 5. Bell. Iud. 2, 2. Plin. epp. 7, 23. 6, 29. 9, 13. 6, 11. Sed Salmasius ad Spartian. Hadr. 15. Rupertus ad Reines. ep. 21. Spanhem. de U. et P. N. t. 2. p. 7. docuere e nummis et inscriptt. verum nomen esse *Ummidium*, quod edidere Ernest. sqq. cf. Ernest. ad h. l. Iac. Gronovius ediderat *T. Umidium.*

praesidem Syriae doceret, quo in statu Armeniae forent.

XLVI. Digressu centurionis velut custode exsolutus praefectus hortari Mithridatem ad sanciendum foedus, coniunctionem fratrum ac priorem aetate Pharasmanem et cetera necessitudinum nomina referens, quod filiam eius in matrimonio haberet, quod ipse Rhadamisto socer esset. non abnuere pacem Iberos quanquam in tempore validiores: et satis cognitam Armeniorum perfidiam, nec aliud subsidii quam castellum commeatu egenum. ne dubitaret armis incruentas conditiones malle. Cunctante ad ea Mithridate et suspectis praefecti consiliis, quod pellicem regiam polluerat inque omnem libidinem venalis habebatur, Casperius interim ad Pharasmanem pervadit, utque Iberi obsidio decedant, expostulat. Ille propalam incerta et saepius

doceret. Ed. Spir. *docebat.* Eadem mox: *Armenia foret.*

Cap. 46. *custode.* Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. et Bud. (unde restituit Rhen.) edd. Spir. et Rhen. sqq. — Broterius de suis MSS. ita tacet, ut videantur consentire. Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. *custodiae.*

quod filiam. In Oberlini ed. operarum lapsu omissum est *quod.* Idem vitium ornat Weikerti et Naudeti editiones.

in matrimonio. Ed. Spir. *in matrimonium.*

cognitam .. perfidiam. Sic edd. recentt. inde a Lipsii prima. — Edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. *cognita .. perfidia*, secundum MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf., quod restituendum censeo.

subsidii. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Bud. edd. Spir. Ryck. Ernest. sqq. — *praesidii* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. usque ad Ryck. et dein Iac. Gronov. cf. 2, 63. 12, 51. 4, 5. 6, 2. et alibi.

commeatu. MS. Farnes. *commeatuum.*

ne dubitaret. MS. Reg. ed. Spir. *ne dubitare.* MS. Agr. *ne dubiam rem* et dein *mallet.* Mox libri vett. omnes post *armis* addunt *quam* ab hoc loco alienum ortumque ex ignorantia formulae *incruentas conditiones armis malle.* Uti hodie inde a Ryck. locus editur, ita Ursinus in vett. libris se invenisse adfirmat, incertum quibus. Ex aliis libris idem Ursinus adfert: *ne dubitaret armatus, quam circumventus conditiones malle.* MS. Reg. pro *incruentas* dat *meruentes.* Ante Ryckium locus sic edebatur: *ne dubitaret * armis quam i. c. m.*, tanquam mutilatus. Eandem rationem Iac. Gronovius servavit.

suspectis. MS. Guelf. *susceptis.*

polluerat. MS. Guelf. *polluerit.*

pervadit. Ed. Beroald. vitiose *parvadit*, quod Victorius e MS. Flor. correxit *pervadit.* Pro *expostulat* MS. Guelf. *exposcit:* idem *obsidione* pro *obsidio.*

molliora respondens secretis nuntiis monet Rhadamistum oppugnationem quoquo modo celerare. augetur flagitii merces et Pollio occulta corruptione impellit milites, ut pacem flagitarent seque praesidio abituros minitarentur. qua necessitate Mithridates diem locumque foederi accepit castelloque egreditur.

XLVII. Ac primo Rhadamistus in amplexus eius effusus simulare obsequium, socerum ac parentem appellare. adiicit iusiurandum, non ferro, non veneno vim adlaturum: simul in lucum propinquum trahit, provisum illic sacrificium, imperatum dictitans, ut diis testibus pax firmaretur. Mos est regibus, quotiens in societatem coeant, implicare dextras pollicesque inter se vincire nodoque praestringere: mox ubi sanguis

molliora. Ed. Spir. *meliora.* cf. not. ad Hist. 1, 69. 4, 32.

celerare. Sic MSS. Flor. Reg. Agr. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Etiam codd. Oxonienses videntur consentire. MS. Bud. et inde edd. Rhen. sqq. usque ad Ryckium *accelerare.* Sed cf. 12, 64. Heinsius volebat: *celeraret* vel *accceleraret.* Utraque structura bona est. cf. not. ad 11, 1.

corruptione. MS. Guelf. *pollutione.*

seque praesidio abituros. Sic MSS. Bud. (a rec. m.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. Pichena e MS Flor. adfert: *seque praesidium ammis minitarentur,* ignota Victorio. MS. Reg. et ed. Spir. *seque presidium q̃ minus: minitarentur.* MS. Agr. *praesidium tradituros.* In MS. Bud. a 1. m. videtur fuisse *praesidii amnis.* In qua librorum varietate vitium latere ratus Freinshemius emendabat: *praesidium omissuros;* Bip. *praesidii immunes.* Sed merito acquiescimus in vulgato.

castelloque egreditur. Ed. Spir. *Castello quidem egreditur,* puncto posito post *accepit.*

Cap. 47. *socerum.* MS. Guelf. *soceris.*

provisum illic sacrificium, imperatum dictitans, ut etc. Sic locum distinguo, ut *dictitans* pertineat ad vocem *imperatum,* non ad praecedentia. Converte: *Dort habe man das Opfer veranstaltet, welches, sprach er, befohlen sey* etc. Nempe *imperatum* eo respicit, quod Rhadamistus iussa habebat patris. Errant igitur, qui id vocabulum pro glossemate verbi *provisum* accipiunt. Ceterum MS. Guelf. habet *quod visum* pro *provisum.* Idem mox *in societate.*

coeant. Edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. *cohcant.*

implicare. Ed. Spir. *applicare.*

praestringere. Sic edd. recentt. inde a Lipsii prima. Veteres libri omnes *perstringere.* Illud aptius videtur viris doctis uno excepto I. Gronovio. Praepositiones *prae* et *per* ob compendium scripturae saepissime permutari in vett. libris notissimum est. cf. not. ad 14, 54. 11, 37. 15, 15. 64. Hist. 1, 29. 84. 2, 4. Agr. c. 23. et alibi.

mox ubi. Ed. Spir. *ubi mox.*

artus extremos suffuderit, levi ictu cruorem eliciunt atque invicem lambunt. id foedus arcanum habetur quasi mutuo cruore sacratum. Sed tunc, qui ea vincla admovebat, decidisse simulans genua Mithridatis invadit ipsumque prosternit: simulque concursu plurium iniiciuntur catenae, ac compede (quod dedecorum barbaris) trahebatur: mox, quia vulgus duro imperio habitum, probra ac verbera intentabat. Et erant contra qui tantam fortunae commutationem miserarentur: secutaque cum parvis liberis coniunx cuncta lamentatione complebat. diversis et contectis vehiculis abduntur,

artus extremos suffuderit. Sic MS. Ies. edd. Bip. Oberl. sqq. suadente Heinsio. — *in artus extr. suffuderit* MSS. Flor. Bud. (a pr. man.) Reg. Agr. Bodl. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc., quam scripturam si vis retineri, verbum *suffuderit* accipe significatu medii. MSS. Guelf. Bud. (rec. m.) Bodl. in margine, edd. Rhen. sqq. *in artus extr. se effuderit.* I. Gronovius volebat: *in artus se extremos suffuderit.* De re cf. Herodot. 3, 7. 4, 70. Lucian. in Toxari sive de amicitia 37. Mela 2, 1. Valer. Max. 9, 11, 3. ext.

eliciunt. Ed. Spir. *eiciunt*, vitio typogr.

arcanum. Edd. vett. *archanum* (c. silent. Vict.).

vincla. Sic constanter Tacitus et hic etiam MS. Flor. (test. Vict.) Vulgo edunt *vincula*, quod est in vett. edd. et MS. Guelf.

admovebat. Ed. Spir. *admonebat.*

decidisse. Intellige vincla, non virum, qui admovebat, uti vulgo locum accipiunt.

iniiciuntur. Sic MS. Guelf. edd. Spir. et Lips. Pich. sqq. — Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *initiuntur*, quod Vict. e MS. Flor. correxit *iniciuntur*, uti edidit Rhenanus, Ald. et Lips. 1574.

ac compede. Sic e Lipsii emendatione edd. Ernest. Broterii sqq. cf. Horat. Od. 4, 11. Columell. de R. R. 8, 2. *ac compedes* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. Nimirum trahunt haec ad verbum *iniiciuntur.* — *ad compedes* MS. Reg. ed. Spir. I. Fr. Gronovius volebat: *iniiciuntur c. ac compedes. quo decore barbaris trahebatur.* Heinsius: *ac compedes, et, quod d. b., trahebatur* vel *quo dedecore coram barbaris trahebatur.* Amicus (qui est idem) Ryckii: *quod inde corum barbaris habebatur.*

mox, quia. Sic MS. Flor. (t. Vict.) ed. Spir. Recte, ut mihi videtur; nam displicet *moxque*, quod habent MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. ad hunc diem.

habitum. Ed. Spir. *habito.*

contra. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *e contra* MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Agr. Reg. edd. Spir. Pichen. sqq. usque ad Ryckium, qui restituit *contra.*

commutationem. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Lipsii sqq. *commotionem* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. cum MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. (Harl. Bodl. in marg. *commutationem*). — *mutationem* MS. Bud. a pr. m.

abduntur. MSS. Guelf. Harl. Ies. *abducuntur.*

dum Pharasmanis iussa exquirerentur. Illi cupido regni fratre et filia potior animusque sceleribus paratus. visui tamen consuluit, ne coram interficerentur. et Rhadamistus quasi iurisiurandi memor non ferrum, non venenum in sororem et patruum expromit, sed proiectos in humum et veste multa gravique opertos necat. filii quoque Mithridatis, quod caedibus parentum inlacrimaverant, trucidati sunt.

XLVIII. At Quadratus cognoscens proditum Mithridatem et regnum ab interfectoribus obtineri vocat consilium, docet acta et an ulcisceretur consultat. paucis decus publicum curae: plures tuta disserunt: omne scelus externum cum laetitia habendum. semina etiam odiorum iacienda, ut saepe principes Romani eandem Armeniam specie largitionis turbandis barbarorum animis praebuerint. potiretur Rhadamistus male partis, dum invisus, infamis, quando id magis ex usu quam si cum gloria adeptus foret. In hanc sententiam itum. ne tamen adnuisse facinori viderentur et diversa Caesar praeciperet, missi ad Pharasmanem nuntii, ut abscederet a finibus Armeniis filiumque abstraheret.

dum Pharasmanis. Ed. Spir. *cum Faresmanis.* Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. *cum Phar.* Edd. Rhen. sqq. *dum Ph.* Recte. MS. Guelf. *Quom pharasmenis.* Idem *exequirentur* pro *exquirerentur*, *usui* pro *visui*, *qui* pro *quasi.*

inlacrimaverant. Ed. Spir. *illa criminaverant.*

Cap. 48. *omne scelus.* Ex emendatione Lipsii, quam Victorius iam habet in exempl. suo Beroald., non ut e MS. Flor., sed ex ingenio. MSS. et edd. vett. exhibent *omnes scelus*, haud dubio vitio, quod ortum est e duplicata littera prima vocabuli *scelus.* Etenim quibus decus publicum curae, licet paucis, non potuit simul esse sententia, *scelus ext. c. l. habendum;* nec omnes statim ita censuisse satis indicat formula sequens: *in hanc sententiam itum.* Nam si itum est in hanc sententiam, ea non potuit ab initio omnium esse sententia. Fuere tamen qui aliud quid in voce *omnes* latere opinarentur et emendandi studio indulgerent. I. Fr. Gronovius: *plures tuta disserunt, monentes, scelus ext. c. l. h.* Heinsius: *plures tuta disserunt in commune. Scelus ext.* etc. Ernestius pro *omnes* vult *quippe* vel *immo;* Hillerus *omnino.* Sed non video, quid sibi velint, quum Lipsii emendatio veritati multo propior et sensu aptior sit. Ceterum pro *scelus externum* MS. Reg. dat *foedus aeternum;* ed. Spir. *scelus aeternum;* MS. Bud. a rec. m. *eternum.*

iacienda. Ed. Spir. *iacentia.*

specie. Ed. Spir. *spē.* cf. not. ad c. 45.

praeciperet. Pichena e MS. Flor.

XLIX. Erat Cappadociae procurator Iulius Pelignus, ignavi animi et deridiculo corporis iuxta despiciendus, sed Claudio perquam familiaris, cum privatus olim conversatione scurrarum iners otium oblectaret. is Pelignus auxiliis provincialium contractis tanquam reciperaturus Armeniam, dum socios magis quam hostes praedatur, abscessu suorum et incursantibus barbaris praesidii egens ad Rhadamistum venit: donisque eius evictus ultro regium insigne sumere cohortatur sumentique adest auctor et satelles. Quod ubi turpi fama divulgatum, ne ceteri quoque ex Peligno coniectarentur, Helvidius Priscus legatus cum legione mittitur, rebus tur-

adfert variam scripturam *iubcret*, quam Victorius non agnoscit.

Cap. 49. *deridiculo.* Sic edd. Spir. Alc. Rhen. sqq. *de ridiculo* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald.

despiciendus. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. Reg. Agr. edd. Spir. Rhenan. sqq. *conspiciendus* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

cum privatus olim conversatione scurrarum iners otium oblectaret. Ex emendatione Lipsii, quae nititur loco Sueton. Claud. c. 5. Vett. libri valde variant. MSS. Flor. (test. Pichena) et Reg. *cum privatus olim conversationes curaret, iners otium oblectaret* (Reg. *obiectaret*). MS. Agr. (test. Ryckio) *quin privatus olim comesaties* (m. sec. *comesatium*) *curas et iners otium obiectaret.* Heinsius inde adfert *comessationum.* Ed. Spir. *cum privatis olim conversationes curaret: iners ocium obiectaret.* Eandem scripturam Lipsius e vett. libris adfert, nisi quod in MS. Vatic. invenit *cursationes* pro *conversationes.* MS. Guelf. *quom privatas olim conversationes curaret iners otium oblectaret.* Et sic MS. Bud. edd. Put. M. et Ven. Beroald. Alc. Rhen. sqq. In *oblectaret* consentiunt MSS. Harl. Bodl. Ies. Victorius scripturam Beroald. intactam reliquit, unde colligi potest vocabulum *privatus* in MS. Flor. ambigue esse scriptum. Hunc ipsum locum nuperrime Rothius (*Neues Archiv f. Philol. u. Pädag.* 1830. nr. 3 u. 4.) in disquisitionem vocavit. Is defendit veterem scripturam: *cum privatus olim conversationes curaret*, quanquam eo inclinat, ut legendum censeat: *cuius privatas* etc. Vocabulum *conversatio* in num. sing. legitur in Dial. de Oratt. c. 9. Nil igitur inepti habent *conversationes*, ut intelligas eos, quibuscum Claudius confabularetur. Roth. ex ed. Ber. adfert *privatus*; sed ibi legitur *privatas.*

is Pelignus. Nimis sedulo Oberlinum delevisse vocabulum *Pelignus* censeo. Habent enim vett. libri omnes, nec frustra. Nam auctor in praecedentibus non solum de Peligno, sed etiam de Claudio et de hoc postremum dixerat. Quare satis apte pergit: *is Pelignus.* cf. not. ad 4, 10.

insigne. MS. Guelf. *insignium.* Idem mox *ne caeteris que* a prima manu: secunda manus e *que* fecit *quoque.* Idem omittit *cum* ante *legione.*

bidis pro tempore ut consuleret. igitur propere montem Taurum transgressus moderatione plura quam vi composuerat, cum redire in Syriam iubetur, ne initium belli adversus Parthos exsisteret.

L. Nam Vologeses casum invadendae Armeniae obvenisse ratus, quam a maioribus suis possessam externus rex flagitio obtineret, contrahit copias fratremque Tiridatem deducere in regnum parat, ne qua pars domus sine imperio ageret. Incessu Parthorum sine acie pulsi Iberi, urbesque Armeniorum Artaxata et Tigranocerta iugum accepere. deinde atrox hiems seu parum provisi commeatus et orta ex utroque tabes percellunt Vologesem omittere praesentia. vacuamque rursus Armeniam Rhadamistus invasit truculentior quam antea tanquam adversus defectores et in tempore rebellaturos. atque illi quamvis servitio sueti patientiam abrumpunt armisque regiam circumveniunt.

pro tempore ut consuleret. Ed. Spir. *ut pro tempore cons.*

propere. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. *prope* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

Taurum. Ed. Spir. *thaucum.* Eadem mox *cur redire*, et pro *adversus Parthos* illa habet *apud* omisso vocabulo *Parthos.*

iubetur. MS. Guelf. *iuberetur.* Male.

CAP. 50. *possessam.* MS. Guelf. *posse* cum lacuna. Idem *contra hic* pro *contrahit.*

accepere. Edd. Put. M. et V. *accipere.*

deinde. MS. Bud. et edd. medii aevi inde a Lipsii prima *dein.* Ernestius restituit *deinde*, in quo consentiunt MSS. et edd. vett.

commeatus. Ed. Spir. *comeaticis.*

percellunt. Ob consensum MSStorum et vett. edd. hoc verbum reposuere Oberlinus sqq. praeter Lünemannum, qui retinuit *perpellunt*, quod habent MS. Bud. a rec. m. edd. Rhen. sqq. una excepta Pichenae. Is maluit *percellunt.* Scilicet *percellunt* cum infinitivo construi offensioni est. Sed sic Graeci omisso ὥστε. cf. not. ad 11, 1.

tanquam. Ed. Spir. *quanquam.* Pro *truculentior* edd. Put. M. et V. *truculantior.*

defectores. MS. Guelf. *interfectores.*

rebellaturos. Rhenanus suum secutus iudicium dedit *rebellaturos.* Recte. MSS. et vett. edd. *bellaturos* absorpta syllaba *re* a voce praecedente. cf. not. ad Hist. 3, 66.

circumveniunt. Sic MSS. Agr. Guelf. Bud. edd. Rhen. sqq. Teste Ryckio MS. Flor. *circūueunt*, h. e. *circumveniunt*, media syllaba, ut saepe, omissa. MS. Reg. ed. Spir. *circumvenerunt.* MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. *circumeunt.*

LI. Nec aliud Rhadamisto subsidium fuit quam pernicitas equorum, quis seque et coniugem abstulit. Sed coniunx gravida primam utcunque fugam ob metum hostilem et mariti caritatem toleravit: post festinatione continua ubi quati uterus et viscera vibrantur, orare ut morte honesta contumeliis captivitatis eximeretur. ille primo amplecti, adlevare, adhortari, modo virtutem admirans, modo timore aeger, ne quis relicta potiretur. postremo violentia amoris et facinorum non rudis destringit acinacem vulneratamque ripam ad Araxis trahit, flumini tradit, ut corpus etiam auferretur. ipse praeceps Iberos ad patrium regnum pervadit. Interim Zenobiam (id mulieri nomen) placida inluvie spirantem ac vitae manifestam advertere pastores et dignitate formae haud degenerem reputantes obligant vulnus, agrestia medicamina adhibent, cognitoque nomine et casu in urbem Artaxata ferunt. unde publica cura de-

Cap. 51. *nec aliud* etc. MS. Guelf. *nec alliud radamasto.*

quati. Ob sequens *vibrantur* Heinsius volebat *quatitur.* Sed vide exempla similia 15, 11 et 27.

timore aeger. MS. Agr. ed. Spir. *terrore aeger.* Quare Heinsius coniiciebat: *terrere aegram* vel *timere ager*, locum, ut editur, non sanum esse ratus.

potiretur. MS. Flor. (test. Vict.) *poteretur* cf. not. ad 3, 61.

destringit. Sic MSS. Flor. (t. Vict. c. Iac. Gronov.) Bud. edd. Ryck. sqq. cf. not. ad 1, 32. 2, 44. — *distringit* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. usque ad Ryck. et nuper quidam.

acinacem. Sic edd. Spir. Rhen. sqq. MS. Flor. (test. Vict.) *acinacen.* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. *acynacem.*

ripam ad. Sic MSS. Flor. Reg. Agr. edd. Spir. Ryck. sqq. *ad ripam* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Rhen. sqq.

flumini. Ed. Spir. *flumine.*

tradit. MSS. Harl. Bodl. les. Guelf. *traditam.*

ut corpus etiam auferretur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Harl. Bodl. les. Guelf. (hic *auferereteur*). Recte. Sententia: ut corpus etiam auferretur a flumine, nec in manus hostium veniret. MS. Bud. corrupte: *ut etiam corpus non auferretur.* Edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *ne c. etiam auf.* sc. ab hostibus.

Iberos. MS. Agr. *ad Hiberos.* Quare Heinsius volebat: *ad Iberos, patrium in regnum.* Sed vid. not. ad c. 32. Burmannus ad Caton. diras v. 90. (Anth. t. 2. p. 665.) vult: *ipse praeceps Iberos, patrium regnum, pervadit.* cf. Oberlin. in not. posthum. ad h. l. Iberi tamen ipsi sunt patrium regnum. Non igitur illos debuit pervadere, ut veniret ad patrium regnum, sed potius pervadere in eos.

inluvie. Lallemandus e coniectura I. Fr. Gronovii *eluvie.*

advertere. H. e. animadvertere. cf. not. ad 14, 43. Ed Spir. *avertere.*

ducta ad Tiridatem comiterque excepta cultu regio habita est.

LII. Fausto Sulla, Salvio Othone coss. Furius Scribonianus in exsilium agitur, quasi finem principis per Chaldaeos scrutaretur. adnectebatur crimini Iunia mater eius, ut casus prioris (nam relegata erat) impatiens. Pater Scriboniani Camillus arma per Dalmatiam moverat: idque ad clementiam trahebat Caesar, quod stirpem hostilem iterum conservaret. neque tamen exsuli longa posthac vita fuit: morte fortuita, an per venenum exstinctus esset, ut quisque credidit, vulgavere. De mathematicis Italia pellendis factum senatus consultum atrox et inritum. Laudati dehinc oratione principis, qui ob angustias familiares ordine senatorio sponte cederent, motique qui remanendo impudentiam paupertati adiicerent.

comiterque. MS. Guelf. *communiterque.* Dein *execepta.*

Cap. 52. *Sulla.* Ed. Spir. *Silla.* MS. Guelf. edd. Put. etc. *Sylla,* uti solent.

Salvio. Sic MS. Flor. (t. Vict.) edd. Spir. et recentt. inde a Lipsii prima. *Siluio* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. cum MS. Guelf. Hic cod. *Fulvius* pro *Furius.*

Chaldaeos. Ed. Spir. *Caldeos.* Mox edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *adnectabatur*, cum silentio Victorii.

Iunia mater eius. Ed. Spir. *mater viva eius.* Cod. Vat. *Vinia,* vulgari confusione.

Camillus arma per D. moverat. An. urb. 795. cf. Dio 60, 15. Suet. Claud. c. 13. et Oth. c. 1. Tacit. Hist. 2, 75. 1, 89.

quod stirpem. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichen.) Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Agr. Reg. edd. Spir. Pich. sqq. *qui stirpem* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Varietas orta est e compendio scripturae. Kiesslingius restituit *qui,* non video quo iure aut necessitate.

iterum. MS. Reg. ed. Spir. *interritum.* Pro *conservaret* MS. Reg. *conservare.*

morte fortuita ... vulgavere. Est anacoluthon quoddam in his verbis brevitatis studio exortum. Plenius scripsisset: morte fortuita, an per venenum exstinctus esset, non satis constitit. Nam alii morte fortuita, alii per venenum exstinctum esse, ut quisque credidit, vulgavere. Iam vero, ut ambages vitarentur, auctor locum contraxit. Emendandi studio debetur, quod refert MS. Agr. *exstinctum esse, ut.* In MS. Reg. et ed. Spir. legitur: *exstincta esset*, quod referendum est ad *vitam.* De Guelf. Kiesslingius falsus est: nam ibi legitur *extinctus*, ut in Bud. Pro *credidit* ed. Spir. *credit.* Eadem pro *Italia* dat *ita.*

cederent. cf. not. ad 3, 55. sub verbo *pervenirent.*

LIII. Inter quae refertur ad patres de poena feminarum, quae servis coniungerentur, statuiturque ut ignaro domino ad id prolapsae in servitute: sin consensisset, pro libertis haberentur. Pallanti, quem repertorem eius relationis ediderat Caesar, praetoria insignia

CAP. 53. *inter quae.* Sic MS. Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. *interque* edd. Put. M. et V. Beroald., vulgari vitio.

refertur. Ed. Spir. *refert.* Ea etiam varietas originem traxit e compendio scripturae: *refert˜*. Eadem ratione edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. habent *statuitque* pro *statuiturque*, quod consensu MS. Guelf. edidit Rhen. sqq. — MS. Guelf. ante *poena* omittit praepositionem *de*.

ut ignaro domino etc. Locus varietate vett. librorum insignis. MS. Flor. test. Pichena: *ut i. d. ad id prolapsa in servitute sui consensisset, pro libertis haberentur.* Iisdem verbis MS. Reg. et ed. Spir. — Victorius scripturam Beroald. intactam reliquit. MS. Bud. a pr. m. *prolapse in servitute sin consensisset* etc. unde rec. m. fecit *prolapsa*, ex *sin*, *sui* et in margine ea addidit *et qui nati essent.* MSS. Farnes. et Corb. *ut i. d. ad id prolapsa, in servitute: si consensisset, pro liberta haberetur.* Eadem praefert MS. Agr., nisi quod pro *si* habet *sin.* At auctiores sunt MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald Alc. Rhen. sqq. *ut i. d. ad id prolapsa: in servitutem sui consensisset: et qui nati essent pro libertis haberentur.* MS. Guelf. *statuiturq; ut ignaro domino ad id prolapsa* (hic rasura et emendatio secundae manus in duabus posterioribus verbi syllabis) *in servitutem sui consensissent: et q nati essent pro libertis haberentur.* Igitur Kiesslingius non satis recte dixit verba *et qui nati essent* abesse a MSStis. Iam Rhenanus in castigatt. emendaverat duce MS. Bud. *statuiturque ut ignaro domino ad id prolapsa, in servitute: sin consensisset, pro libertis haberentur.* Lipsius malebat scripturam MS. Farnes. Ryckius edidit verba MS. Agr. quum ad eum duravisset ratio Puteolani. Iac. Gronovio auctore Ernest. sqq. recepere hodie vulgatam. Additamentum, *et qui nati essent*, esse spurium non solum testantur optimi codices, qui ignorant illud; sed etiam loci auctorum, qui posteriore tempore SCti Claudiani huius mentionem fecere. cf. Paul. Rec. Sent. 2, 21. Gaius Institt. 1, 86. 91. Nemo enim quidquam habet *de iis qui tali coniugio nati essent* etc. Nec Suetonius, qui in Vespas. c. 11. refert: *auctor senatui fuit decernendi, ut, quae se alieno servo iunxisset, ancilla haberetur.* Etenim Vespasianus tunc videtur rettulisse legem Claudianam temporum licentia abolitam. A. Moebius in biblioth. crit. Seebod. an. 1821. Nr. 9, p. 817. vocabulum *libertis* mutat in *liberis*, cum *Gravina* in Orig. iur. civ. de Legg. n. 31. et *Gundlingio* in Gundlingianis part. 36. Sed uterque alia ratione eam mutationem suasere, nempe ut defenderent verba: *et qui nati essent.* Quibus abolitis nulla superest necessitas, ex qua *libertis* mutetur in *liberis*. *Pro libertis haberentur* h. e. eo vinclo tenerentur domino servi, eoque statu in domo eiusdem uterentur, quo libertorum libertarumque genus; igitur liberae quidem manerent, adnexae tamen domo, cuius servo se iungerent. Quid multa? Tacitus non scripsisset *pro liberis haberentur*, sed *liberae haberentur* vel *essent, manerent.* Nam *liberae* erant; ergo *pro* liberis non debebant haberi.

ediderat. MS. Guelf. *ediderāt.*

praetoria insignia. Ad totum

et centies quinquagies sestertium censuit consul designatus Barea Soranus: additum a Scipione Cornelio grates publice agendas, quod regibus Arcadiae ortus veterrimam nobilitatem usui publico postponeret seque inter ministros principis haberi sineret. Adseveravit Claudius contentum honore Pallantem intra priorem paupertatem subsistere. et fixum est aere publico senatus consultum, quo libertinus sestertii ter millies possessor antiquae parcimoniae laudibus cumulabatur.

LIV. At non frater eius cognomento Felix pari moderatione agebat iam pridem Iudaeae impositus et cuncta malefacta sibi impune ratus tanta potentia sub-

hunc locum cf. Plin. epp. 7, 29. et 8, 6. Mox *quinquagies* MSS. Flor. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. prima, et dein Iac. Gronov. sqq. *quinquagesies* edd. Lips. (1598) Pich. sqq.

Barea Soranus. Ed. Spir. *baresoranus.* Edd. Put. M. et Ven. *Barca Soranus.* Iidem libri punctum ponunt post *censuit.* MS. Guelf. *Barea Soranus* et post *censuit* colon (:) habet.

quod regibus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. et recentt. inde a Lips. prima. *qui regibus* edd. Put. M. et V. Ber. Rhen. Ald.

intra priorem. Ed. Spir. *inter priorem.*

aere publico. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. Contra MSS. Reg. Agr. ed. Spir. *publice,* omisso altero vocabulo. E MS. Flor. Iac. Gronovius et Pichena habent: *et fixum est . . publico,* cum lacuna; sed *aere* ab alia m. in margine adscriptum. Ernestius utramque scripturam ineptam esse arguit, sive de sumptu aerarii, sive de loco publico accipias; nam omnia sic fixa SCta. Recte tamen Broterius opposuit locum Plin. epp. 8, 6. unde discimus peculiarem fuisse SCti illius partem, quae ferret: *senatusque consulta de iis rebus facta in aere inciderentur, idque aes figeretur ad statuam loricatam divi Iulii.* Quae senatus si decrevit, non potest ineptum videri eadem a scriptore referri facta. *Aes publicum* intellige aes publico loco et auctoritate publica propositum; idque urget scriptor, quia praecipuum in eo fuit dedecus. Kiesslingius edidit *aere publice,* ratus ita locum haberi in MSStis, quod falso credidit.

sestertii ter millies. Ed. Spir. *sextercii trimilies.* Eadem omittit verbum *cumulabatur.* MS. Flor. (test. Vict.) *milliens.*

Cap. 54. *iam pridem.* Scilicet si Iudaeam capias latiore sensu, ut simul comprehendatur Galilaea et Samaria; nam Iudaeae proprie dictae post Cumanum damnatum demum impositum esse docet ad h. l. Lipsius e Ioseph. Ἰουδ. ἁλώσ. 2, 12. cf. etiam Act. Apost. 24, 10. Ceterum ed. Spir. habet *tum pridem;* MS. Agr. *tum primum.* De hoc Kiessl. falsus est.

impune ratus. Heinsius parum latine hoc dictum ratus vult: *impune itura* vel *abitura.* Sed e praecedentibus intellige, cuncta male facta sibi impune male facta esse ratum.

potentia. Ed. Spir. et MS. Flor. (test. Vict.) *patientia.*

nixo. Sane praebuerant Iudaei speciem motus orta seditione * postquam cognita caede eius haud obtemperatum esset, manebat metus, ne quis principum eadem imperitaret. atque interim Felix intempestivis remediis delicta accendebat aemulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars provinciae habebatur, ita divisis ut huic

Iudaei. Ed. Spir. *Iudeis.*

*orta seditione * postquam cognita caede eius haud obtemperatum esset, manebat* etc. Locus varie tentatus. Ed. Spir. *orta seditione: postquam cognita caede eius haud obtemperasset. monebat metus* etc. Edd. Put. M. et V. Beroald. *orta seditione. Postquam cognita caede eius: haud obtemperatum esset. Sed manebat* etc. et sic MS. Guelf. nisi quod aspernatur colon (:) post *eius* et pro puncto ante *postquam* ponit colon (:). Victorius e MS. Flor. delet *sed*, reliqua intacta sinit. Edd. Alc. Rhen. Ald. *orta seditione, postquam* etc. *Sed* uti a MS. Flor. ita etiam abest a MSS. Harl. Corb., reperitur in MSS. Bodl. Ies. Guelf. — *obtemperatum est* MS. Ies. Altera Rhenan. ed. et sqq. *postquam c. c. Caii h. o. esset. manebat* etc. I. Fr. Gronovius coniecit: *quanquam cognita caede Caii edicto eius haud o. esset.* Heinsius: *postquam cognita Caii caedes, et vi haud temperatum esset: Nam manebat metus.* vel, *postquam cognita Caii caede iussis haud obt. est. Sed manebat* etc. Oberlinus cum Bip. *orta seditione, postquam C. Caesari haud obtemperatum esset; cognita caede eius, sedata. Manebat* etc. Alii alia aeque parum probabilia. Nuper Ricklefs vocabula *orta seditione* glossematis suspicione oneravit, quibus eiectis sanum esse locum putat. Interpretatur: *In der That hatten die J. den Schein einer Empörung gegeben, als, die Ermordung des Caius erfahren, nicht von ihnen gehorcht ward.* Sed *postquam* non est *als* eo sensu, quo ille accipit, et nomen *Caii* ex emendatione ortum auctoritate vett. librorum destituitur. Ego cum Bekkero ad mutilam veterum librorum rationem redeo. Post *orta seditione* cum Acidalio et Broterio censeo lacunam esse, ibique periisse, quae causam seditionis indicarent. Ea fuit C. Caesaris effigies in templo locanda. cf. Hist. 5, 9. Ioseph. *Ἰουδ. ἁλώσ.* 2, 10. *Ἀρχαιολ.* 18, 8. Quam lacunam si admittis, cetera bene procedunt. Sententia est: praebuisse Iudaeos speciem motus orta seditione ob Caesaris effigiem in templo locandam. Post Caii caedem non quidem obtemperatum esse atque cessisse sic causam seditionis, neque tamen omnem motus speciem evanuisse ob metum, ne quis etc. Satis credibile est, respicere haec ad pleniorem de illa Iudaeorum seditione narrationem olim in nunc deperditis libris obviam. Solet enim Noster occasione data breviter referre, quae prius scripsit, ut alia adnectat. cf. 6, 26. sub fin. cum iis quae libro 2. et 3. de Plancina dixerat.

Cumano. Ed. Spir. omittit hoc vocabulum, quod etiam MS. Flor. (test. Iac. Gronovio) in margine habet, in contextu spatium vacuum.

ita divisis. Intell. *Iudaeis* vel *provincialibus*, quod latet in vocabulo *provinciae.* Ed. Spir. *ita divisit ut huic Galileorum natio: felici Samarithae paterent.* Mox eadem *contemptui regētius.* Deinde cum MS. Reg. *inter cecidissent* pro *interiecissent* (MS. Agr. *intercecissent*), omisso verbo *caesi.* Eadem omittit *ni* ante *Quadratus.* — MS. Guelf. *contentu* pro *con-*

Galilaeorum natio, Felici Samaritae parerent, discordes olim et tum contemptu regentium minus coercitis odiis. igitur raptare inter se, immitere latronum globos, componere insidias et aliquando proeliis congredi spoliaque et praedas ad procuratores referre. Hique primo laetari, mox gliscente pernicie cum arma militum interiecissent, caesi milites. arsissetque bello provincia, ni Quadratus Syriae rector subvenisset. nec diu adversus Iudaeos, qui in necem militum proruperant, dubitatum quin capite poenas luerent: Cumanus et Felix cunctationem adferebant, quia Claudius causis rebellionis auditis ius statuendi etiam de procuratoribus dederat. sed Quadratus Felicem inter iudices ostentavit, receptum in tribunal quo studia accusantium deterrerentur: damnatusque flagitiorum, quae duo deliquerant, Cumanus, et quies provinciae reddita.

LV. Nec multo post agrestium Cilicum nationes, quibus Clitarum cognomentum, saepe et alias commotae, tunc Trosobore duce montes asperos castris cepere: atque inde decursu in litora aut urbes vim cultoribus et oppidanis ac plerumque in mercatores et navicularios audebant. obsessaque civitas Anemuriensis, et missi e Syria in subsidium equites cum praefecto Curtio Severo

temptu, *ad praedas* pro *et praedas*, *et procuratores* pro *ad procuratores*, *dubitandum* pro *dubitatum*.

adferebant. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *afferebant* vett. edd. et MS. Guelf.

ius statuendi. Ed. Spir. *iusta tuendi*. Eadem omittit *de* ante *procuratoribus*. Mox *receptumque, damnatosque, cumanos*. MS. Guelf. *delinquerant* pro *deliquerant*.

Cap. 55. *nec multo post*. Ed. Spir. omittit *post*.

Clitarum. MS. Guelf. *ditarum*.

Trosobore. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Rhenan. sqq. cum MS. Bud. At test. I. Gronovio MS. Flor. *Troxobore*, mox *Troxoboro*. Ed. Spir. *Aresoboro*. MSS. Vatt. 1863 et 1864. *Arosobore*, a manu emendatoris *Arosoboro*. — MS. Vat. 1958. *Aroxobore*. — MS. Guelf. *torosbore*. At infra *Trosobore*.

cepere. Edd. Spir. Put. M. et V. *coepere*, vulgari vitio.

decursu. Ed. Spir. *decursum*. Eadem *ad urbes* pro *aut urbes*.

et oppidanis. Sic MSS. Flor. (test. I. Gronov.) Bud. Guelf. et MSS. Broterii, edd. Spir. Ernest. sqq. *ac oppidanis* edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alciat. Rhen. sqq. usque ad Ernest.

Anemuriensis. Sic edd. Put. sqq. — *animiuerensis* MS. Guelf. — Ed. Spir. *Anermuriensis*. Eadem

turbantur, quod duri circum loci peditibusque ad pugnam idonei equestre proelium haud patiebantur. Dein rex eius orae Antiochus, blandimentis adversus plebem, fraude in ducem cum barbarorum copias dissociasset, Trosobore paucisque primoribus interfectis ceteros clementia composuit.

LVI. Sub idem tempus inter lacum Fucinum amnemque Lirim perrupto monte, quo magnificentia operis a pluribus viseretur, lacu in ipso navale proelium adornatur, ut quondam Augustus structo cis Tiberim stagno, sed levibus navigiis et minore copia ediderat. Claudius triremes quadriremesque et undeviginti hominum millia armavit, cincto ratibus ambitu ne vaga effugia forent: ac tamen spatium amplexus ad vim remigii, gubernantium artes, impetus navium et proelio solita. in ratibus praetoriarum cohortium manipuli turmaeque

mox *peditesque* pro *peditibusque*. Dein *orationibus* pro *orae Antiochus*. De hoc Antiocho cf. Dio 59, 8.

ad pugnam. MS. Guelf. *ad pugna.* Mox *adversum* pro *adversus.*

in ducem. Ed. Spir. *inducere.*

Cap. 56. *Lirim perrupto.* MS. Guelf. *Lyrim praerupto.* Ed. Spir. *lirim.* Put. sqq. *lyrin.*

adornatur. Ed. Spir. *ordinatur.* De rebus huius cap. cf. Suet. Claud. c. 20. Dio 60, 11.

ut quondam Augustus. cf. Suet. Oct. c. 43.

structo. MS. Guelf. *stricto.*

cis Tiberim stagno. Ed. Spir. *eis stagno tiberim.*

Claudius triremes etc. Levibus Augusti navigiis opponuntur triremes quadriremesque Claudii, minori illius copiae (sc. hominum, nec de navigiorum copia cogitandum est) huius undeviginti hominum millia. Ita non desideratur numerus ante *triremes*, ut putant Lipsius aliique. De voce *copia* cf. 13, 55. *non modo sua copia*; 4, 4. *Romana copia.* De re cf. Dio 60, 33. Sueton. Claud. c. 21.

undeviginti. MS. Guelf. *unum de XX. milia hominum.* Ed. Spir. *inde viginti h. milia.* Put. *undeviginti h. milia.*

remigii. MS. Guelf. *navigii.*

gubernantium. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) edd. Spir. Pich. sqq. — *et gubern.* MSS. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Pro *artes* MS. Guelf. *rates.*

impetus. Sic MSS. Flor. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. *impetusque* edd. Rhen. sqq. usque ad Pichenam, qui delevit copulam auctoritate MS. Flor.

et proelio. Sic MSS. Flor. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. et Pich. sqq. — *praelio* vel *proelio* (sine *et*) edd. Rhen. sqq. usque ad Pich.

solita. Sic edd. Pichen. (ut e MS. Flor.) sqq. — *soliti* (sc. *in ratibus* etc.) MSS. Guelf. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — *solitos* (sc. *impetus*) edd. Rhenan. sqq. usque ad Pichen.

adstiterant, antepositis propugnaculis ex quis catapultae ballistaeque tenderentur. reliqua lacus classiarii tectis navibus obtinebant. ripas et colles ac montium edita in modum theatri multitudo innumera complevit proximis e municipiis et alii urbe ex ipsa visendi cupidine aut officio in principem. ipse insigni paludamento neque procul Agrippina chlamyde aurata praesidere. pugnatum quanquam inter sontes fortium virorum animo: ac post multum vulnerum occidioni exempti sunt.

LVII. Sed perfecto spectaculo apertum aquarum iter, et incuria operis manifesta fuit haud satis depressi

adstiterant. Sic MS. Guelf. edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. (c. silent. Vict.) — *astiterant* ed. Spir. — *abstiterant* edd. Put. M. et V.

ballistaeque. MS. Guelf. *et balistae.* Edd. inde a Spir. ad Oberl. *balistaeque.* Sed cf. not. ad Hist. 3, 23.

tenderentur. Ed. Spir. *traderentur.*

tectis. Edd. Rhen. sqq. *rectis,* vitio typogr., quod sustulit Lipsius.

ac montium. Sic edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *montium* omisso *ac* MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir.

complevit. Ed. Spir. *complexum.*

chlamyde. Edd. Spir. Put. M. et V. *clamide.*

praesidere. Sic edd. vett. consensu, cum silentio Vict. et consentientibus MSS. Bud. Guelf. — *praesedere* edd. recentt. inde a Lipsii prima. De re cf. Plin. 33, 3. et Dio l. l.

pugnatum quanquam. MS. Guelf. *Pugnatumque.*

inter sontes. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. — *inter insontes* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

post multum. MS. Guelf. a sec. m. *post multi,* quod dedit qui sequens vocabulum *vulnerum* per compendium ibi terminatum legeret *vulneribus.*

occidioni. Ed. Spir. *occisioni.* MS. Guelf. *occidione* a sec. m.; *occidioni* a pr. m. fuit.

Cap. 57. *et incuria.* MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Bud. edd. Spir. Ernest. sqq. omittunt *et.* — *et incuria* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. usque ad Ernest. Ex meo sensu *et* melius adest. Restituit Kiesslingius. Ricklefs *aquarum iter* interpretatur: *die Canäle, wodurch das hereingelassene Wasser wieder abstürzte.* Sed egregie fallitur. Nihil enim aquae immissum fuit; verum lacus Fucinus per se aqua ad edendam naumachiam abundabat. Res ita se habet. Claudius emissurus lacum Fucinum emissario perfecto naumachiam ante commisit (cf. Sueton. Claud. c. 21), ut ita duo coniungeret spectacula. Igitur navali proelio finito aperti sunt specus emittendi lacus causa facti. Hoc Noster dicit: *apertum est aquarum iter.* Sed tunc incuria operis manifesta fuit: haud satis depressi ad lacus ima specus; quare interiecto tempore altius debuerunt effodi. Quae cum ita sint, difficultates illas, de quibus Strombeckius queritur ad h. l., ego non video. Male

ad lacus ima vel media, eoque tempore interiecto altius effossi specus: et contrahendae rursus multitudini gladiatorum spectaculum editur inditis pontibus pedestrem ad pugnam. quin et convivium effluvio lacus adpositum magna formidine cunctos adfecit, quia vis aquarum prorumpens proxima trahebat, convulsis ulterioribus aut fragore et sonitu exterritis. simul Agrippina trepidatione principis usa ministrum operis Narcissum incusat cupidinis ac praedarum. nec ille reticet impotentiam muliebrem nimiasque spes eius arguens.

LVIII. D. Iunio, Q. Haterio coss. sedecim annos

Ernestius plenam distinctionem posuerat ante *incuria.* Nam utrumque membrum pendet e verbis *perfecto spectaculo.* Post *specus* plenius interpungendum erat.

rursus. Ed. Spir. *rursum.*

effluvio. MS. Guelf. *e fluvio.* Ibidem deest *adpositum.*

quia vis. Ed. Spir. *quãuis.*

convulsis ulterioribus aut fragore et sonitu exterritis. MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Reg. Bud. (pr. m.) ed. Spir. pro *exterritis* habent *exterriti.* Ed. Spir. *etiam sonitu* pro *et sonitu.* Edd. Beroald. Alc. omittunt *et* ante *sonitu.* Vulgatum *et* tuentur edd. Puteol. M. et V. Rhen. sqq. et MS. Flor. (test. Vict.) Auctiores sunt MSS. Harl. Ies. Guelf. *convulsis ulterioribus subliciis.* MS. Bodl. id additamentum habet in margine. Ceterum sine causa Gronovio hanc orationem monstrosam esse visam puto. Vi aquarum prorumpente proxima, ubi vehementissima aquarum vis, trahuntur; ulteriora (*das Entferntere* ad dextram laevamque) convelluntur (*wird erschüttert,* quod fit minore vi quam trahi). *Proxima* et *ulteriora* dum Noster scribit, intelligit et res et homines. Nam sic etiam dicuntur *cuncta, omnia,* ut homines simul comprehendantur. Nullam certe causam video, cur emendemus cum Gronovio *exterritos.*

operis. MS. Guelf. *corporis.*

reticet. Ed. Spir. *reticẽs.* Eadem *nimias* pro *nimiasque.*

Cap. 58. *D. Iunio, Q. Haterio.* Sic edd. Lips. sqq. — Ed. Spir. *D. Lunio. Q. Auturio.* — MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. *D. Iunio. Q. Auterio.* Lipsius adnotavit Suetonium Ner. c. 7. gesta haec velle toto anno ante. Fallitur. Suetonius res suas non per annos urbis digessit, sed similitudinem rerum et aetatem virorum sequitur. Sic l. l. postquam dixit de gratibus per Neronem in senatu actis (sumpta virili toga an. u. 805), adnectit quod apud eundem consulem Claudium (h. e. an. 805) pro Bononiensibus aliisque verba fecit. Iam Lipsius rem ita refert, tanquam apud Suetonium his statim adnectantur illa: *Nec multo post duxit uxorem* etc. At enim vero interiecta sunt haec: *Auspicatus est et iurisdictionem praefectus urbi sacro Latinarum* etc. Iam praefectura illa ad annum 806 relata plane cum Nostro consentire videtur Suetonius, dum pergit: *Nec multo post* etc. Nam hoc non est diebus quibusdam interiectis, sed indicat post praefecturam urbis proximum in vita Neronis memorandum fuisse matrimonium cum Octavia initum. Lipsii opinione et Ricklefs deceptus est. Ryckius inde ab initio huius libri falso numerat annos urbis et uno anno omisso gesta haec refert ad

natus Nero Octaviam Caesaris filiam in matrimonium accepit. utque studiis honestis et eloquentiae gloria nitesceret, causa Iliensium suscepta Romanum Troia demissum et Iuliae stirpis auctorem Aeneam aliaque haud procul fabulis vetera facunde exsecutus perpetrat, ut Ilienses omni publico munere solverentur. Eodem oratore Bononiensi coloniae igni haustae subventum centies sestertii largitione. Redditur Rhodiis libertas adempta saepe aut firmata, prout bellis externis meruerant aut domi seditione deliquerant. Tributumque Apamensibus terrae motu convulsis in quinquennium remissum.

LIX. At Claudius saevissima quaeque promere adigebatur eiusdem Agrippinae artibus, quae Statilium Taurum opibus inlustrem hortis eius inhians pervertit accusante Tarquitio Prisco. legatus is Tauri Africam

an. u. 806, quum sit 807. Hinc et ipse putat initum cum Octavia matrimonium pertinere ad initium an. 16. aetatis Neronis.

Caesaris. MS. Guelf. *C. Caesaris.*

honestis et. Ed. Spir. omittit *et.*

nitesceret. Sic MSS. Reg. Bud. edd. Spir. Put. sqq. cum silentio Victorii. Sed collatio Gronoviana e MS. Flor. fert *enitesceret*, quod recepere Lallemandus et Bip. cf. 11, 7.

vetera facunde. Sic MS. Bud. edd. Rhen. sqq. — *vera facunde* MSS. Flor. (test. Ryck. e collat. Gronov.) Reg. Harl. Ies. Guelf. edd. Spir. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. eaque scriptura placuit editori Bipontino, ut *haud procul fabulis vera* sint fabulis commixta, quanquam rebus factis nitantur. MSS. Agr. et Bodl. (in margine) *verùm facunde*, quod edidit Ryckius. MS. Bodl. in contextu *verâ facundie;* unde videtur fluxisse *vera facunditate* in edd. Put. M. et V.

exsecutus. Ed. Spir *executis.*

perpetrat. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Harl. Ies. Guelf. Bud. edd. Spir. et Ernest. sqq. — *impetrat* MS. Bodl. pr. m. (rec. m. emendavit *perpetrat*) edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

Bononiensi coloniae. Ed. Spir. *G. coloniae.*

Rhodiis. cf. Dio 60, 24.

Apamensibus. Sic MSS. Flor. (test. I. Gron.) Reg. edd. Spir. et Ernest. sqq. De MS. Flor. Victorius tacet sinitque *Apamiensibus*, quod est in edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — Ryckius e MS. Agr. dedit *Apameensibus.* MS. Bud. *a parmensibus.* Guelf. *parmensibus* cum rasura loco praepositionis. Falsus igitur Kiessl. de cod. Guelf. Fuerunt plures *Apameae;* hic urbem Phrygiae intelligendam esse docet Ryckius ad h. l.

convulsis. MS. Guelf. *convolsis.*

Cap. 59. *saevissima.* Ed. Spir. *senissima.* Eadem *praevertit.*

Statilium. MS. Guelf. *statinium.*

Tarquitio. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. et recentt. inde a Lipsii prima. *Tarquinio* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. cum MS. Guelf.. Mox ed. Spir.

imperio proconsulari regentis, postquam revenerant, pauca repetundarum crimina, ceterum magicas superstitiones obiectabat. nec ille diutius falsum accusatorem indignasque sordes perpessus vim vitae suae attulit ante sententiam senatus. Tarquitius tamen curia exactus est: quod patres odio delatoris contra ambitum Agrippinae pervicere.

LX. Eodem anno saepius audita vox principis parem vim rerum habendam a procuratoribus suis iudicatarum ac si ipse statuisset. ac ne fortuito prolapsus videretur, senatus quoque consulto cautum plenius quam antea et uberius. nam divus Augustus apud equestres, qui Aegypto praesiderent, lege agi decretaque eorum perinde haberi iusserat ac si magistratus Romani constituissent: mox alias per provincias et in urbe pleraque concessa sunt, quae olim a praetoribus noscebantur. Claudius omne ius tradidit, de quo totiens seditione aut armis certatum, cum Semproniis rogationibus equester

legatus instaurari Africam etc. MS. Agr. *legato Tauri.*

indignasque sordes. Sic Heinsius emendat ex Ann. 4, 52. 6, 8. Addo de Oratt. c. 12. Nam MSS. Reg. Agr. ed. Spir. habent *indignasque sortes.* Heinsii emendationem recepere Ernest. Lallemand. Broter. Bekker. Kiessl. — MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. *indigna sorte*, unde Bip. Oberl. aliique fecere *indignamque sortem.* Sed aeque bonum erat *indigna sorte.*

pervicere. Ed. Spir. *peruenire.*

Cap. 60. *iudicatarum.* Ed. Spir. *iudicaturum*, et sic MS. Flor. t. Vict. — *iudicatorum* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *iudicatarum* edd. Rhen. sqq. Procuratores Caesaris qui sint intelligendi ipse Tacitus docet in fine capitis, ubi nominat *libertos*, *quos rei familiari praefecerat*, et uberius rem explicant Lipsius et Ernestius ad h. l. Vide etiam interprett. ad Sueton. Cl. c. 12. Intellige procuratores fisci principis, qui et in urbe et in provinciis erant; non praefectos provinciarum Caesaris, qui et ipsi procuratores nonnunquam dicuntur. Nam his pridem iurisdictio et imperium concessum. Ernestius diversa a Lipsio sibi videbatur docuisse ad h. l. Sed ad extremum ambo idem censent.

senatus quoque. MS. Guelf. *senatusque.* cf. not. ad 1, 28.

cautum. Ed. Spir. *tantum.* Pro *equestres* MS. Agr. *equites.* Sed cf. 13, 10.

perinde. Sic MS. Guelf. edd. Ernest. sqq. suadentibus Pichena et Heinsio. cf. not. ad 3, 17. Vett. edd. *proinde.*

per provincias. Ed. Spir. omittit *per.* Eadem mox *ut* habet pro *aut*, et ante *iudicia* addit *iudicum.*

Semproniis rogationibus. Sic edd. Spir. Rhen. sqq. *Sempronii rogationibus* edd. Put. M. et V. Be-

ordo in possessione iudiciorum locaretur aut rursum Serviliae leges senatui iudicia redderent, Mariusque et Sulla olim de eo vel praecipue bellarent. sed tunc ordinum diversa studia, et quae vicerant, publice valebant. C. Oppius et Cornelius Balbus primi Caesaris opibus potuere conditiones pacis et arbitria belli tractare. Matios posthac et Vedios et cetera equitum Romanorum praevalida nomina referre nihil attinuerit, cum Claudius libertos, quos rei familiari praefecerat, sibique et legibus adaequaverit.

LXI. Rettulit dein de immunitate Cois tribuenda multaque super antiquitate eorum memoravit: Argivos vel Coeum Latonae parentem vetustissimos insulae cultores: mox adventu Aesculapii artem medendi inlatam maximeque inter posteros eius celebrem fuisse, nomina

roald. (c. silent. Vict.) *Sempronii rogatione* MS. Guelf.

bellarent. MS. Bud. et inde edd. Rhenan. sqq. *bellarunt*, scilicet cum plena interpunctione ante *Mariusque.* I. Gronov. Ernest. sqq. restituerunt *bellarent*, in quo cum MSS. Flor. Guelf. ceteri libri conspirant.

Sulla. Sic MS. Flor. test. Vict. *Silla* ed. Spir. *Sylla* MS. Guelf. edd. Put. Ber. Rhen.

quae vicerant. Lipsius et sqq. ediderant *qui vicerant;* Ernestius veterum librorum auctoritate restituit *quae vicerant.*

Matios. Sic edd. Lips. sqq. cf. Sueton. Iul. c. 52. Cicer. ad Trebat. ep. 7, 15. *Matthios* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. V.) Alc. Rhen. Ald. — Alii libri test. Lips. *Macchyos.* MS. Guelf. *Mathios.*

Vedios. Ed. Spir. *Vadios.* cf. 1, 10. Eadem omittit *referre*, totumque locum legit sic: *attinuerit. C. Claudius libertos suos rei familiari praefecerat: sibique et legibus adeq̃uit.*

Cap. 61. *Cois.* Sic edd. Spir. Beroald. (c. silentio Vict.) Rhen. sqq. — *Chois* edd. Put. M. et V. Alc. — MS. Guelf. nunc *Coi* nunc *Choi.* cf. infr. not.

tribuenda. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Rhenan. sqq. In ed. Beroald. operarum lapsu venerat *tristuenda*, unde Alciatus fecit *restituenda.*

Argivos. MS. Flor. test. Vict. *Argios.*

vel Coeum Latonae parentem. Ex Merceri emendatione, quam adprobavit Lipsius, recepere Pichena sqq. — MS. Flor. test. Pichena *vel cum Latonae parentem.* Victorius tamen intactam reliquit scripturam *vel cum Latonae parente*, quae est in MSS. Bud. Guelf. aliisque, edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. cf. Hesiod. Theog. 404.

vetustissimos. Ed. Spir. *vetussimos.* Eadem pro *insulae* dat *in solae.*

inlatam. Sic MS. Flor. test. Vict. *illatam* edd. vett. et MS. Guelf.

maximeque. Ed. Spir. *maxime quae.*

singulorum referens et quibus quisque aetatibus viguissent. quin etiam dixit Xenophontem, cuius scientia ipse uteretur, eadem familia ortum precibusque eius dandum, ut omni tributo vacui in posterum Coi sacram et tantum Dei ministram insulam colerent. Neque dubium haberetur multa eorundem in populum Romanum merita sociasque victorias potuisse tradi. sed Claudius facilitate solita, quod uni concesserat, nullis extrinsecus adiumentis velavit.

LXII. At Byzantii data dicendi copia, cum magnitudinem onerum apud senatum deprecarentur, cuncta repetivere, orsi a foedere quod nobiscum icerant, qua tempestate bellavimus adversus regem Macedonum, cui ut degeneri Pseudophilippi vocabulum impositum. missas posthac copias in Antiochum, Persem, Aristonicum, et piratico bello adiutum Antonium memorabant, quae-

viguissent. MS. Guelf. *viguisset.* Mox ibi deest *ipse.*

Xenophontem. cf. infr. c. 67.

precibusque eius. Ed. Spir. *precibusque eis.*

Coi. Ed. Spir. *Cohi.* Edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. *Choi.*

tantum. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Bud. Farnes. Bodl. (pr. m.) edd. Spir. Pich. sqq. *tanti* MSS. Harl. Ies. Bodl. (a manu emendatoris) Agr. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq.

haberetur. Sic MSS. Flor. (si fides habenda silentio Victorii) Bud. Agr. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Recte. cf. not. ad 4, 6. sub v. *eximeretur.* Recentt. edd. *habetur* inde a Lipsii prima.

potuisse tradi. sed Cl. Libri variant: *patuisse. Claudius* MS. Flor. (si fides habenda silentio Victorii) edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Haud inepte. Nam plane sic ponitur verbum *patere* de iis, quae sunt clara et manifesta. *Sed* ante *Claudius* eleganter omittitur. Adstipulantur huic scripturae MSS. Bud. Guelf. qui habent *patuisse tradidisset. Claudius,* unde Rhenanus fecit hodie vulgatam: *potuisse tradi. sed Claudius* etc. Ed. Spir. *potuisset: tradidisset Claudius.* De ceteris MSStis altum est silentium.

uni. Int. Xenophonti.

Cap. 62. *Byzantii.* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. *Bizantii.* Ed. Spir. *Bizantiis.*

repetivere, orsi. Ed. Spir. *repeti vereor: si.*

icerant. Sic MSS. Bodl. Ies. edd. Gryph. Lips. Pich. sqq. — *iecerant* MSS. Flor. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Micyll. (1557) in qua scriptura latere quod vulgo editur nemo dubitat. Alia res agitur 11, 9. Vid. ibi not.

posthac. Accipe de tempore rei dictae, non gestae.

adiutum. Ed. Spir. *aduitum,* vulgari vitio. Mox *Persen* MS. Flor. (t. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. *Persem* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

memorabant, quaeque. Ed. Spir. *Memorabantque quae* et sic

que Sullae aut Lucullo aut Pompeio obtulissent, mox recentia in Caesares merita, quando ea loca insiderent, quae transmeantibus terra marique ducibus exercitibusque, simul vehendo commeatu opportuna forent.

LXIII. Namque artissimo inter Europam Asiamque divortio Byzantium in extremo Europae posuere Graeci, quibus Pythium Apollinem consulentibus, ubi conderent urbem, redditum oraculum est, quaererent sedem caecorum terris adversam. ea ambage Chalcedonii monstrabantur, quod priores illuc advecti praevisa locorum utilitate peiora legissent. quippe Byzantium fer-

etiam MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Rhen. Ald. sqq. et MSS. test. Broterio. — *memorabant*, *quaeque* edd. recentt. inde ab ed. Bernegg.

ducibus exercitibusque, *simul*. Ed. Spir. *duobus exercitibus: quae simul*. Eadem mox *meatu* pro *commeatu*.

commeatu. Sic MSS. Flor. Reg. Agr. Guelf. edd. Put. M. et Ven. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. et recentt. a Lipsii prima usque ad Oberlinum, qui cum Rhenano et Aldo e MS. Bud. edidit *commeatui*. Sed cf. not. ad 3, 30. 6, 23. 12, 5. Pro *vehendo* MS. Agr. dat *subvehendo*, ex emendatione.

Cap. 63. *artissimo*. Sic edd. Spir. et recentt. inde a Lipsii prima. *arctissimo* MS. Guelf. edd. Put. M. et Ven. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Rhen. Ald.

in extremo Europae. Sic MS. Agr. ed. Spir. et fortasse plures codd. MSSti, quorum scripturam hic nemo prodidit. MS. Guelf. edd. Put. M. et Ven. sqq. exhibent *in extrema Europae*. Edd. Rhenan. sqq. *in extrema Europa*, quod hodie vulgatur.

posuere Graeci. Ad hunc locum Victorius notavit: „Qui secundum Iustinum fuerunt Lacedaemonii ut dicit in lib. IX. in p°. Ammian. autem dicit fuisse Atticorum coloniam lib. XXII. 335." Sed cf. *Raoul-Rochette*, *histoire cr. de l'établiss. des col. gr.* Vol. III. p. 297.

Pythium. Ed. Spir. *Phitium*. Edd. Put. M. et V. *Phytium*. Edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *Pythium*.

caecorum. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Rhenan. sqq. — *graecorum* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. cum MS. Guelf.

Chalcedonii. Ed. Spir. *Calcedonii*. Ubique enim iste liber evitat litteram *Ch*.

praevisa locorum utilitate. Sic MSS. Flor. Reg. Guelf. cum aliis, edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Male MSS. Bud. Agr. *provisa*. Offendunt tamen interpretes in verbo *praevisa* quasi ad sententiam non satis apto. Quare Lipsius coniiciebat: *parum visa l. u.* I. Gronovius: *impraevisa*. Ernestius *praevisa* accipit pro *praetervisa*. Frustra. *Praevidere* est ante vel prius videre. Iam vero *videre* non est *intelligere*. Immo sunt, qui videant rem, minime tamen intelligant. Ita et Chalcedonii praeviderant locorum utilitatem h. e. prius quam alii illa loca perlustraverant oculis, ut utiliorem ex illis cognoscerent deligerentque, sed non intellecto locum Byzantii praeferendum esse posuerunt urbem in loco peiore. Vocabulum *locorum* ad utramque regionem spectat et Byzantinam et Chalcedonensem; nam utrumque locum spectaverant. Sic nihil inepti

tili solo fecundoque mari, quia vis piscium innumera Pontum erumpens et obliquis subter undas saxis exterrita omisso alterius litoris flexu hos ad portus defertur. unde primo quaestuosi et opulenti, post magnitudine onerum urgente finem aut modum orabant adnitente principe, qui Thracio Bosporanoque bello recens fessos iuvandosque rettulit. ita tributa in quinquennium remissa.

LXIV. M. Asinio, M'. Acilio coss. mutationem rerum in deterius portendi cognitum est crebris prodigiis. signa ac tentoria militum igni coelesti arsere. fastigio

hic superesse videtur. Plane mihi consentientem reperio Khunium. Cf. Strabo 7., p. 320. Polyb. 4, 44.

fecundo mari. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. sine copula, quae ratio egregie convenit huic loco. *foecundoque mari* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

vis piscium innumera pontum erumpens. Ex emendatione Lipsii quam recepere I. Fr. Gronovius sqq. — MSS. et vett. edd. *vis piscium in metapontum erumpens.* Rhen. sqq. dedere: *vis p. in pontum erumpens.* Pichena veterem scripturam revocavit. Lipsianam rationem deinde emendavit Broterius e loco Sallustii apud scholiast. Iuvenal. 4, 42. *qua tempestate vis piscium ponto erupit.* Broterium secutus est Oberlinus aliique. Lünemannus facit cum Lipsio. Recte. Nam e loco Sallustii non consequitur et Nostrum ita dixisse. Sunt enim exempla ab altera parte. Virgil. Aen. 1, 584. *erumpere nubem;* Valer. Flacc. 5, 466. *erumpere nebulam.* Structura est a Graecis, qui verba ἐκπλεῖν, ἐξελθεῖν, ἐκβαίνειν simili modo ponunt cum accusativo. Herodot. 5, 103. ἐκπλεῖν τὸν Ἑλλήσποντον; 7, 29. ἐπεὶ ἐξῆλθον τὴν Περσίδα χώρην. Tacitus vero passim cum accusativo ponit eiusmodi verba, ut *egredi*, *exire.* cf. not. ad 11, 25. Revocavi igitur *pontum*, quod nititur auctoritate veterum librorum, quanquam non nego vocabulum *innumera* frigere. De re cf. Plin. 9, 20 (15). Strabo 7, p. 320. Aristot. H. A. 15, 10. Aelian. H. A. 9, 42.

subter. Ed. Spir. *subtus.* Eadem *fluxu* pro *flexu*, *portos* pro *portus*, *transfertur* pro *defertur*, *et questosi* pro *quaestuosi.*

urgente. MS. Guelf. *uergente.*

Thracio. MS. Flor. test. Vict. *Threcio.* Ed. Spir. *theacia.*

Bosporanoque. Edd. vett. *Bosphoranoque*, uti solent. cf. not. ad 12, 15. 16. MS. Guelf. *bosforanoque.*

rettulit. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *retulit* ed. Spir. et MS. Guelf.

Cap. 64. *M. Asinio, M'. Acilio.* Ed. Spir. *Massilimio Macilio.* Edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Rhen. Ald. *M. Asilino M. Acilio.* MS. Guelf. *M. Asillino M. Accilio.* Sed cf. Sueton. Cl. c. 45. unde Vertranius emendavit. In indice Dionis ad lib. 60. *Acilius* audit *Manius*, quod Ernestius etiam in Taciti contextum recepit; priores edidere *M. Acilio*, et sic nuper Bekkerus.

signa ac tentoria. Sic MSS. Flor. Reg. edd. Spir. Beroald. Ernest. sqq. — *signa enim ac tentoria* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. ad Ernest.

igni coelesti. Sic ed. Spir., uti Noster solet. Ceteri libri *igne coelesti.*

Capitolii examen apium insedit. biformes hominum partus et suis fetum editum, cui accipitrum ungues inessent. Numerabatur inter ostenta deminutus omnium magistratuum numerus quaestore, aedili, tribuno ac praetore et consule paucos intra menses defunctis. Sed in praecipuo pavore Agrippina vocem Claudii, quam temulentus iecerat, fatale sibi ut coniugum flagitia ferret, dein puniret, metuens agere et celerare statuit perdita prius Domitia Lepida muliebribus causis, quia Lepida minore Antonia genita, avunculo Augusto, Agrippinae sobrina prior ac Cnei mariti eius soror parem sibi claritudinem credebat. nec forma, aetas, opes multum distabant, et utraque impudica, infamis, violenta, haud minus vitiis aemulabantur quam si qua ex fortuna prospera acceperant. enimvero certamen acerrimum, amita potius an mater apud Neronem praevaleret. nam Lepida

apium. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. edd. Pichen. sqq. — *apum* MSS. Agr. Guelf. aliique, edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. De prodigiis Claudii mortem praecedentibus cf. Dio 60, 35. Suet. Claud. c. 46.

biformes h. partus. Intell. androgynos. Liv. 31, 12.

suis fetum editum. Sic MSS. et edd. vett. omnes. Dein per Lipsii primam inrepsit *suis fetus editus.* Veterem scripturam Ryckius restituit. Iam Ernestius *fetum editum* accipit in accusativo, intellecto *nuntiabatur, ferebatur*, quae tamen ellipsis hic est intolerabilis. Verum vidit Lipsius, qui suspicatur, *fetum* antiquis in nominandi casu dictum esse.

inessent. Ed. Rhen. *erant* e MS. Bud. Veterem scripturam Pichena restituit e Flor. cum quo consentiunt MS. Guelf. et edd. ante Rhen.

deminutus. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. Guelf. edd. Beroald. (c. sil. Vict.) Pich. sqq. — *diminutus* edd. Spir. Put. M. et V. Alc. Rhenan.

ac praetore et consule. MS. Agr. et ed. Ryck. *praetore ac consule.*

celerare. Ed. Spir. *celebrare.*

perdita. MS. Guelf. *praedicta.*

Domitia Lepida muliebribus causis. MS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) *Domitia le muliebribus causis.* Unde suadente Pichena viri docti fecere hodie vulgata. Ed. Spir. *Domiciale mulicribus causis.* MSS. Harl. Bod. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *Domitia levibus et muliebribus causis.*

quia Lepida. Ed. Spir. *qua Lepida.* MS. Guelf. *q lepida* (h. e. *quae*).

minore Antonia. cf. not. ad 4, 44.

mariti eius. In MS. Guelf. deest *eius.* Mox ed. Spir. *utraque infamis: impudica vinolenta.* Eadem cum MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. *ac largitionibus.* Edd. Rhen. sqq. *et largitionibus.* Restituo *ac* cum Iac. Gronovio.

violenta. Sic MSS. Flor. Guelf. edd. Put. V. Beroald. Alc. et Pichen.

blandimentis ac largitionibus iuvenilem animum devinciebat, truci contra ac minaci Agrippina, quae filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat.

LXV. Ceterum obiecta sunt, quod coniugium principis devotionibus petivisset quodque parum coercitis per Calabriam servorum agminibus pacem Italiae turbaret. Ob haec mors indicta multum adversante Narcisso, qui Agrippinam magis magisque suspectans prompsisse inter proximos ferebatur, certam sibi perniciem, seu Britannicus rerum seu Nero potiretur. verum ita de se meritum Caesarem, ut vitam usui eius impenderet. Convictam Messallinam et Silium: pares iterum accusandi causas esse. si Nero imperitaret, Britannico successore, nullum principi meritum: ac novercae insidiis domum

sqq. — *vinolenta* MSS. Harl. Ies. Reg. Bud. Bodl. (in marg.) edd. Spir. Put. M. Rhen. sqq. et ed. Broterii. Parem utriusque vocabuli confusionem vidimus 11, 16. Vide etiam infr. c. 67 et 13, 20.

devinciebat. Ed. Spir. *deuincebat.* MS. Agr. *demulcebat.*

quae filio dare imperium. Intell. quibat, quod latet in *nequibat.*

Cap. 65. *obiecta sunt.* Ed. Spir. *sunt obiecta.*

coniugium. Sic MSS. Bud. Guelf. aliique, edd. Spir. et vett. recentioresque omnes. — *coniugem* MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Cf. not. ad 2, 13. sub. v. *matrimonia.* Etenim ut ibi *matrimonia* ita hic *coniugium* non dici potest idem esse ac *coniugem*; sed innuit tantum coniugem. Nam si quis coniugium alicuius petit devotionibus, is haud dubie petit coniugem. Ceterum vix abstineo, quin scripturam cod. Flor. in locum suum reponam.

ob haec. Ed. Spir. *ob hoc.* Sed plura sunt.

indicta. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. — *indita* MSS. Bud. Guelf. Reg. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

impenderet. Ed. Spir. *impenderetur.*

convictam. Ed. Spir. *coniunctam.*

si Nero imperitaret, Britannico succesore, nullum principi meritum: ac novercae etc. Locus, in quo aut explicando aut emendando aut denique castigando multi laborarunt. Nemo satisfecit. Nam Freinshemio suadente fatalibus hodie uncis inclusa eduntur verba: *si Nero . . . ac*, tanquam abolenda. Nemo tamen adhuc id facinus ausus est, nisi quod Ricklefs in Versione omisit locum sine sensu esse ratus. Libri veteres nil variant, nisi quod MS. Reg. et ed. Spir. dant *impeditaret* pro *imperitaret;* MS. Flor. *ad* pro *ac*, vitiose pro *at.* Diversam tamen interpungendi rationem sequuntur. Ed. Spir. . . . *Silium. pares — successore. Nullum — meritum: ac* etc. Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. *Silium pares — esse: si — successore. Nullum — meritum ac* etc. Sic et MS. Guelf. nisi quod omittit *ac* ante *novercae.* Ed. Rhen. . . . *Silium. Pares — esse. Si Nero — successore, nullum — meritum, ac*

omnem convelli maiore flagitio quam si impudicitiam prioris coniugis reticuisset, quanquam ne impudicitiam quidem nunc abesse Pallante adultero, ne quis ambigat decus, pudorem, corpus, cuncta regno viliora habere.

etc. Lipsio locus suspectus mendi erat. Freinshemius omnia hic luxata, distorta, corrupta esse ratus suadebat abolitionem verborum: *si Nero ... ac.* I. Fr. Gronovius explicandum potius quam mutandum locum existimans paraphrasim dedit hanc: „Sane imputari Neroni posse convictam M. et Silium: sed rursus convincendam Agrippinam cum Pallante; quod si faceret, ut necessario faciendum sit, si Caesarem salvum velit, implacabilem Neronem habiturum, si quamvis eversa matre fortuna illi det imperium." Sed bene animadvertit Ernestius haec verbis Taciti non inesse. Alii operam dedere sanando loco facta mutatione. Octavius Ferrarius: *nullum principi metum* (pro *meritum*), quod Ricklefs dicit felicem Rupertii coniecturam. Muretus et Acidalius: *nullum e principe metum.* Heinsius: *nullum principatui inferri meritum.* Quae omnia ab una alterave parte claudicant. Quid igitur? num abolebimus verba disceptata? Dissuadeo. Sunt scriptorum loci, qui sero intelligantur. Minatur Narcissus accusationem Agrippinae meditaturque eius perniciem. Periculosum id sibi haud nescit; sed certam sibi perniciem neque evitabilem praevidet. *Convictam M. et Silium.* *pares iterum accusandi causas esse* (sc. in Agrippina). Quare *si Nero imperitaret, Britannico successore*, h. e. sive Nero imperitaret, seu Britannico successore (particularum omissio tribuenda est adfectui loquentis, quo commotus abrupta verba edit) *nullum principi meritum* h. e. nullum sibi apud principem (sc. futurum) meritum. Desperantis de salute verba sunt. Dativus *principi* pro apud principem non debebat offendere. cf. Ramshorn. Gram. §. 124. p. 220. 3). Dicta haec sunt pro *nullum quod principi videatur meritum.* Est litotis in verbis. *Nullum meritum*, ait? immo *culpam* volebat dicere. Etenim Britannico invisus erat ob convictam Messalinam; Neroni ob ea, quae nunc meditabatur in Agrippinam, debebat in odio esse. Ac tamen Agrippinae flagitia reticere nequibat; nam illius insidiis domum omnem convelli dicit, et ita de se meritum Caesarem, ut vitam usui eius impenderet. Apte igitur pergit: *ac novercae.* Eandem plane loci explicationem exhibuit Strombeckius in Versione. Non reticebo rationem, quam iniit Hillerus in Rac. *Si Nero imperitaret* (ἀποσιώπησις, intellecto: sibi esse pereundum.) *Brit. successore, nullum percipi meritum, nunc novercae* etc. Disputavit etiam de hoc loco *Seidenstücker* in *Athenaeo* Vol. II. fasc. 1. p. 93 sqq.

maiore flagitio. MS. Agr. *flagitio maiore tacere.* Heinsius vult: *maiore flagitio id taceri.* Sed hoc melius intelligitur. Sententia est: maiore flagitio quam priorem coniugem cum impudicitia sua, qua celata levius peccavisset, quam si nunc de Agrippina taceret. Wagnerus in bibl. crit. 1820. p. 853. haec ita exponit: *novercae ... convelli,* (quod si ipse tegere et reticere nunc velit) *maiore* (suo) *flagitio* (futurum, maiorem se culpam contracturum) *quam si* (olim) *impudicitiam pr. c. reticuisset.* Quae vix ita supplendo intelligi possunt.

regno. Hoc vocabulum abest a MSS. Guelf. Ies., additum margini MSS. Harl. et Bodl.

habere. Grotius malebat *haberi.* Sed cur non aeque bene intelligamus *illam* atque *illi?*

Haec atque talia dictitans amplecti Britannicum, robur aetatis quam maturrimum precari, modo ad deos modo ad ipsum tendere manus, adolesceret, patris inimicos depelleret, matris etiam interfectores ulcisceretur.

LXVI. In tanta mole curarum Claudius valetudine adversa corripitur refovendisque viribus mollitie coeli et salubritate aquarum Sinuessam pergit. tum Agrippina sceleris olim certa et oblatae occasionis propera nec ministrorum egens de genere veneni consultavit, ne repentino et praecipiti facinus proderetur: si lentum et tabidum delegisset, ne admotus supremis Claudius et dolo intellecto ad amorem filii rediret. exquisitum aliquid placebat, quod turbaret mentem et mortem differret. Deligitur artifex talium vocabulo Locusta, nuper veneficii damnata et diu inter instrumenta regni habita. eius mulieris ingenio paratum virus, cuius minister e spadonibus fuit Halotus, inferre epulas et explorare gustu solitus.

LXVII. Adeoque cuncta mox pernotuere, ut temporum illorum scriptores prodiderint infusum delectabili cibo boletorum venenum, nec vim medicaminis sta-

Cap. 66. *valetudine.* MS. Guelf. edd. vett. c. silent. Vict. *valitudine.* Vocabulum *Claudius* omittit ed. Spir.

mollitie. Sic edd. Alc. Rhen. sqq. *mollicie* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. *mollitia* ed. Spir.

Sinuessam. cf. Hist. 1, 72. Plin. 31, 4.

tum Agripp. Ed. Spir. *tunc.*

sceleris. cf. not. ad 1, 5. MS. Ies. *scelerum*, male. Immo intell. unum scelus, caedes Claudii.

propera. MS. Agric. *praepropera.*

de genere veneni. Ed. Spir. *degeneri iuveni.*

si lentum et tabidum. Ed. Spir. *silentium et rabidum.* Eadem pro *admotus* dat *amotus.*

exquisitum aliquid. MS. Agr. *exq. aliquod.*

Locusta. cf. infr. 13, 15. Dio 60, 34. Periit a Galba. cf. Xiph. 64, 3. MS. Guelf. in margine addit locum Iuvenal. 1, 70.

Halotus. Ed. Spir. *holatus.*

Cap. 67. *prodiderint.* MS. Guelf. *prodiderunt.*

delectabili. Non placebat Heinsio, qui mallet: *delecto ad id habili.* Sed *habili* certe in hac emendatione superfluum est. Verum *delectabili* accipe de eo, quod Claudius eo cibo delectabatur. cf. Sueton. Claud. c. 44. *alii domestico convivio per ipsam Agrippinam, quae boletum medicatum avidissimo ciborum talium obtulerat.* De eadem re cf. Dio 60, 34. Plin. 22, 22. Iuven. 5, 145.

cibo boletorum. Ed. Spir. *cibo et laeto.* MS. Flor. test. Iac. Gron. *cibo boleto.* Vulgata sunt in MS. Guelf. edd. Put. sqq. c. sil. Victorii.

tim intellectam, socordiane an Claudii vinolentia. simul soluta alvus subvenisse videbatur. igitur exterrita Agrippina et, quando ultima timebantur, spreta praesentium invidia provisam iam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet. ille, tanquam nisus evomentis adiuvaret, pinnam rapido veneno inlitam faucibus eius demisisse creditur, haud ignarus summa scelera incipi cum periculo, peragi cum praemio.

LXVIII. Vocabatur interim senatus votaque pro incolumitate principis consules et sacerdotes nuncupabant, cum iam exanimis vestibus et fomentis obtegeretur, dum, quae res forent firmando Neronis imperium, com-

socordiane an Claudii vinolentia. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. — Pichena e MS. Flor. adfert: *socordiane, an Claudii vi, an vinolentia*, quae Pichenae haud improbanda videntur. Vocabulum *vi* refertur ad naturae corporisque robur. MS. Bud. *socordiane an Claudii vi an violentia*, a pr. m.; rec. m. delevit *vi an.* MS. Guelf. *soc. ne an claudii violentia.* MS. Florentino adstipulatur ed. Spir. corrupta in: *socordiam necis ad claudii hi an vinolentia.* MS. Agr. aeque corrupte: *secordia mentis a Claudio bili an vinolentia.* Iam vocabulum *violentia* ab loco alienum esse et verum *vinolentia* e re satis intelligitur, arguitque Dio 60, 34. *καὶ ὁ μὲν* (Claudius) *οὕτως ἐπιβουλευθεὶς ἐκ μὲν τοῦ συμποσίου, ὡς καὶ ὑπερκορῆς μέθης σφόδρα ὢν ἐξεκομίσθη* (*ὅπερ που καὶ ἄλλοτε πολλάκις ἐγεγόνει*). De confusione utriusque vocabuli cf. not. ad. 11, 16. 12, 64. Quod autem cum Rhenano omnes dein edunt: *socordiane Claudii an vinolentia*, perperam faciunt. Nam *socordia* non pertinet ad Claudium, cuius *socordia* quanquam eximia non fuerit ea, quae etiam acceptum venenum dissimularet; sed de socordia convivarum sermo est, qui accepti veneni signa in Claudio non adverterent. Revocavi igitur eum verborum ordinem, quem vett. libri praeferunt omnes.

exterrita. Ed. Spir. *econtra.* Pro *soluta alvus* MSS. Bud. Guelf. Bodl. Ies. *solutam alvum*, quae forma videtur originem traxisse e mala interpunctione, qua punctum ponerent post *subvenisse.*

timebantur. MS. Guelf. *timebatur.*

nisus. MS. Guelf. *missus*, quod ortum est e scriptura *nissus* inventa in edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc.

pinnam. Ed. Spir. *primam.*

inlitam. Sic ed. Spir. — *illitam* edd. Put. etc. — *illatam* MS. Guelf.

Cap. 68. *Vocabatur.* Ed. Spir. *Vexabatur* (sic!).

dum, quae res forent firmando Neronis imperium, componuntur. Sic locum restituo e MSS. Reg. Agr. ed. Spir. Consentit fere MS. Flor. test. I. Gronovio, qui inde adfert: *dum res forent firmando*, omisso *quae* vel *que* (hoc est in MS. Reg. et ed. Spir. vulgari vitio pro *quae*). Quae pronominis omissio originem dedit alteri scripturae: *dum res firmando Neronis imperio componuntur*, quae est in MSS. Bud. Guelf. aliisque, edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Rhenan. sqq. Nam sine *quae* nescie-

ponuntur. Iam primum Agrippina velut dolore victa et solatia conquirens tenere amplexu Britannicum, veram paterni oris effigiem appellare ac variis artibus demorari, ne cubiculo egrederetur. Antoniam quoque et Octaviam sorores eius attinuit et cunctos aditus custodiis clauserat crebroque vulgabat ire in melius valetudinem principis, quo miles bona in spe ageret tempusque prosperum ex monitis Chaldaeorum adventaret.

LXIX. Tunc medio diei tertium ante idus Octobres foribus palatii repente diductis comitante Burro Nero egreditur ad cohortem, quae more militiae excubiis adest. ibi monente praefecto festis vocibus exceptus inditur lecticae. Dubitavisse quosdam ferunt respectantes rogitantesque, ubi Britannicus esset? mox nullo in diversum

bant, quid sibi vellet *forent*. Sed fortuito id verbum non adest in libris. Aliam loci constituendi rationem inierunt Heinsius, qui volebat: *dum, quae e re forent firmando* etc.; Iac. Gronovius, qui emendabat: *dum res foris firm.* etc.; Ernestius, qui malebat: *dum quae forent f. i.* meliorem tamen esse vulgatam ratus. Sed *res componere firmando imperio* potest etiam significare *res turbatas sedare, ut imperium firmetur;* nam *res componere* est solemnis dictio de ineunda pace, quae ab hoc loco est aliena. Aliud est: *dum, quae res forent ...., componuntur.*

iam primum. Heinsius emendat: *tum primum.* Male. Auctor non refert, quid factum sit postea; sed ea ipsa, quae tunc fiebant, describit. MS. Guelf. *iam pridem.*

victa. Heinsius emendat: *evicta.* cf. c. 25. 4, 57. 15, 64. 11, 37. Frustra. cf. 1, 57. *victa in lacrimas.* Liv. 2, 5. *victi ira.*

Britannicum. Hoc nomen deest in ed. Spir. Mox in MS. Guelf. secunda manus fecit *quoque*, quum prius esset *que* post *Antoniam.*

sorores eius. cf. Dio 60, 5. et not. supr. ad c. 2.

custodiis. MS. Guelf. *custodiae.*

crebroque. Ed. Spir. *crebro,* omisso *que.* Eadem pro *prosperum* dat *prospera.*

adventaret. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) et Harl. in marg., edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Pich. sqq. *atemptaret* MS. Bud. unde Rhenanus sqq. edidere *attentaret*, quod est in MSS. Harl. Ies. — *attentarent* MSS. Bodl. Guelf. De hoc Ernestius falso rettulit *attentaret.*

Cap. 69. *tertium.* Sic MSS. Flor. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Pichen. sqq. — *tertio* MS. Bud. et inde edd. Rhen. sqq. *ĩu.* MS. Guelf. De ceteris MSS. tacent.

egreditur. Ed. Spir. *aggreditur.*

ad cohortem. Sic edd. Spir. Rhen. (e MS. Bud.) sqq. — *a cohorte* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. — Mox *ibi* MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. edd. Spir. Put. sqq. (c. sil. Vict.); *ubi* edd. Lipsii priores. Pichena reposuit *ibi.*

festis vocibus. cf. not. ad 5, 4.

auctore, quae offerebantur, secuti sunt. inlatusque castris Nero et congruentia tempori praefatus promisso donativo ad exemplum paternae largitionis imperator consalutatur. Sententiam militum secuta patrum consulta. nec dubitatum est apud provincias. Coelestesque honores Claudio decernuntur et funeris solemne perinde ac divo Augusto celebratur aemulante Agrippina proaviae Liviae magnificentiam. testamentum tamen haud recitatum, ne antepositus filio privignus iniuria et invidia animos vulgi turbaret.

inlatusque castris etc. cf. Dio 61, 3.

ad exemplum paternae largitionis. Dio l. l. ὑπέσχετο αὐτοῖς ὅσα ὁ Κλαύδιος ἐδεδώκει. cf. Sueton. Cl. c. 10. Ioseph. 19, 4.

consalutatur. MS. Guelf. *consultatur.* Mox idem *dubitandum* pro *dubitatum*, plane ut supra.

coelestesque honores Cl. d. Quare Nero *boletos deorum cibum* dixisse fertur. cf. Sueton. Ner. c. 33. Dio 60, 35.

proaviae Liviae. Ed. Spir. *proavia elibie.* Permutatum *b* et *v* in vett. libris et alibi vidimus.

iniuria et invidia. Roth. p. 35. „*iniuria* erat, filio privignum anteposuisse, eiusdemque iniuriae invidia metuebatur."

C. CORNELII TACITI
AB
EXCESSU DIVI AUGUSTI
ANNALIUM
LIBER TERTIUS DECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Silanus proconsul Asiae veneno necatus Agrippinae fraude. Narcissus ad mortem actus 2. Laus Burri et Senecae. 3. Claudius censorio funere elatus laudatur a principe. 4. Bona Neronis initia. Multa senatus arbitrio constituta. 5. Agrippinae viriles curae. 6. Parthi Armeniam adfectant. de Nerone varia iudicia vulgi. 7. Is curam belli suscipit. Parthi amittunt Armeniam, cui 8. praepositus Corbulo. 9. Vologeses dat obsides. Nero dissidium ducum componit.

10. Nero civiliter agit et 11. clementiam ostentat. 12. Acten amat 13. matre fremente, mox frustra blandiente: cuius hinc fracta potentia. 14. Pallas libertus cura rerum demotus. Agrippina ad minas ruit. 15—17. Britannicum Nero praecipiti veneno tollit et eius funus festinat. 18. Matrem indignantem custodibus privat, domum separat. 19—22. Derelicta, rerum novarum incusata se purgat. Accusatores eius puniti. 23. Pallas et Burrus delati. 24. Theatris maior species libertatis data. Urbs lustrata.

25. Neronis nocturna lascivia. Montanus cum principe per tenebras congressus mori adactus. Histriones Italia pulsi. 26. 27. Actum de libertis ingratis in servitutem revocandis, sed non peractum. 28. Tribunorum et aedilium cohibita potestas. 29. Aerarii cura varie habita. 30. 31. Inlustrium aliquot damnationes. L. Volusius fato concedit. Amphitheatrum Neronis. Praesides ludos edere prohibiti. 32. Vitae dominorum consultum. Pomponia Graecina superstitionis externae rea insons nuntiatur. 33. Rei P. Celer, Cossutianus Capito, Eprius Marcellus.

34. Messalla consul. Neronis liberalitas. 35. Cum Parthis rursus discordia de Armenia. Corbulonis disciplina, virtus, severitas. 36. Pactius Orphitus contra imperium pugnans fususque extra vallum tendere iussus. 37. Tiridates bello infensat Armeniam, legatos ad Corbulonem mittit, 38. qui fraudem sibi per colloquium paratam eludit et 39—41. Armeniae castella capit, Artaxata adgreditur et decedente hoste capit, igne delet. Ob haec Neroni et diis honores. 42. P. Suilius reus in Senecam invehitur, 43. deportatur. 44. Octavius Sagitta amore vecors Pontiam tergiversantem ferro transverberat. Liberti mira fides.

45. Poppaeam Sabinam amare Nero occipit. Istius genus, forma, opes, mores, matrimonia, adulter. 46. Eius maritus Otho, ut amoveatur, Lusitaniae praeficitur. 47. Corn. Sulla principi suspectus Massiliam mittitur. 48. Puteolis concordia restituta. 49. De numero gladiatorum Syracusis edendorum disceptatio. Thraseae Paeti opinio. 50. Vectigalia contra Neronis impetum retenta. 51. Publicanorum iniquitas temperata. 52. Proconsules rei absoluti.

53. L. Vetus ope Mosellae et Araris Rhenum cum Oceano iungere parat. Obstat Aelii Gracilis invidia. 54. Frisii iuxta Rhenum sedes figere frustra conantur. 55. Eosdem agros Ansibarii occupant fato eodem. 56. Boiocali constantia. Ansibarii deleti. 57. Catti ab Hermunduris fere ad exitium gentis caesi. Ignes terra editi vix oppressi. 58. Ficus Ruminalis. Gesta haec annis quattuor

IMP. CLAUDIO NERONE ET L. ANTISTIO VETERE,
Q. VOLUSIO ET P. CORNELIO SCIPIONE,
IMP. CLAUDIO NERONE. II. ET L. CALPURNIO PISONE,
IMP. CLAUDIO NERONE. III. ET VALERIO MESSALLA COSS.

I. Prima novo principatu mors Iunii Silani proconsulis Asiae ignaro Nerone per dolum Agrippinae paratur, non quia ingenii violentia exitum inritaverit,

COMMENTARIUS.

Cap. 1. *Silani.* Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd recentt. inde a Lipsii prima. *Sillani* MS. Guelf. edd. vett. cf. not. ad 2, 4. et alibi.

proconsulis. MS. Guelf. *procunsulis.*

paratur. Sic libri vett. quantum constat omnes. Plurimi tamen interpretes malunt *patratur.* cf. 11, 28. *multasque mortes iussu Messallinae patratas;* 2, 39. *patrata caede;* 4, 57. *caede eius patrata.* Recepere eam coniecturam Bipont. Oberlin. sqq. Ernestius vidit per se formulam *mortem parare* non habere, quo offendamur (cf. Hist. 4, 58. *exitium parari.* An. 1, 39. 3, 54. *caedem parant;* 14, 58. *Plauto parari necem*); sed requiri dativum, nec genitivum *Iunii Silani.* Ea tamen opinio argutior esse videtur. Nam ad extremum idem est, sive scribas *mors Iunii Silani paratur*, sive *mors Iunio Silano paratur*, nisi quod illud accuratius significet primam mortem, quae novo principatu parata sit, fuisse mortem Iunii Silani, idque sibi vult auctor. Tum etiam *per dolum* mortem melius *parari* quam *patrari* dici censeo. Quare nolui a vett libris recedere. cf. c. 38. *ut dolus pararetur.* Kiesslingius mecum consentit.

violentia. In ed. Spir. hoc vocabulum deest.

exitum. Variant libri. *exitium* MS. Agr. edd. recentt. suadentibus Aurelio et Freinshemio. *exitum* ceteri codd. MSS. et edd. vett. omnes, quae scriptura quum apto sensu videbatur destitui, cessit emendationi. Eadem confusio est Hist. 2, 49. Potest tamen pro *exitum* adferri locus An. 1, 10. *Cassii et Brutorum exitus:* et alibi Nostro saepissime voc. *exitus* eodem significatu ponitur. Quare non video, cur vett libros spernamus. Sic *inritare proelium* Hist. 2, 24. *suspiciones* Hist. 3, 4.

inritaverit. Sic edd. Spir. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Sic etiam MS. Bud. a sec. m. Ernestius re-

segnis et dominationibus aliis fastiditus, adeo ut C. Caesar pecudem auream eum appellare solitus sit, verum Agrippina fratri eius L. Silano necem molita ultorem metuebat, crebra vulgi fama anteponendum esse vix dum pueritiam egresso Neroni et imperium per scelus adepto virum aetate composita, insontem, nobilem, et quod tunc spectaretur, e Caesarum posteris. quippe et Silanus divi Augusti abnepos erat. haec causa necis. ministri fuere P. Celer eques Romanus et Helius libertus rei familiari principis in Asia impositi. ab his proconsuli venenum inter epulas datum est apertius quam ut fallerent. Nec minus properato Narcissus Claudii libertus, de cuius iurgiis adversus Agrippinam rettuli, aspera custodia et necessitate extrema ad mortem agitur

vocaverat *irritaverat*, quod est in MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. (pr. m.) Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Sed Bipont. Oberl. sqq. bene restituere *irritaverit*. Non enim de vera aut certa causa sermo est, sed monet scriptor, ne quis putet ingenii violentia Silanum inritavisse exitum sibi.

L. Silano. Sic edd. recentt. inde a Lipsii prima. — Ed. Spir. MSS. Reg. Corb. *C. Sillano.* MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. *L. Sillano.* MS. Guelf. *L. Syllano.* Vulgatum tuetur MS. Flor. (test. Vict.) et locus 12, 3.

quod tunc spectaretur. Ernestius, e Taciti persona cum haec dicta sint, vult *spectabatur.* Fallitur. Quamvis enim Tacitus haec e sua persona dixerit, non tamen ita dixit, ut per se constarent tanquam aliunde lectori cognita, sed nunc demum docet, id tunc sic esse spectatum, ideoque haec ceteris iungit per nexum causalem. Sic 12, 64. *suis fetum, cui accipitrum ungues inessent* (non *inerant*). cf. ibi not. Hist. 1, 11. *Aegyptum copiasque, quibus coerceretur,* ubi Ernestius frustra vult *coercetur.* An. 1, 64. *planities, quae tenuem aciem pateretur.* Permultis locis ita coniunctivum in indicativum apud Tacitum male mutant interpretes, uti infra saepius videbimus. cf. not. ad 2, 6. sub vv. *donec Oceano misceatur.*

P. Celer. E correctione Lipsii. cf. c. 33. Hist. 4, 18. Libri vett., edd. et MSS., hic habent *P. Celerius.*

Helius. Sic MS. Guelf. et suadente Ryckio edd. Ernest. sqq. cf. Sueton. Ner. c. 23. Dioni dicitur Ἥλιος 63, 18. Edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. *Elius.* Posteriores edd. auctore Lipsio *Aelius* usque ad Ernestium.

familiari. Ed. Spir. *familiaris.*

ab his. Sic MS. Guelf. edd. Spir. et Pichen. e MS. Flor. Victorius tamen intactum reliquit *ab iis*, quod est in edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *ab hiis* MS. Bud. De frequenti utriusque pronominis permutatione cf. not. ad 1, 22. et alibi. Mox MS. Guelf. *preconsuli.*

nec minus. Ed Spir. *ne minus.*

rettuli. cf. 12, 65.

agitur. MS. Agr. *adigitur*, uti volebant Ursinus et Muretus. Frustra.

invito principe, cuius abditis adhuc vitiis per avaritiam ac prodigentiam mire congruebat.

II. Ibaturque in caedes, nisi Afranius Burrus et Annaeus Seneca obviam issent. Hi rectores imperatoriae iuventae et (rarum in societate potentiae) concordes diversa arte ex aequo pollebant, Burrus militaribus curis et severitate morum, Seneca praeceptis eloquentiae et comitate honesta, iuvantes invicem, quo facilius lubricam principis aetatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent. Certamen utrique unum erat contra ferociam Agrippinae, quae cunctis malae dominationis cupidinibus flagrans habebat in partibus Pallantem, quo auctore Claudius nuptiis incestis et adoptione exitiosa semet perverterat. sed neque Neroni infra servos ingenium, et Pallas tristi adrogantia modum liberti egressus taedium sui moverat. propalam tamen omnes in eam honores cumulabantur signumque more

Cap. 2. *nisi Afranius.* MS. Agr. *ni Af.* Edd. Spir. Put. M. et V. Ber. *nisi Affranius.* MS. Guelf. edd. Rhen. sqq. *nisi Afranius.*

et rarum. Ex emendatione Boxhornii omnibus probata. Eadem locutio est 1, 39. 56. 6, 10. MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Vaticc. 1863 et 1864. Agr. Reg. ed. Spir. *et parum.* MSS. Vatic. 1958. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. usque ad Ryckium *et pari.*

in societate potentiae. MS. Flor. (test. Pich.) *in societate potentia et.* Victorius intactam reliquit scripturam *in societate potentiaque*, quae est in MSS. Vat. 1958. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. (a sec. m.) edd. Put. M. et V. Ber. Alc. — *in societate et potentia* MSS. Vaticc. 1863 et 1864. Reg. Agr. ed. Spir. Haud absurde. Accipe per ἓν διὰ δυοῖν, *societate quae est cum potentia coniuncta.* Rhenanus ediderat: *et pari in societate potentia*, quae exponebat sic: *pari potentia, in societate.* Edd. Lips. sqq. *et pari in societate potentiae.*

quo facilius. Ed. Spir. *qua facilius.*

malae dominationis. Sic edd. Spir. (*male* illa scribit) Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. et edd. recentt. inde a Lipsii prima. Sic etiam emendatum in MS. Harl. — *malis dominationibus* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. (hic comma habet post *malis*) edd. Put. M. et V. Rhenanus dedit *malis dominationis*, et *malis* quidem e MS. Bud., an *dominationis* ex eodem, nemo prodidit.

adrogantia. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *arrogantia* MS. Guelf. edd. vett.

sui moverat. Ed. Spir. *sūmoverat.* Eadem pro *et a senatu* dat *aetas senatu*, et mox cum MS. Guelf. *Flaminiū Claudialē*, tanquam virum. MS. Flor. (test. Vict.) *flamonium.* MS. Agr. *Flamini Claudiali.*

omnes. MS. Guelf. *omnis.*

militiae petenti tribuno dedit OPTIMAE MATRIS. decreti et a senatu duo lictores, flaminium Claudiale, simul Claudio censorium funus et mox consecratio.

III. Die funeris laudationem eius princeps exorsus est. dum antiquitatem generis, consulatus ac triumphos maiorum enumerabat, intentus ipse et ceteri: liberalium quoque artium commemoratio, et nihil regente eo triste rei publicae ab externis accidisse, pronis animis audita. postquam ad providentiam sapientiamque flexit, nemo risui temperare, quanquam oratio a Seneca composita multum cultus praeferret, ut fuit illi viro ingenium amoenum et temporis eius auribus accommodatum. Adnotabant seniores, quibus otiosum est vetera et praesentia contendere, primum ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem alienae facundiae eguisse. nam dictator Caesar summis oratoribus aemulus: et Augusto prompta ac profluens, quae deceret principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus ac consulto am-

CAP. 3. *enumerabat.* Ed. Spir. *enumerat.* Sic c. 31. *dum propugnant;* 15, 38. *dum in tergum respectant.* Huic tamen loco melius convenit vulgatum tempus.

et ceteri. MS. Agr. ed. Spir. *et caeteris*, nulla distinctione ante *liberalium* posita.

triste rei publicae ab externis. Ed. Spir. *rei p. ab externis triste.* MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Guelf. *nihil regente eo triste rei publicae ab e.* Vulgatus verborum ordo: *rei p. triste ab ext.* est in edd. Put. sqq.

temporis eius. Sic MSS. Flor. Vaticc. 1863 et 1864. Reg. edd. Spir. Iac Gronov. sqq. — *temporis illius* MSS. Vat. 1958. Harl. Bodl. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. usque ad Iac. Gronov.

otiosum est. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Vat. 1958. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. (hic *occiosum*) edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Pichen. sqq. — *otium est* MSS. Vaticc. 1863 (hic in margine *otiosum*) et 1864. Reg. edd. Spir. Alc. Rhenan. sqq. Sed Hist. 2, 38. *vacuum fuit concupiscere.* Agr. c. 1. *ut agere memoratu digna pronum ... erat.*

ex iis. Ed. Spir. *ex his* vulgari confusione. Vid. not. ad c. 1.

Neronem. Hoc nomen deest in ed. Spir. Eadem pro *Augusto* dat *Augusti.*

prompta ac profluens etc. cf. Sueton. Oct. c. 86. ibique interprett.

principem. Ed. Spir. *principi.* MS. Agr. *et quae deceret.*

artem quoque. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. — *quoque artem* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Sed vis vocabuli *quoque* hic pertinet ad *artem*, non ad Tiberium.

tum validus sensibus ac c. amb. Sic MSS. Guelf. Vatic. Oxon. edd.

biguus. etiam C. Caesaris turbata mens vim dicendi non corrupit. nec in Claudio, quotiens meditata dissererentur, elegantiam requireres. Nero puerilibus statim annis vividum animum in alia detorsit: caelare, pingere, cantus aut regimen equorum exercere: et aliquando carminibus pangendis inesse sibi elementa doctrinae ostendebat.

IV. Ceterum peractis tristitiae imitamentis curiam ingressus et de auctoritate patrum et consensu militum praefatus consilia sibi et exempla capessendi egregie imperii memoravit, neque iuventam armis civilibus aut domesticis discordiis imbutam: nulla odia, nullas iniurias nec cupidinem ultionis adferre. Tum formam futuri principatus praescripsit ea maxime declinans, quorum recens flagrabat invidia. non enim se negotiorum omnium iudicem fore, ut clausis unam intra domum

Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. — *tum validis sensibus ac c. a.* ed. Spir. — *tum validus sensibus aut c. a.* MS. Bud. edd. Rhen. sqq. Verum haec sibi non opponuntur, sed alterum alteri adnectitur hac sententia: id quoque Tiberio accesisse, ut validus esset sensibus, quod requiritur in oratore, ac si ambiguitate uteretur sensusque premeret, id consulto esse factum. *Tum* est praeterea.

dissererentur. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) ed. Spir. et nuper Kiesslingius. — *discerentur* MS. Bud. pr. m., quod forma saltem scripturae Flor. patrocinatur. — *dissereret* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

requireres. Ed. Spir. *requirens.* Eadem mox pro *Nero* etc. dat *ne pro puerilibus statim amens invidum animum* etc.

animum in alia. MS. Agr. *animum ad puerilia.*

caelare, pingere. Sic MS. Flor. (test. Iac. Gronov.) edd. Spir. Ernest. sqq. Copulam *et* interponunt MSS. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. usque ad Ernest. et nuper Kiesslingius. Ceterum edd. ante Rhenanum c. MS. Guelf. pro *caelare* dant *celare*, solita utriusque litterae confusione.

Cap. 4. *capessendi.* Edd. Spir. Ald. c. MS. Guelf. *capescendi*, uti solent. De MS. Flor. Victorius hic nihil notavit.

egregie. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Rhen. sqq. — *egregii* MS. Guelf. et MSS. Broterii, edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. — Ceterum MS. Guelf. sic collocat verba: *imperii egregii.* Vett. edd. *egregii i.*

neque iuventam. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Spir. — *nec iuv.* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

unam intra domum. MS. Guelf. *imam intra domum*, quod eximie placet Strombeckio. Nam iniuriam principatus Claudiani, ait, non fuisse in eo, quod *unam* intra domum, sed quod *imam* intra domum accusatores et rei audirentur, ut supr. 11, 2. Speciem veritatis haec prae se ferunt; at accurate

accusatoribus et reis paucorum potentia grassaretur. nihil in penatibus suis venale aut ambitioni pervium: discretam domum et rem publicam. teneret antiqua munia senatus: consulum tribunalibus Italia et publicae provinciae adsisterent. illi patrum aditum praeberent: se mandatis exercitibus consulturum.

V. Nec defuit fides, multaque arbitrio senatus constituta sunt: ne quis ad causam orandam mercede aut donis emeretur: ne designatis quaestoribus edendi gladiatores necessitas esset. Quod quidem adversante Agrippina, tanquam acta Claudii subverterentur, obtinuere patres, qui in palatium ob id vocabantur, ut adstaret abditis a tergo

perspicienti vulgata scriptura potior videtur. *Una domus* opponitur toti civitati, apud quam omnis esse debet potentia. Hinc etiam mox pergit: *discretam domum et rem publicam* etc. Igitur *ima* domus hic nihil faciunt ad rem; de *una* domo omnium potestatem sibi adrogante sermo est.

grassaretur. Ed. Spir. c. MS. Guelf. *crassaretur*. Eadem ed. Spir. *italiae* pro *Italia*, *publice* pro *publicae*.

Cap. 5. *arbitrio senatus*. Ed. Spir. *senatus arbitrio*.

ne designatis quaestoribus. Vett. libri omnes *ne designatis quidem quaestoribus* (MS. Guelf. *dessignatis*). Sed iam pridem Acidalius et Ursinus delendum esse *quidem* censuerunt; delevere Bip. Oberl. sqq. Ernestius ad h. l. „si est a Tacito, inquit, sensus est, ne quaestoribus saltem, quod tantum designati essent, necesse esset, edere gladiatores." Quae tamen interpretatio satis claudicat. Maluerim *quidem* referri ad sensum scriptoris, ut dicat, ne in ea quidem re Claudii acta mansisse intacta. Sed facile potuit ea vocula e sequentibus huc inrepere. Alia ratio est loci 15, 19. *ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici iuvaret, ac ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset.* Kiesslingius reposuit *quidem* ante *quaestoribus*. Ceterum respice ad 11, 7. et 22.

abditis a tergo foribus velo discreta. Sic libri vett. nisi quod MS. Bud. ex mendo fert *additis* pro *abditis*. E Lipsii tamen opinione Bip. Oberl. aliique male ediderunt *obditis*. *Obdere* enim est opponere. Iam possumus vela obdere foribus, neque vero obditae fores dici possunt, quibus velum obditum est. Sunt potius *abditae* h. e. occultatae, clausae velo obdito. Melius sine dubio coniecit I. Fr. Gronovius: *obdito a tergo foribus velo discreta*. Sed ne ea quidem immutatio est necessaria. Agr. adstitit *foribus*, non apertis, sed *abditis*. Iam ut constet, quomodo fores abditae sint intelligendae, additur: *velo discreta*. Uberius auctor dixisset: Adstitit A. foribus, quae senatui erant a tergo, neque tamen apertae, sed abditae, ut ita velo illa discreta staret. Cf. Plin. epp. 4, 19. *Eadem, si quando recito, in proximo, discreta velo, sedet* etc. Mox ed. Spir. *ut quod visum.*

foribus velo discreta, quod visum arceret, auditus non adimeret. Quin et legatis Armeniorum causam gentis apud Neronem orantibus escendere suggestum imperatoris et praesidere simul parabat, nisi ceteris pavore defixis Seneca admonuisset, venienti matri occurreret. Ita specie pietatis obviam itum dedecori.

VI. Fine anni turbidis rumoribus prorupisse rursum Parthos et rapi Armeniam adlatum est, pulso Rhadamisto, qui saepe regni eius potitus, dein profugus, tunc quoque bellum deseruerat. Igitur in urbe sermonum avida, quemadmodum princeps vix septendecim annos egressus suscipere eam molem aut propulsare posset? quod subsidium in eo, qui a femina regeretur? num proelia quoque et oppugnationes urbium et cetera belli per magistros administrari possent, anquirebant.

auditus non adimeret. Sic Lipsius corrigebat, *auditus* (sic c. 16. *visus*) pro *aditus*, quod ferunt vett. libri. Sed e Pichenae emendatione hodie plerique edunt *auditum*. Iam vero *auditus* quidem facile potuit abire in *aditus*, non ita facile *auditum* in *aditus*, si quidem vitium est librarii ex praecipitantia vel negligentia. Emendandi studio certe non licet hoc tribui. Ceterum nihil in eo est inepti, ut dicatur velum illud visum arcuisse, aditus non ademisse. Nam vela, quae obdi foribus solebant, ita erant comparata, ut levari possent ingredienti. Lipsius quidem adfirmat: „adiri conspicive noluit." Sed unde Lipsius id novit? Conspici senatui noluit, ne videretur ipsi senatui interesse. Cur adiri noluerit a singulis senatoribus, non video. Immo satis verisimile est Agrippinam id voluisse, ut per amicos ipsam adeuntes senatus rebus sese immisceret. Nam non sola audiendi cupidine, sed ut plus sibi auctoritatis esset in senatum, patres in palatium vocari iusserat. Non igitur plane necessaria videtur emendatio. Malui tamen cum Kiesslingio edere Lipsii coniecturam.

escendere. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Farnes. (h. e. MS. Vatic. 1864.) edd. Lips. Pich. sqq. Victorius tamen intactum reliquit *ascendere*, quod est in reliquis MSS. et edd. vett.

occurreret. MS. Guelf. *occurret.*

specie. Ed. Spir. *spem.* cf. not. ad 11, 45.

Cap. 6. *rursum.* Ed. Spir. *iterum.* Eadem *deinde* pro *dein.*

tunc quoque. Sic ed. Spir. Bene, ut mihi videtur, et melius quam *tum quoque*, quod vulgo editur e ceteris libris vett.

septendecim. Ed. Spir. *decem septem.* MS. Agr. *septem et decem.* Quae varietas orta est e notis numerorum. Mox MS. Agr. pro *num proelia* dat *multi proelia.* MS. Guelf. *mollem* pro *molem.* In eodem *num* ante *proelia* non apparet nisi perpallidis vestigiis, ut fere lacuna esse videatur.

anquirebant. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Vatic. 1958. in margine, edd. Pich. sqq. — *anquirebat* MS. Vatic. 1863. quod Broterius positum putat pro *anquirebatur.* Ed. Spir. *alii inquirebant.* MSS. Guelf. Bud. et ceteri Bro-

Contra alii melius evenisse disserunt, quam si invalidus senecta et ignavia Claudius militiae ad labores vocaretur servilibus iussis obtemperaturus. Burrum tamen et Senecam multarum rerum experientia cognitos: et imperatori quantum ad robur deesse, cum octavodecimo aetatis anno Cn. Pompeius, nonodecimo Caesar Octavianus civilia bella sustinuerint? Pleraque in summa fortuna auspiciis et consiliis quam telis et manibus geri. daturum plane documentum, honestis an secus amicis uteretur, si ducem amota invidia egregium, quam si pecuniosum et gratia subnixum per ambitum deligeret.

VII. Haec atque talia vulgantibus Nero et iuventutem proximas per provincias quaesitam supplendis Orientis legionibus admovere legionesque ipsas propius Armeniam collocari iubet: duosque veteres reges Agrip-

terii codd. MSS. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. *inquirebant.* Eandem varietatem deprehendimus 12, 6. Hist. 2, 59.; idem verbum 3, 12.

disserunt. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) edd. Pichen. sqq. — *dixerunt* MSS. Bud. Guelf. aliique cum edd. vett., vulgari litterarum *x* et *s* permutatione.

multarum rerum. MS. Bud. *multarum* (sine *rerum*); MS. Corb. *multa rerum.* Hic cod. ante *imperatori* omittit *et.*

Octavianus. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. et recentt. inde a Lips. prima. — *Octavius* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. — *Octavianus* cum punctis censoriis sub litteris *an* MS. Guelf.

pleraque. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Vatic. Bodl. Corb. edd. Spir. Rhen. sqq. — *pluraque* MSS. Harl. Ies. (Bodl. in marg.) Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Haec scriptura originem traxit ex ignorantia dictionis Nostro solitae, et miror eam a Ricklefsio et Kiesslingio commendatam. Ernestius ante *quam* iubet suppleri *magis.* Sed vid. not. ad 3, 17. Mox pro *daturum* MS. Bud. habet *datum.* Idem fuit in Guelf. sed ibi sec. manus fecit *daturum.*

documentum. Ed. Spir. *documentis.* Eadem *uterentur* pro *uteretur*, *quasi* pro *quamsi*, *diligent* pro *deligeret.* MS. Agr. *delegerit.* MS. Bud et inde edd. Rhen. Ald. *et si ducem.*

Cap. 7. *admovere.* Sic MSS. et vett. edd. consensu. E Pichenae sententia hodie edunt *admoveri* propter *collocari* et *iungi.* Sed simili modo et alibi Noster structuram variat, ut infinitivi activi et passivi iuxta ponantur. cf. not. ad 1, 3. Hist. 4, 28. *vastari ... transire iubet.* Neque putes eam variationem fortuitam atque negligentiae esse tribuendam. Immo consulto fit et sapienter. Nam si scribis *admoveri*, tum dicis iuventutem propria Neronis mandata accepisse, ut iret ad legiones; sin vero *admovere*, tum dicis, Neronem mandata sua exsequenda aliis dedisse, ut iuventutem admoverent vel admoveri curarent, quod hic valet (*man solle die Jugend hinführen*). Diversa est ratio legionum, quae ipsae accipiunt imperia iubentur,

pinam et Antiochum expedire copias, quis Parthorum fines ultro intrarent: simul pontes per amnem Euphratem iungi. et minorem Armeniam Aristobulo, regionem Sophenen Sohemo cum insignibus regiis mandat. exortusque in tempore aemulus Vologeso filius Vardanes: et abscessere Armenia Parthi, tanquam differrent bellum.

VIII. Sed apud senatum omnia in maius celebrata sunt sententiis eorum, qui supplicationes et diebus supplicationum vestem principi triumphalem, utque ovans urbem iniret, effigiesque eius pari magnitudine ac Martis Ultoris eodem in templo censuere, praeter suetam adulationem laeti quod Domitium Corbulonem retinendae Armeniae praeposuerat, videbaturque locus virtutibus patefactus. Copiae Orientis ita dividuntur, ut pars auxiliarium cum duabus legionibus apud provinciam Syriam et legatum eius Quadratum Ummidium re-

que collocari propius Armeniam (*sie sollen sich aufstellen*). In *pontibus* eadem ambiguitas non datur. Ed. Spir. pro *legionibus* dat *regionibus* (cf. not. ad 12, 43.), *pro his* pro *propius*.

Antiochum. MSS. Flor. Vat. 1958. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *Iocchum*; MSS. Vatt. 1863 et 1864. (test. Broterio) *Iocchium*; MSS. Vat. Lipsii (quo contradicit Broterio), Reg. Agr. ed. Spir. *Lochium*; MSS. Harl. Guelf. *Locchum*. Ryckius primus recepit Lipsii emendationem *Antiochum*, quae confirmatur loco c. 37. Intellige regem Commagenes. cf. Ioseph. 19, 5. Dio 60, 8.

per amnem Euphr. Ed. Spir. *per omnem Eufraten*. — MS. Guef. *Eufratem*.

Aristobulo. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. recentt. inde a Lipsii prima. cf. Ioseph. 20, 8. *Aristobolo* edd. vett. et MS. Guelf.

Sophenen. Sic MS. Guelf. edd. Beroald. (c. silent. Vict.) Rhenan. seqq. Quod plurimae edd. habent *Sophenem* cum Alc. et Rhenano, tribuendum est compendio scripturae *Sophenē*, quod potius legendum erat *Sophenen* idque restituit Ryckius. Ed. Spir. *Sophonen*. Edd. Put. M. et V. *Sophonem*.

Sohemo. Ed. Spir. *sohoemo* (non *Sohaemo*, ut vulgo ferunt). MS. Guelf. *Sophoemo*. cf. not. ad 12, 23. Hist. 2, 81. 5, 1. MS. Agr. *Vologesi* pro *Vologeso*. Utraque forma T. utitur. cf. not. ad Hist. 1, 40.

Vardanes. Sic edd. recentt. inde a Lipsii prima. — *Vardanis* MS. Guelf. edd. vett. Coniicio scribendum esse *Bardanes*. cf. 11, 8 et 10.

Cap. 8. *in maius*. Haec vocabula desunt in ed. Spir. — MS. Guelf. non habet *in* ante *maius*.

censuere. Ed. Spir. *censuerunt*. Eadem *Demicium* pro *Domitium*.

legionibus. Hoc vocabulum deest in ed. Spir.

Syriam. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *Suriam*.

Ummidium. Ed. Spir. *Umidium*. Edd. Put. M. et V. Beroald.

maneret, par civium sociorumque numerus Corbuloni esset, additis cohortibus alisque quae apud Cappadociam hiemabant: socii reges, prout bello conduceret, parere iussi. sed studia eorum in Corbulonem promptiora erant. qui, ut famae inserviret, quae in novis coeptis validissima est, itinere propere confecto apud Aegeas civitatem Ciliciae obvium Quadratum habuit illuc progressum, ne, si ad accipiendas copias Syriam intravisset Corbulo, omnium ora in se verteret corpore ingens, verbis magnificis et super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus.

IX. Ceterum uterque Vologesem regem nuntiis monebant, pacem quam bellum mallet datisque obsidibus solitam prioribus reverentiam in populum Romanum continuaret. Et Vologeses, quo bellum ex commodo

(c. silent. Vict.) Alc. Rhen. *Vinidium.* MS. Guelf. *Numidium.* cf. not. ad 12, 45.

par civium. Ed. Spir. et MS. Guelf. *pars civium.* Pro *remaneret* MS. Agr. *remanerent.*

alisque, quae. Sic edd. Beroald. (c. silent. Vict.) Rhen. sqq. *aliis quae* MS. Agr. ed. Spir. *aliisque quae* edd. Put. M. et V. Alciat. — *aliisque* (sine *quae*) MS. Guelf.

apud Cappadociam. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *Cappadocia*, simul omissa praepositione, MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *Cappadociae* MS. Agr.

inserviret. Ed. Spir. omittit hoc verbum; *quae est in n. c. v.*

propere. MS. Agr. *praepropere.*

Aegeas. Sic edd. recentt. auctoribus Lipsio et Pichena. Consentiunt fere MSS. Flor. Reg. Agr. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. ed. Spir. qui libri dant *Egeas.* cf. Dio 47, 30. (qui habet ἐν Αἰγέαις), Strabo 14, p. 676 (Αἰγαῖα). Contra edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *Egas.* cf. Lucan. 3, 327. (qui habet *Aegae*). Item Plin. 5, 22. Philostrat. de vit. Apollon. 1, 12. — *ne, si ad* etc. MS. Guelf. *ut si ad* etc.

ora. Ed. Spir. *oram.*

magnificis. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. Vulgo *magnificus*, quod est in MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

specie inanium. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Satis igitur dubium est quod Pichena e MS. Flor. adfert *specie in animum.* Ed. Spir. *spem in animum*, eodem vitio, quo laborabat supra c. 5. et alibi. MS. Bud. *spe in animum*, unde Rhen. fecit *spe inanium.* Veram scripturam revocavit Lipsius. Eadem confusio recurrit Hist. 3, 84. An. 15, 79. et multis aliis locis. Culpa est in compendio scripturae *spē*, quod alii accepere pro *spe*, alii prō *spem.*

CAP. 9. *Vologesem.* MS. Flor. (test. Vict.) *ad Vologesen*, doctius, quam ut librario tribui liceat. Ceteri libri vulgatum tuentur. Ed. Spir. pro *uterque* dat *utrique.* Mox MS. Guelf. *monebat* pro *monebant.*

ex commodo. Ex emendatione Merceri, quam recepit Pichena. Idem e MS. Flor. adfert *ex quo*

pararet an ut aemulationis suspectos per nomen obsidum amoveret, tradit nobilissimos ex familia Arsacidarum. accepitque eos centurio Histeius ab Ummidio missus forte priore de causa adito rege. Quod postquam Corbuloni cognitum est, ire praefectum cohortis Arrium Varum et reciperare obsides iubet. hinc ortum inter praefectum et centurionem iurgium ne diutius externis spectaculo esset, arbitrium rei obsidibus legatisque, qui eos ducebant, permissum. atque illi ob recentem gloriam et inclinatione quadam etiam hostium Corbulonem praetulere. Unde discordia inter duces, querente Um-

modo, uti est in MS. Reg. Victorius intactam reliquit scripturam *ex aequo modo*, quae est in MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *ex equo modo* ed. Spir. Hodie vulgata esse vera nemo dubitat. Oppositum est *contra commodum aliquid facere* Suet. Oct. c. 78.

tradit. MS. Guelf. *tradidit.*

Histeius. Sic MS. Flor. (test. Pichen.) edd. Pichen. sqq. Victorio intactum mansit *Histerius*, quod est in MSS. Reg. Guelf. Agr. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. A scriptura vulgata parum abest Vat. Lipsii, qui dat *Histius*. Rhenanus edidit *Hostorius* et ita Ald. Lips. Gruter. Ryckius coniiciebat *Insteius* e c. 39. quod recepit Lallemand. Sed haec forma satis dubia est. Paulo ante pro *amoveret* in edd. Put. M. et V. legitur *amoneret.*

ab Ummidio. Ed. Spir. c. MS. Guelf. *ab Humidio*; edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *ab Vinidio.* cf. not. ad 12, 45. 48. 54. Eadem varietas infr.

priore. MS. Vatic. 1958. *prior.* Perperam Muretus et Lipsius coniecere: *prior ea de causa*, quod edidere Pich. sqq. Veterem scripturam restituere Bip. Oberl. sqq.

adito. MS. Guelf. *addito.*

Arrium Varum. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *Arrium Varrum* ed. Spir. — *Anium Varrum* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *Annium Varrum* MS. Guelf. Veram scripturam restituit Rhenanus.

reciperare. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Vat. (test. Lips.) edd. Pich. sqq. — *recuperare* ed. Spir. — *recipere* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

ne diutius. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. *quod ne diutius* MS. Guelf. (Bud. a 2. m.) edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

spectaculo esset. MS. Agr. *spect. essent*, haud inepte puncto posito ante *ne diutius.*

ob recentem. Ed. Spir. omittit *ob.*

et inclinatione quadam. Sic edd. recentt. inde a Lipsii prima. *et inclinationem quandam* MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. At ed. Spir. *et inclinatione quadrati.* Recepta scriptura bene convenit Tacito, qui in eiusmodi locis variat constructionem. cf. 1, 3. *per uxorium ambitum et senili adoptione*; 1, 7. *astu magis quam per formidinem.* cf. not. ad 2, 70. Mox Guelf. omittit *etiam.*

midio praerepta quae suis consiliis patravisset, testante contra Corbulone non prius conversum regem ad offerendos obsides quam ipse dux bello delectus spes eius ad metum mutaret. Nero, quo componeret diversos, sic evulgari iussit: Ob res a Quadrato et Corbulone prospere gestas laurum fascibus imperatoriis addi. Quae in alios consules egressa coniunxi.

X. Eodem anno Caesar effigiem Cn. Domitio patri et consularia insignia Asconio Labeoni, quo tutore usus erat, petivit a senatu: sibique statuas argento vel auro solidas adversus offerentes prohibuit. et quanquam censuissent patres, ut principium anni inciperet mense Decembri, quo ortus erat Nero, veterem religionem Kalendarum Ianuariarum inchoando anno retinuit. Neque recepti sunt inter reos Carinas Celer senator servo accusante aut Iulius Densus equester, cui favor in Britannicum crimini dabatur.

XI. Claudio Nerone, L. Antistio coss. cum in acta principum iurarent magistratus, in sua acta collegam Antistium iurare prohibuit magnis patrum laudibus, ut

praerepta quae. Ed. Spir. *praereptaque.* Ed. Weikert. vitiose *praecepta quae.*
non prius. MS. Guelf. *nisi prius.*
diversos. Ed. Spir. *diversus.* Eadem *gestas prospere.* Mox *fastibus* pro *fascibus*; *additisque* pro *addi. Quae*; *coniunxit* pro *coniunxi.* Ita etiam e MS. Flor. Victorius notavit *diversus* pro *diversos*; *addidit* pro *addi.* MS. Guelf. *addidit*, *quae.* In *coniunxit* conspirant MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. *coniunxi* edd. Rhenan. Ald. sqq.
Cap. 10. *effigiem.* Ed. Spir. *affigiem.*
et consularia ins. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) Reg. Bud. Guelf. ed. Spir. Copulam *et* omittunt edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. etiam in Guelf. eadem ponitur in margine.
quo ortus erat Nero. cf. not. ad 12, 25.
Ianuariarum. Ed. Spir. *Ianuariorum.* MS. Flor. (test. Vict.) plenis litteris *Ianuariarum.*
inter reos. Sic omnes libri praeter MS. Reg. et ed. Spir. ubi est *inter eos*, unde Lipsius fecerat *in reos.* I. Gronovius restituit *inter* e MS. Flor.
Carinas. Edd. vett. cum MS. Guelf. *Carrinas.* Edd. Rhen. sqq. *Carinas.* Pro *Celer* ed. Spir. dat *cerer.* MS. Guelf. ante *Celer* habet *et*, sed superscriptum.
equester. cf. 12, 60. *apud equestres.* Pro *favor* MS. Flor. (test. Vict.) habet *fabor*, ut 11, 19. *immunibit*; ib. c. 6. *cogitabissent.*
Cap. 11. *principum.* Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Farnes. Bodl. pr.

iuvenilis animus levium quoque rerum gloria sublatus maiores continuaret. Secutaque lenitas in Plautium Lateranum, quem ob adulterium Messallinae ordine remotum reddidit senatui, clementiam suam obstringens crebris orationibus, quas Seneca testificando quam honesta praeciperet vel iactandi ingenii voce principis vulgabat.

XII. Ceterum infracta paulatim potentia matris delapso Nerone in amorem libertae, cui vocabulum Acte fuit, simul adsumptis in conscientiam Othone et Claudio Senecione adulescentulis decoris, quorum Otho familia consulari, Senecio liberto Caesaris patre genitus.

m. edd. Lips. sqq. *principis* MSS. Bodl. (a sec. m.) Guelf. et plerique MSS. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald.

levium quoque. MS. Guelf. a pr. m. *leviumque:* sec. m., ut saepe, fecit *quoque.*

lenitas. Ed. Spir. *levitas.*

in Plautium Lateranum. Ed. Spir. *in palatium lateranum.* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Alc. *in Plantium* (vel *Plancium*) *Lateranum.* Vulgatum habent edd. Beroald. (c. silent. Vict.) Rhen. sqq. cf. 11, 36. Voc. *ordine* deest in Oxon. I. Gronov.

vel iactandi. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Vat. (t. Lips.) Bud. (pr. m.) edd. Lips. sqq. Victorius intactam reliquit scripturam *causa iactandi*, omisso *vel*, quae est in MSS. Guelf. Agr. et plerisque aliis, edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. E MS. Bud., cui sec. m. addidit *causa*, Rhenanus dedit *vel causa iactandi.* Vocabulum *causa* in talibus locis Tacito omitti vidimus 2, 59. *Vel* necessario adesse videtur. Utrumque, *vel* et *causa* in MSS. per compendium solent scribi, unde facilis fuit error.

Cap. 12. *Acte.* Edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. c. MS. Guelf. *Actae,* ut volebat Heinsius. *Acte* edd. Rhen. sqq. MS. Guelf. haec ponit inverso ordine: *Actae vocabulum.*

Senecione. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Rhen. sqq. *Senetione* edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. *Senectione* MS. Guelf. Sed mox idem *Senecio.*

adulescentulis. Sic praeter MS. Flor. etiam ed. Spir. cf. not. ad 1, 3. — MS. Guelf. *adoloscentulis.*

genitus. Plena distinctio post *genitus* ponenda erat, ut hic sententia absolvatur. In sequentibus ad verbum *inrepserat* intelligendum est *Acte.* Vulgo coniungunt: *quorum Otho f. c., S. l. C. p. genitus, ignara matre, dein ... inrepserat.* Sed quis feret structuram: *quorum O. et S. inrepserat?* in qua vox *quorum* indicat fuisse praeter Othonem et Senecionem, qui inrepsisse non dicantur, qui tamen hic sunt nulli. Nec *inrepserat* in num. sing. de duobus dici potest. Quod c. 15. legimus *nox et lascivia exemerat*, huc non facit. Nam huius generis subiecta plura verbo sing. num. addi posse nemo nescit, et exempla sunt innumera. Speciosius est 12, 45. *militum, quis Caelius Pollio praefectus, centurio Casperius praeerat.* Sed *praeerat* ad posterius membrum tantum pertinet; ad prius membrum supplendum est *erat.* Quid multa? Duo subiecta personas praeferentia sequitur verbum sing. num., si diversa de utroque subiecto praedi-

ignara matre, dein frustra obnitente penitus inrepserat per luxum et ambigua secreta, ne senioribus quidem principis amicis adversantibus, muliercula nulla cuiusquam iniuria cupidines principis explente, quando uxore ab Octavia nobili quidem et probitatis spectatae fato quodam, an quia praevalent inlicita, abhorrebat: metuebaturque, ne in stupra feminarum inlustrium prorumperet, si illa libidine prohiberetur.

XIII. Sed Agrippina libertam aemulam, nurum ancillam, aliaque eundem in modum muliebriter fremere. neque poenitentiam filii aut satietatem opperiri, quantoque foediora exprobrabat, acrius accendere, donec vi amoris subactus exueret obsequium in matrem, seque Senecae permitteret: ex cuius familiaribus

cantur, quae per unum verbum coniunguntur. Tum vero id verbum non ad duo subiecta pertinet; sed suppletur ad prius membrum, scribitur ad alterum. Sic 16, 20. *quae cruciatibus tormentorum ipse, patronus eius nece immerita lueret:* ubi *cruciatus tormentorum* et *nex immerita* sibi invicem opponuntur; alterum priori subiecto, alterum posteriori per verbum *lueret* additur. Eadem ratio est loci Sallust. Cat. c. 54. *Caesar dando, sublevando, ignoscendo; Cato nihil largiundo gloriam adeptus* (non *adepti*). Verum nostro loco unum idemque praedicatum habetur, quod ferunt, *inrepserat*, quod ut sic in num. sing. duobus subiectis iungatur, minime patitur latinitas. Parum etiam iuvat Lipsii emendatio *irrepserant*. Nam quaeritur, qui sint illi, qui non inrepserint, ut antea vidimus. Valuit tamen ea scriptura a Lipsio usque ad Ernestium; placuit etiam Broterio.

obnitente. Sic MS. Flor. edd. Spir. Put. M. et V. Rhen. sqq. — *obtinente* edd. Beroald. Alc. cum MS. Guelf.

inrepserat. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *irrepserat* edd. vett.

senioribus. Sic codd. MSS. Flor. (t. Vict. c. Pich.) Bud. Agr. Guelf. aliique, ed. Spir. — *severioribus* MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Sed *seniores amici* hic opponuntur *adulescentulis amicis*. Sunt etiam *seniores amici* 14, 54. Pro *amicis* MS. Guelf. dat *admissis*; pro *ne .. quidem* idem *nec . . quidem*.

fato quodam. MS. Flor. (test. Vict.) *facto quodam*, vitiose.

an quia. Ed. Spir. *et quia.* MS. Guelf. *aut quia.*

inlicita. Sic MS. Flor. (test. Vict.) *illicita* edd. vett. cum MS. Guelf.

abhorrebat. Ed. Bekkeri *adhorrebat.*

metuebaturque. Ed. Spir. *metuebantque.*

Cap. 13. *opperiri.* Ed. Spir. *operiri*, uti solet. Sic et MS. Guelf.

accendere. MS. Flor. (t. Vict.) ed. Spir. *accenderet.*

vi amoris. Ed. Spir. *in amoris*, vulgari confusione.

seque Senecae permitteret. MS. Flor. (test. Pich.) *seque nece*, atque in margine *Seneceque*, uti est in MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies., unde edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent.

Annaeus Serenus simulatione amoris adversus eandem libertam primas adulescentis cupidines velaverat praebueratque nomen, ut, quae princeps furtim mulierculae tribuebat, ille palam largiretur. Tum Agrippina versis artibus per blandimenta iuvenem adgredi, suum potius cubiculum ac sinum offerre contegendis quae prima aetas et summa fortuna expeterent. quin et fatebatur intempestivam severitatem, et suarum opum, quae haud procul imperatoriis aberant, copias tradebat, ut nimia nuper coercendo filio, ita rursum intemperanter demissa. Quae mutatio neque Neronem fefellit et proximi

Vict.) Alc. Rhen. *Senecaeque* habent. In MS. Guelf. est rasura ad ultimam litteram vocabuli, nec *seneceque* nunc ibi legitur, sed potius *Séneciqȝ*. MSS. Farnes. Reg. ed. Spir. *seque neci.* MS. Vatic. *seque permitteret*, superius addito *neci.* MS. Agr. *seque nec ei.* Nemo dubitat nomen *Senecae* hic latere, quod patet ex sqq. Iam alii cum Puteolano legunt *Senecaeque permitteret.* Verbum satis audacter absolute accipiunt aut intelligunt *se*, quod sic omitti posse vix credo. Alia est locorum ratio, ubi id pronomen omittitur. Ut *obsequium* intelligas ad verbum *permitteret*, haud minus contortum est. Nam quis unquam dixit: *permittere alicui obsequium* pro *se dare alicui in obsequium?* Quare rectius alii legunt: *seque Senecae.* Ea non solum idonea est formula, sed nititur etiam nonnulla vett. librorum auctoritate. Nam *seque* est in MSS. Flor. Vatic. Agr. Farnes. Reg. ed. Spir. Vocabulum *Senecae*, quum primam syllabam amisisset, factum est *nece*, inde *neci*, quia *permittere* eum casum poscit. Peritiores suo more emendarunt *seque nec ei* vel *Senecaeque.* Nil igitur cunctatus cum Ryckio scribo *seque Senecae permitteret.* Et sic nuper Kiesslingius. Pichena volebat: *Senecaque permitteret*, quod valde probabatur I. Fr. Gronovio. Rhenanus *se Senecaeque perm.*

Annaeus Serenus. Cui Seneca inscripsit libros de tranquill. cf. idem ep. 63.

adulescentis. Sic MS. Flor. (t. Vict.) ed. Spir.

velaverat. Ed. Spir. *celaverat.* Eadem mox *tribuerat* pro *tribuebat.*

ille. Ernestius malebat *ipse*, quia opponitur *principi.* Sed idem valet de pronomine *ille.*

tum Agripp. Ed. Spir. *tunc Agr.*

adgredi. Sic MS. Flor. (t. Vict.); *aggredi* edd. vett.

sinum. Interpretantur *Busen*, quasi ad incestum Agr. filium inlexerit. Verius *sinum* accipies de secretis locis, de suffugio, quae offerebantur in cubiculo Agrippinae, ut Nero latebris contectus amore Actae vel aliarum mulierum frueretur. Volebat illa Neronis cupidines fovere, ut quasi in sinu matris filius amoribus indulgeret. Ita iam Pichena locum accepit.

fortuna. Edd. Beroald. Alciat. *forma*, quod Victorius e MS. Flor. corr. *fortuna*, uti est in ceteris libris.

intempestivam severitatem. Ed. Spir. *in tempestatem et severitatem.*

amicorum metuebant orabantque cavere insidias mulieris semper atrocis, tum et falsae. Forte illis diebus Caesar inspecto ornatu, quo principum coniuges ac parentes effulserant, deligit vestem et gemmas misitque donum matri nulla parcimonia, cum praecipua et cupita aliis prior deferret. Sed Agrippina non his instrui cultus suos, sed ceteris arceri proclamat, et dividere filium quae cuncta ex ipsa haberet. Nec defuere qui in deterius referrent.

XIV. Et Nero infensus iis, quibus superbia muliebris innitebatur, demovet Pallantem cura rerum, quis a Claudio impositus velut arbitrum regni agebat: ferebaturque degrediente eo magna prosequentium multitudine

cavere. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Bud. edd. Spir. Pich. sqq. Idem inesse MSS. Reg. et Agr. colligo e Ryckii nota huic loco adscripta. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Lips. Gruter. *caveri*, idque in tali contextu non absurdum esse vidimus ad 11, 1. Sed hic *cavere* nititur optimorum librorum auctoritate. Ed. Ald. *caveret*, uti volebant Pichena et Rhenanus (in castigatt.)

tum et falsae. De vocula *tum* cf. not. ad 2, 26.

inspecto. Ep. Spir. *inspenecto.* Eadem mox *effulxerant*, vulgari litterarum *x* et *s* permutatione.

deligit. MS. Guelf. *delegit*, et sic Bipont. et Lünemann. Sed vulgatum melioribus libris nititur nec est cur mutetur. cf. not. ad 2, 7. sub v. *duxit.*

donum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Rhen. sqq. — *domum* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc.

parcimonia. Sic edd. Ryck. sqq. *parsimonia* MS. Guelf. et edd. vett. cum silentio Victorii.

referrent. Ed. Spir. *res ferrent.*

Cap. 14. *iis quibus.* Ed. Spir. *his quibus.* cf. not. ad 1, 22.

superbia muliebris. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *ferocia mulieris* MSS. Guelf. Harl. Ies. Hinc *sup. mulieris* edd. Oberlin. aliaeque. Recentissimi editores bene revocarunt *muliebris*, quod exquisitius dictum est, quam *mulieris.*

demovet. Ed. Spir. *demolliet.* MS. Agr. *demoliri.* Pro *regni* MS. Guelf. *rei.* Pro *agebat* edd. Put. M. et V. *agrebat;* MSS. Harl. Ies. Guelf. *gerebat* (Harl. in marg. *agebat*). Pro *velut* MS. Flor. (test. Vict.) *vetud.*

arbitrum. Sic MSS. Vaticc. 1863. et 1864. edd. Spir. Rhen. Ald. Lips. sqq. *arbitrium* MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Vat. 1958. Reg. Guelf. Bud. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Parum videtur interesse. cf. tamen 2, 73. 4, 41. Eadem varietas Hist. 4, 21.

degrediente. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gron.) Vaticc. 1863. et 1864. Bud. Reg. edd. Ernest. sqq. Recte; nam Pallas degrediebatur palatio. cf. Hist. 3, 67. *palatio degreditur.* Edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Rhen. sqq. c. MS. Guelf. *digrediente.* Mox

non absurde dixisse ire Pallantem, ut eiuraret. Sane pepigerat Pallas, ne cuiusque facti in praeteritum interrogaretur paresque rationes cum re publica haberet. Praeceps posthac Agrippina ruere ad terrorem et minas, neque principis auribus abstinere, quo minus testaretur adultum iam esse Britannicum, veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio, quod insitus et adoptivus per iniurias matris exerceret. non abnuere se quin cuncta infelicis domus mala patefierent, suae in primis

MS. Guelf. pro *non* habet *in*. Fortasse fuit *minime*.

ire. Ed. Spir. *item*.

ut eiuraret. MS. Bud. ed. Spir. *ut evitaret*. Vulgatum tuentur Guelf. et ceteri libri et Bud. in marg. habet *al. eiuraret*. Iam interpretes disceptant de eo, quod ad verbum *eiuraret* sit intelligendum et quo sensu Pallas *eiurare* dicatur. Alii intelligunt *procurationem*. Sed quid tum faceti in verbis superest? Quare alii cogitant de formula: *eiurare bonam copiam*, ut Pallas dicatur iurare sibi copiam non esse (*er sei nicht solvent*). cf. Brisson. de verb. signif. s. v. *eiurare*. Nimis tamen e longinquo haec ratio petita esse videtur, et obscurius, quam par est, Nero dixisset, si illud dicere voluisset. Alii verbum referunt ad multitudinem prosequentium, ut Pallanti cogites eiuratam illam atque concessam aliis. Tum vero sequentia parum conveniunt. Alii *eiuraret* mutant in *eiurarent* atque distinguunt: *ire*, *Pallantem ut eiurarent*. Laborat et ea coniectura ob sequentia. Alii cum Bahrdtio intelligunt *rationes*, ut Pallas dicatur iuramento interposito velle rationes suas componere ut iustas. Sed de *rationibus* nullus ibi est sermo; de his in sequentibus demum Noster loquitur. Nihil certius est quam intelligi *regnum*. Nam dixerat Tacitus: *Pallantem velut arbitrum regni egisse*, et statim pergit: *ferebaturque* (Nero) *dixisse ire P. ut ei.* sc. regnum (cf. Hist. 3, 68. *eiurari ab eo imperium*). Huic rationi egregie etiam conveniunt sequentia. Nam qui ea conditione utitur, ut nullius facti in praeteritum interrogari debeat paresque cum republica rationes habeat, is est velut rex, qui cuncta agit ex sua voluntate et nemini factorum rationem reddit.

ne cuiusque. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. cum silentio Victorii. Bene. Nam *cuiusque* est pro *cuiuscunque*. cf. not. ad 1, 6. Male igitur Rhenanus mutavit in *ne cuius*, quod hodie editur. Ed. Spir. corrupte *quae cuius* dat pro *ne cuiusque*. MS. Guelf. *quę quoiusque*. Idem mox *inpreteritũ*. Dein *habere* pro *haberet*.

posthac. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Spir. — *post haec* edd. Put. M. et V. Beroald. Rhen. sqq.

ruere. Ed. Spir. *rueret*.

ad terrorem. Sic MSS. Flor. (test. Pichen.) Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. Dein a Lipsio et Grutero editum est *in terrorem*. Veterem scripturam Pichena restituit.

et minas, neque principis. MS. Guelf. *neque minas ac principis*. Ceteri libri mei vett. vulgata tuentur.

per iniurias. Ed. Spir. *per iniuriam*.

se quin cuncta. MS. Flor. (test. Vict.) *se qui cuncta*. Ed. Spir. *se qui cuncta*. Vitium est e compendio scripturae.

nuptiae, suum veneficium. id solum diis et sibi provisum, quod viveret privignus. ituram cum illo in castra. audiretur hinc Germanici filia, inde vilis rursus Burrus et exsul Seneca, trunca scilicet manu et professoria lingua generis humani regimen expostulantes. Simul intendere manus, adgerere probra, consecratum Claudium, infernos Silanorum manes invocare, et tot inrita facinora.

veneficium. Sic edd. Put. M. et V. Ber. (c. silentio Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *beneficium* MS. Guelf. ed. Spir. Sed et loci contextus et aliorum librorum auctoritas vulgatum tuentur. Varietas originem traxit e vulgari litterarum *b* et *v* permixtione. Vid. not. sqq.

inde vilis rursus. Sic MSS. Agr. et Bud. (a sec. m.) edd. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *indebilis* MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Bodl. Bud. (pr. m.) ed. Spir. Iam *indebilis* nihil aliud est quam *inde vilis*, posito *b* pro *v*, quae confusio quam sit frequens in vett. libris vidimus 11, 6. 19. et 13, 10. cf. Rhenan. ad 14, 7. s. v. *illo sibi die.* E MS. Vat. Lipsius protulit *inde bibil*, corrupte. MSS. Guelf. et Oxon. (test. I. Gron.) *inde Mancinus rursus Burrus.* Lipsio et I. Fr. Gronovio auctoribus nonnulli ediderant *inde debilis.* Sed Oberlinus bene vidit id offerre tautologiam insolitam Tacito, quoniam sequitur *trunca manus.* Idem vidit egregie sibi invicem respondere *vilis Burrus* et *exsul Seneca.* Sed aliam suspicionem viris doctis movit vocabulum *rursus*, quod hic nulli rei esse iudicat Lipsius. I. Fr. Gronovius probat vocabulum *rursus*; eo tamen utitur in detrimentum voc. *inde.* Ita et aliis aut *inde* aut *rursus* molestum est. Oberlinus componere lites studuit, male tamen eo munere functus. Verba eius sunt: „*vilis rursus* est a pristina potentia deiectus", quod haud facile cuiquam placebit. Vera loci ratio est haec: *hinc* in priore membro ponitur pro *ab hac parte;* respondet in altero membro *inde* h. e. *ab altera parte.* Sic enim utuntur illis particulis ad designandas partes diversas. cf. infr. 15, 29. Sueton. Caes. c. 39. *Rursus* est *deinde*, sc. postquam audita est Germanici filia. cf. An. 2, 39. Germ. c. 18. Agr. c. 28. Liv. 1, 59. *Rursus ubi — vident.* Sunt qui pleonastice sic *rursus* poni censeant. cf. Baumgarten - Crusius ad Sueton. Iul. c. 2. *intra paucos rursus dies repetita Bithynia.* Bremius ad Cornel. Nepot. Datam. c. 6. et Alcib. c. 6. Freinshem. in ind. Flori sub v. *rursus redire.* Germanice: *Es möchte nur von der einen Seite des Germanicus Tochter gehört werden, von der andern dann wieder der nichtswürdige B. und der verwiesene S.* Adroganter loquitur inque certamen vocat adversarios.

expostulantes. MS. Flor. (t. V.) ed. Spir. *expostulantis.* Idem edidere Oberlinus, Naudetus, Weisius aliique. Bekkerus tamen revocavit *expostulantes*, quod est in MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Quodsi retines *expostulantis* ante *trunca* punctum est ponendum, *expostulantis* accipiendum in accusativo ut in oratione obliqua, intellecto infinitivo verbi substantivi.

adgerere probra. MS. Guelf. *agere probro.*

consecratum. Ed. Spir. *consectatum.* Mox eadem *inferno* pro *infernos.*

Silanorum. cf. supr. c. 1.

XV. Turbatus his Nero, et propinquo die, quo quartum decimum aetatis annum Britannicus explebat, volutare secum modo matris violentiam, modo ipsius indolem levi quidem experimento nuper cognitam, quo tamen favorem late quaesivisset. Festis Saturno diebus inter alia aequalium ludicra regnum lusu sortientium evenerat ea sors Neroni. igitur ceteris diversa nec ruborem adlatura: ubi Britannico iussit, exsurgeret progressusque in medium cantum aliquem inciperet, inrisum ex eo sperans pueri sobrios quoque convictus nedum temulentos ignorantis, ille constanter exorsus est carmen, quo evolutum eum sede patria rebusque summis significabatur. unde orta miseratio manifestior, quia dissimulationem nox et lascivia exemerat. Nero intellecta invidia odium intendit, urgentibusque Agrippinae minis, quia nullum crimen neque iubere caedem fratris palam audebat, occulta molitur pararique venenum iubet ministro Pollione Iulio praetoriae cohortis tribuno, cu-

Cap. 15. *levi quidem.* Ex emendatione Freinshemii, quam recepere Bipont. Oberl. sqq. Vett. libri consentiunt in *ut quidem*, nisi quod MSS. Agr. et ab altera manu Harl. habent *et quidem*. Acidalius volebat *vili quidem*, Heinsius *futili quidem*. Sed elegantior Freinshemii coniectura, et verisimilior. *Ut quidem* vitiosum esse vix quisquam dubitet. Tacitus scripsisset saltem: *ut experimento quidem n. c.*

quo tamen favorem. MSS. Reg. Agr. *quo tum favorem.* MS. Guelf. *quo tandem favore.* Ed. Spir. *quo tamen favore.*

regnum lusu. MS. Flor. (test. Pich.) *R. regnum lusu.* Victorius tamen additum *R.* ignorat. Ed. Spir. *Rō. regnum l.* MS. Reg. *Ro. regnum l.* MS. Agr. *Romae regnum ludo.* Etiam in MS. Guelf. syllaba *Ro.* a recent. m. super vocabulum *ludicrum* positum est, et dein legitur *iussu* pro *lusu.* Vulgatum habent edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Sed nescio an *Romae regnum ludere* verum sit ludicri vocabulum. De re cf. Pollux 9, 7, 110. Arrian. diss. Epict. 1, 25. Lucian. in Saturnal. Sed Horat. Od. 1, 4, 18, quem locum addit Oberlinus, huc non facit. Nam *regna vini* diversa sunt.

adlatura. Ed. Spir. et MS. Reg. *oblatura.* Edd. Lips. Pich. sqq. *illatura*, usque ad Iac. Gronovium, quo auctore recentiores reposuere *adlatura*, uti est in MSS. Flor. Guelf. edd. Put. Ber. sqq.

Britannico iussit. cf. not. ad 4, 72.

exsurgeret. Ed. Spir. *exurgere.* Mox MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. *rebus*, omisso *que*, quod in Guelf. sec. m. addidit. Pro *orta* MS. Guelf. dat *orata*, *vox* pro *nox.* Pro *exemerat* MS. Agr. *cxemerant.*

pararique. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pich. et Iac. Gronov.) edd. I. Gronov. Ernest. sqq. Ita etiam edd. Pichen. de anno 1607. et 1609. *parari* sine copula MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd.

ius cura attinebatur damnata veneficii nomine Locusta, multa scelerum fama. nam ut proximus quisque Britannico neque fas neque fidem pensi haberet, olim provisum erat. Primum venenum ab ipsis educatoribus accepit tramisitque exsoluta alvo, parum validum sive temperamentum inerat, ne statim saeviret. Sed Nero lenti sceleris impatiens minitari tribuno, iubere supplicium veneficae, quod, dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitatem morarentur. promittentibus dein tam praecipitem necem, quam si ferro urgeretur, cubiculum Caesaris iuxta decoquitur virus cognitis antea venenis rapidum.

XVI. Mos habebatur principum liberos cum ceteris idem aetatis nobilibus sedentes vesci in aspectu propinquorum propria et parciore mensa. illic epulante Britannico, quia cibus potusque eius delectus ex ministri

Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

tramisitque. Sic MS. Flor. (test. Vict. et Iac. Gron.) ex usu Taciti. Edd. vett. et recentt. *transmisitque.*

validum. Hoc vocabulum deest in ed. Spir. Eadem mox cum MS. Guelf. (sec. m.) *tumorem* pro *rumorem.* Ed. Beroald. ante *rumorem* omittit *dum*, quod Victorius addidit e MS. Flor. Pro *respiciunt* et *parant* Ernestius volebat *respiciant* et *parent.* Sed vid. not. ad 2, 26. Ramshorn. Gr. §. 195. p. 619. c).

securitatem. Ed. Spir. et MSS. Bud. Guelf. *securitate.* Litteram *m* absorpsit sequens verbum.

dein. Ed. Spir. *dehinc.* Eadem omittit vocabulum *Caesaris.*

urgeretur. MS. Agr. *necaretur.*

Cap. 16. *idem aetatis.* MS. Guelf. *eiusdem aetatis.* Verum cf. Ramshorn. Gr. p. 236.

parciore. Ed. Spir. *partiore.*

quia cibus potusque eius delectus ex ministri gustu explorabatur. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald., cui scripturae, quantum constat, patrocinantur codd. MSS. omnes. Eadem sunt in ed. Spir. nisi quod habet *ministris* pro *ministri.* Sed quia de idoneo horum verborum sensu desperabant, viri docti (auctore Lipsio. cf. eiusd ed. de an. 1574. in not. ad h. l.) locum constituere sic: *quia cibos potusque eius delectus ex ministris gustu explorabat.* Attamen nil MSStorum et vett. edd. ratione sanius esse potest. *Delectus* Britannici *cibus potusque* est, quem sibi ex iis, quae apponebantur, delegerat vel deligi iusserat. Non enim omnium, qui una sedebant vescentes, liberorum nobilium cibos potusque, antequam degustarent, exploratos esse putabis; sed principum modo liberorum, ut hic Britannici. Ceteri utebantur cibo potuque non explorato. Recte igitur legimus: *cibus potusque eius delectus . . . explorabatur.* Deinde *ex ministri gustu explorabatur* multo melius dici videtur, quam *delectus ex ministris gustu explorabat.* Nam cur *delectus* ex ministris? Nec degustabat minister

gustu explorabatur, ne omitteretur institutum aut utriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est. innoxia adhuc ac praecalida et libata gustu potio traditur Britannico: dein, postquam fervore aspernabatur, frigida in aqua adfunditur venenum, quod ita cunctos eius artus pervasit, ut vox pariter et spiritus raperentur. trepidatur a circumsedentibus, diffugiunt imprudentes. at quibus altior intellectus, resistunt defixi et Neronem intuentes. Ille, ut erat reclinis et nescio similis, solitum ita ait per comitialem morbum, quo primum ab infantia adflictaretur Britannicus, et redituros

ut sibi constaret de veritate ciborum, sed ut ex eius gustu principi cibus exploratus esset h. e. *explorabatur ex ministri gustu.* Kiesslingius censet legendum: *cibus potusque eius delecti ex ministri gustu explorabatur.*

ne omitteretur. MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. *ne omitteret*, quod nescio an defendi possit atque referri ad Neronem. Facilior est vulgata scriptura, quam dedere Ber. Alc. Rhenan. sqq. unde? non proditur. Ed. Spir. et MS. Guelf. etiam *proderet* pro *proderetur.* Eadem ed. Spir. *ac libata* pro *et l.; datur* pro *traditur.* Sub voce *praecalida* Victorius adnotavit haec: „Calida enim utebantur. Ammian. lib. XXVIII. 583. *neque aquam vulg. calefaceret quanquam* etc. et eodem libro 586. *ut si aquam calidam tardius attulerit servus* etc." Lipsius adfert locum Arrian. 1, 13. Senec. de ira 2, 25.

adfunditur. MS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) *affunditur.* Ita et MS. Bud. et inde Rhen. sqq. — *effunditur* ed. Spir. — *infunditur* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Cf. 6, 28. Hist. 5, 23.

eius artus. Ed. Spir. *artus eius.* Eadem *etiam spiritus* pro *et spiritus.* Post *spiritus* Ernestius auctoritate MS. Reg. delevit *eius*, quod prius edebatur. MS. Bud. id pronomen ponit post *vox.*

trepidatur. Sic MS. Guelf. edd. vett. (cum silentio Victorii). — MS. Bud. et inde Rhen. sqq. *trepidatum.* Veterem scripturam Ernestius restituit. Pro *circumsedentibus* MS. Ies. habet *circumstantibus.*

reclinis. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. recentt. inde a Lipsii prima. — *reclivis* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. cf. not. ad 14, 5.

quo primum ab infantia Sic libri vett. omnes praeter cod. MS. Agr. qui dat *prima*, idque volebat Acidalius. Freinshemius *primum* accipit pro *plurimum.* Frustra uterque. *Prima ab infantia* est *von frühester Kindheit an* (cf. 1, 4), ut ita *prima infantia* opponatur *posteriori infantiae* h. e. Britannicum infantem non solum, sed etiam minima infantiae aetate adflictatum esse morbo comitiali. Quod an sibi velit Nero, satis dubito. At *primum ab infantia* est *schon von Kindheit an* vel *früh schon von Kindh. an*, ut ita infantia, ubi primum adflictaretur, opponatur adolescentiae vel pueritiae qua nunc est. Hoc sibi velle Neronem non est quod uberius doceam. Eodem significatu *primum* legitur 14, 63.

paulatim visus sensusque. At Agrippinae is pavor, ea consternatio mentis, quamvis vultu premeretur, emicuit, ut perinde ignaram fuisse ac sororem Britannici Octaviam constiterit. quippe sibi supremum auxilium ereptum et parricidii exemplum intelligebat. Octavia quoque quamvis rudibus annis dolorem, caritatem, omnis adfectus abscondere didicerat.

XVII. Ita post breve silentium repetita convivii laetitia. Nox eadem necem Britannici et rogum coniunxit proviso ante funebri paratu, qui modicus fuit. in campo tamen Martis sepultus est adeo turbidis imbribus, ut vulgus iram deum portendi crediderit adversus facinus, cui plerique etiam hominum ignoscebant antiquas fratrum discordias et insociabile regnum aestimantes.

visus sensusque. MS. Agr. *sensus visusque.*

Agrippinae. Ed. Spir. *Agrippina.*

emicuit. Ernestius volebat *eminuit.* At pavor et consternatio, quae vultu premuntur, *emicare* quidem possunt, minime vero *eminere*; nam ideo premuntur, ne emineant.

ac sororem Britannici Octaviam. Hunc verborum ordinem Ernestius instituit, ut ipse adfirmat, ex ed. Spir. Sed in ed. Spir. et MS. Reg. est *Britannici sororem Octaviam*, omissa particula *ac.* Ante Ernestium edebatur: *ac Octaviam sororem Br.*, quae series est in MSS. Guelf. Bodl. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *atque Octaviam s. Br.* MSS. Harl. Ies., uti olim coniecerat Faërnus. Broterio vocabulum *Octaviam* delendum esse videbatur. Recte; nisi malis *atque Oct.* Nam *ac Octaviam* certe non est a Tacito profectum.

caritatem. Ed. Spir. *caritate.* Eadem pro *convivii* habet *communi*, quod in ceterorum librorum pro vulgata scriptura consensu adnumerandum est innumeris istius libri vitiis.

Cap. 17. *paratu.* Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. edd. Spir. Pichen. sqq. Victorius intactum reliquit *apparatu*, quod est in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Rhen. tamen voluerat dare *paratu.* Saepius utrumque vocabulum confunditur. cf. not. ad 11, 30. Hist. 2, 59.

modicus. MS. Guelf. *mortuus.*

Martis. Sic MSS. Flor. (test. V. c. Pich.) Harl. Ies. Guelf. edd. Pich. sqq. *Martio* MS. Bodl. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

sepultus est. cf. not. ad 2, 73.

deum. MS. Guelf. *dei.* — *portendi.* Ed. Spir. *ꝑtēdi* h. e. *protendi.*

plerique etiam. In MS. Guelf. omitti *etiam* tradidit Ernestius, quae tamen particula satis ibi nec frustra adest: intendit, confirmat vocem *plerique.* Quippe homines ignoscebant, non unus et alter, sed plerique etiam.

et insociabile. Ed. Spir. *et insatiabile.*

aestimantes. Sic sive *estimantes* MSS. Vat. 1958. Guelf. Agr. (a sec. m.) edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

Tradunt plerique eorum temporum scriptores crebris ante exitium diebus inlusum isse pueritiae Britannici Neronem, ut iam non praematura neque saeva mors videri queat, quamvis inter sacra mensae ne tempore quidem ad complexum sorori dato ante oculos inimici properata sit in illum supremum Claudiorum sanguinem stupro prius quam veneno pollutum. Festinationem exsequiarum edicto Caesar defendit, id a maioribus institutum referens subtrahere oculis acerba funera neque laudationibus aut pompa detinere. ceterum et sibi amisso fra-

Ernest. sqq. — *extimantes* MSS. Flor. (test. Pich.) Vatic. 1863. Agr. (pr. m.) les. edd. Spir. et Pich. (non Guelf., uti Ern. tradidit). Victorius sapienter intactum reliquit *aestimantes* in ed. Beroaldi; nam *extimantes* diversa tantum scriptura est pro *aestimantes*. cf. not. ad Hist. 1, 14 et 16. 2, 23. 4, 73 et 81. et alibi. Ea tamen scriptura multis fraudi fuit, ut existimarent scribendum esse *existimantes*, uti est in MSS. Bud. Reg. edd. Rhenan. sqq. (praeter Pichen.) usque ad Ernestium. Ceterum *aestimare* est *schätzen*, *erwägen*, perpendere, reputare; *existimare* est consequens aestimationis, opinari, arbitrari, sententiam s. iudicium ferre.

inlusum isse. Ex emendatione Lipsii, quam deinceps ab I. Fr. Gronovio omnes recepere. MSS. Flor. Bud. Reg. Agr. Guelf. et qui inspecti sunt Broterio, edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. *illusum esse*, quod Rhenanus correxerat in *illusisse*. Sed potior Lipsii via ob verba praecedentia: *crebris diebus*.

saeva. MS. Guelf. *scaeva*, quod eximie placet Strombeckio, qui tamen fatetur saepius in illo libro legi *sc* pro *s*. Addo *saevus*, *saevire* fere semper ibi scribi *scaevus*, *scaevire*. Hic ceteri libri quantum constat omnes consentiunt in *saeva*, et *saevum* dicitur id malum, quod modum excedit. cf. 1, 35. Similis scripturae varietas est Hist. 2, 88.

sorori. Sc. Octaviae, de qua ut germana nunc potissimum sermo est. MS. Reg. et ed. Spir. *sororum*. Mox eadem ed. Spir. pergit: *Festinatione exequiarum edicta Caesar descendit id a maioribus instutum referens*. MS. Guelf. *ne quidem tempore ad complexum s. d.*

pollutum. MS. Guelf. *corruptum*.

id a maioribus. Id vett. libri omnes habent. Ernestius delevit; plane enim non modo frigere, sed legibus dicendi etiam repugnare dicit. At solent ita scribere optimi auctores. cf. Sallust. Cat. c. 12, *perinde quasi iniuriam facere id demum esset imperio uti.* Noster Hist. 4, 33. *Id solum . . . monuit subsignano milite media firmare.* Germ. c. 10. *et illud quidem etiam hic notum avium voces volatusque interrogare.* Ann. 15, 35. codd. quidam: *iussi id accusatores obiicere, prodigum . . . esse,* Etenim voculae illae *id*, *illud*, *hoc* eam habent vim, ut sententiam sequentem magis exhibeant. cf. not. ad 15, 35. Video et Kiesslingio illud *id* revocatum.

aut pompa. Haec verba absunt ab ed. Spir. Eadem pro *detinere* habet *retinere*. MS. Bud. *neque laud. aut pompam detinere preces effundere.* MS. Guelf. *praeceps effundere.* Alii libri id additamentum non agnoscunt, quod fortassis e glossemate inrepsit.

et sibi. Ed. Spir. *exili.* MS. Bud. test. Rhen. ante *tanto* omittit

tris auxilio reliquas spes in re publica sitas, et tanto magis fovendum patribus populoque principem, qui unus superesset e familia summum ad fastigium genita.

XVIII. Exin largitione potissimos amicorum auxit. nec defuere qui arguerent viros gravitatem adseverantes, quod domos, villas id temporis quasi praedam divisissent. alii necessitatem adhibitam credebant a principe sceleris sibi conscio et veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. At matris ira nulla munificentia leniri, sed amplecti Octaviam, crebra cum amicis secreta habere, super ingenitam avaritiam undique pecunias quasi in subsidium corripere, tribunos et centuriones comiter excipere, nomina et virtutes nobilium, qui etiam tum supererant, in honore habere, quasi quaereret ducem et partes. Cognitum id Neroni, excubiasque militares, quae ut coniugi impe-

et. Guelf. scribit *ammisso*, et *fovendis* pro *fovendum.*

Cap. 18. *defuere.* Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gr.) Reg. Bud. Agr. edd. Spir. Ernest. sqq. *defuerunt* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

villas. Sic codd. MSS. quantum constat omnes et edd. Spir. Ernest. sqq. Victorius tamen intactum reliquit *villasque*, quod edidere Put. Ber. Alc. Rhen. sqq. quum collatio Gronov. e MS. Flor. ferat *villas.*

praedam. Sic MSS. Flor. Reg. Bud. edd. Spir. Ber. Ryck. sqq. — *praedas* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. M. et V. Alc. Rhenan. sqq. usque ad Ryckium. Scilicet fuere, qui *domos* et *villas* *praedas* potius esse quam *praedam* putarent.

divisissent. Ed. Spir. *divisisset.*

corripere. Ex emendatione Lipsii, quam recepere Bip. Oberl. sqq. Vett. libri omnes *corripiens*, quod an necessario mutetur dubitari adhuc licet.

excipere. Ed. Spir. *accipere.* Eadem utriusque verbi permutatio c. 25.

quaereret. MS. Guelf. *quaerere.*

ducem et partes. Ed. Spir. *d. et patres.* Roth. p. 35. *ducem et partes* esse ἓν διὰ δυοῖν censet. Non satis recte, ut mihi videtur. *Ducem* quaerebat in *nobilibus*, *partes* apud tribunos et centuriones. Valent etiam hic quae notavi ad 1, 10. sub v. *habitu cultuque.*

quae ut coniugi imperatoris solitum, ut matri servabantur. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) et MSS. Bud. Guelf. Reg. Bene. Prius *ut* coniungendum est cum *solitum*, ut significet *quemadmodum;* alterum *ut* pertinet ad vocem *matri*, ut sit *tanquam.* Minime tamen celabo in Guelf. legi *soli tum.* Proxime ad Florentinum accedit ed. Spir. quae dat: *quae ut coniugi imperatoris: soli cum ut matri servabantur.* Ryckius e MS. Flor. secundum Gronovii collationem protulit haec: *quae ut coniugi i. solitum tĩ et ut matri s.;* lege: *solitum, tum et ut m. s.* Sed negat Iac. Gron. copulam *et* ibi esse. Cum nostra ratione consentiunt MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq.

ratoris solitum, ut matri servabantur, et Germanos super eundem honorem custodes additos degredi iubet. ac ne coetu salutantium frequentaretur, separat domum matremque transfert in eam, quae Antoniae fuerat, quotiens ipse illuc ventitaret, septus turba centurionum et post breve osculum digrediens.

XIX. Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est quam fama potentiae non sua vi nixa. statim relictum Agrippinae limen. nemo solari, nemo adire, praeter paucas feminas amore an odio incertas. ex quibus erat Iunia Silana, quam matrimonio C. Silii a Messallina depulsam supra rettuli, insignis genere, forma,

nisi quod scribunt *soli tum et ut m.* — MS. Agr. et inde edd. Ryck. et Broterii pro *ut matri* habent *et matri.* Lipsius emendaverat: *quae ut coniugi imperatoris olim*, *tum et ut matri*, quae recepta a Pichena hodie vulgantur. Kiesslingius vult: *solitum*, *tum ut matri.* Sed illud *tum* supervacaneum est.

degredi. Ex emendatione Ernestii. Vett. libri *digredi*, quod nescio an possit defendi. Nam *degredi* quidem verbum est usitatum de militibus statione abeuntibus; hic tamen Nero illos non solum iussit degredi statione, sed plane dimisit ab illa statione, ut non redirent, plane abolevit illam stationem.

separat. MS. Guelf. *seperat.*

Antoniae. Ernestius ad h. l. „maioris, ut opinor, quae avia Neronis." Edd. Put. M. et V. cum MS. Guelf. pro *in eam* habent *in ea.*

Cap. 19. *instabile ac fluxum.* Synonyma. cf. Roth. p. 15.

non sua vi nixa. Sic libri vett. quantum innotuit omnes. Deinde emendationis causa a Lipsio et sequentibus editoribus receptum est *nixae.* Ernestius restituit *nixa*; Bekkerus *nixae*, quem sequi nolo, donec idonea vett. librorum auctoritas accedat. Nam per se utraque ratio valet. Fama potentiae nititur sua vi, si non vana est aut vera potentia destituitur; potentia nititur sua vi, si non ex aliorum favore aut vanis rebus pendet. Id tantum addo, Tacitum, si *nixae* scripsisset, dicturum fuisse: *potentiae fama*, non *fama potentiae.*

incertas. Sic MSS. Flor. (test. V.) Bud. Reg. Bodl. ed. Spir. — *incertum* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. et, nisi fallor, MSS. de quibus tacent viri docti. Sed praeferendum *incertas* h. e. de quibus non satis certo dici potest, utrum amore, an odio adierint. Nam eo sensu saepius *incerta* dicuntur. *Incertum* ambiguitatem loco adfert. Nescis enim, utrum ad *paucas* feminas pertineat, an eo sit referendum, quod nemo solatus est, nemo adiit.

Iunia. Sic edd. recentt. inde a Lipsii prima, *Iulia* MS. Guelf. edd. vett. Sed cf. 11, 12.

a Messallina. Ed. Spir. *Messalinae odio.*

forma, *lascivia.* Sic MS. Flor. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Pichen. sqq. — *forma lasciva* MSS. Bud. Guelf. Ies. edd. Rhen. sqq. In MS. Harl. emendatum est *lascivia.*

lascivia, et Agrippinae diu percara, mox occultis inter eas offensionibus, quia Sextium Africanum nobilem iuvenem a nuptiis Silanae deterruerat Agrippina impudicam et vergentem annis dictitans, non ut Africanum sibi seponeret, sed ne opibus et orbitate Silanae maritus potiretur. Illa spe ultionis oblata parat accusatores ex clientibus suis Iturium et Calvisium, non vetera et saepius iam audita deferens, quod Britannici mortem lugeret aut Octaviae iniurias evulgaret, sed destinavisse eam Rubellium Plautum per maternam originem pari ac Nero gradu a divo Augusto ad res novas extollere coniugioque eius et iam imperio rem publicam rursus invadere. Haec Iturius et Calvisius Atimeto Domitiae Ne-

percara. MS. Agr. *praecara.* MS. Guelf. *precara.*

inter eas. MS. Guelf. *in terea.*

vergentem annis. MS. Guelf. *veterem annis.* Ed. Spir. *vergentem* omisso vocabulo *annis.*

opibus et orbitate. ἓν διὰ δυοῖν. cf. Roth. p. 52. opibus per orbitatem vacuis. Similiter coniunguntur *orbitate et pecunia* 14, 40.

potiretur. MS. Flor. test. Vict. *poteretur*, uti solet. cf. not. ad 3, 61.

spe ultionis oblata. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. recentt. inde a Lips. pr. Vulgo in MSS. est *speculationis causa oblata*, ut etiam in MSS. Guelf. Bud. — *Causa* inrepsit ob corruptam vocem praecedentem. Ed. Spir. sine *causa* habet *speculationis oblata.* Edd. Put. sqq. *spe ultionis causa oblata.*

deferens. MSS. Flor. (test. Vict. cum al.) Bud. (pr. m.) *differens*, haud spernendum (cf. 1, 4. 3, 12), immo in contextum recipiendum. *referens* MS. Guelf. — Pro *clientibus* MS. Agr. habet *clientulis* et supra scriptum *clientelis.* cf. not. ad 12, 36. Sed huius loci non sunt *clientuli.*

evulgaret. Ed Spir. *divulgaret.* Eadem pro *destinavisse* habet *destinasse.*

pari ac Nero gradu. Heinsius et Lünemannus volunt *pari ac Neronem gradu.* Falluntur. Nam verba: *per maternum . . . . Augusto*, non sunt accusatoris, quasi delatum esset: *Plautum per maternam o. pari ac Neronem gradu a d. A.;* immo ab auctore haec interponuntur et accipienda sunt pro: *qui erat per mat. o. pari ac Nero gradu a divo Augusto.*

coniugioque eius et iam imperio rem publicam rursus inv. Sic MSS. Reg. Bud. (pr. m.) edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq., nisi quod pro *et iam* coniunctim scribunt *etiam*, ut saepissime. In MS. Flor. Pichena invenit haec: *coniugioque eius etiam perio*, syllaba *im* forte per compendium scripta *ĩ* et absorpta a praeced. vocabulo. Victorius intactam reliquit scripturam Beroald. necquidquam notat de superscripto verbo *potiri*, quod ibi adesse dicunt. Contra MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. (sec. m.) *coniugioque eius etiam potiri, ac rempublicam.* MS. Agr. *coniugioque eius etiam imperium et rem p.* Varia ex hac librorum varietate confinxerunt viri docti. Faërnus: *coniugio eius etiam imperium rursus.* Ursinus: *coniugioque petito remp. rursus invadere.* Pichena: *coniugioque eius*

ronis amitae liberto aperiunt. qui laetus oblatis (quippe inter Agrippinam et Domitiam infensa aemulatio exercebatur) Paridem histrionem libertum et ipsum Domitiae impulit ire propere crimenque atrociter deferre.

XX. Provecta nox erat et Neroni per vinolentiam trahebatur, cum ingreditur Paris solitus alioquin id temporis luxus principis intendere, sed tunc compositus ad maestitiam, expositoque indicii ordine ita audientem exterret, ut non tantum matrem Plautumque interficere, sed Burrum etiam demovere praefectura destinaret tanquam Agrippinae gratia provectum et vicem reddentem. Fabius Rusticus auctor est scriptos esse ad Caecinam Tuscum codicillos mandata ei praetoriarum cohortium cura: sed ope Senecae dignationem Burro retentam. Plinius et Cluvius nihil dubitatum de fide praefecti referunt. Sane Fabius inclinat ad laudes Senecae, cuius

etiam pacto. I. c. Gronovius: *coniugioque eius clam petito.* Hillerus: *coniugioque eius etiam imperium potiri ac r. inv.* Heinsius: *coniugio fretam et suetam imperio.* Sed I. Fr. Gronovius recte vidit salvam esse veterem scripturam particula *etiam* diducta in *et iam* h. e. *καὶ δή*, *und nun*, *und sofort.* — *imperio* sc. Rubellii Plauti, *invadere*, intellige destinavisse. At nuper Kritzius (*Allgem. Schulz.* 1830. nr. 17.) censuit legendum *imperium rei publicae*, quod vix habebit, cui placeat. Id tantum contra illum addo, *invadere rem p.* non esse vexare, lacerare rem p., sed cum vi potiri re publica. cf. An. 1, 10. *invaserit fasces et ius praetoris.*

Cap. 20. *nox.* Ed. Spir. *vox*, vulgari confusione.

vinolentiam. MSS. Guelf. Reg. Ies. ed. Put. V. *violentiam.* Vulgatum tuentur edd. Spir. Put. M. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq.

luxus. Sic MSS. et edd. vett. Non igitur Pichena illud induxit, ut videtur Kiesslingio. Rhenanus ex ingenio dederat *lusus*, quod sublatum a Pichena restituit Ernestius et nuper Kiesslingius. Melius tamen Bip. Oberl. sqq. repetivere veterem scripturam. *Luxus* sunt *Ausschweifungen*, *Schwelgereien.* cf. 4, 67. *tanto occultior in luxus.*

indicii. Ed. Spir. *iudicii.* Eadem *amovere* pro *demovere.* MS. Guelf. edd. Put. sqq. c. Lips. prima. *dimovere.* Lipsii post. Pich. sqq. *demovere.*

Fabius Rusticus. cf. An. 14, 2. 15, 61. Agr. c. 10. Vid. Herrmann Iustus *de fide Taciti.* 1827. p. 15.

dignationem. cf. not. ad 1, 34.

Cluvius. M. Cluvius Rufus. Hist. 1, 8. 76. 2, 58. 65. 3, 65. 4, 39. 43. An. 14, 2. Plin. epp. 9, 19. Sueton. Ner. c. 21. cf. Iustus l. l. Ceterum *Cluvius* est in MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq. *Clivius* MS. Guelf. edd. vett.

inclinat. MS. Guelf. *inclinata.* Superfluam litteram traxit a vocula sequenti.

amicitia floruit. nos consensum auctorum secuti, quae diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus. Nero trepidus et interficiendae matris avidus non prius differri potuit quam Burrus necem eius promitteret, si facinoris coargueretur: sed cuicunque nedum parenti defensionem tribuendam: nec accusatores adesse, sed vocem unius ex inimica domo adferri. refutare tenebras

consensum. Ed. Spir. *inconsensum.*

secuti. Sic MS. Reg. edd. Spir. et Ernest. sqq. — *secuturi* MSS. Guelf. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. Rhenan. sqq. usque ad Ernest. In MS. Bud. id verbum deest; sec. m. additum *secutum.*

quae diversa prodiderint. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. Sed MSS. Bud. Reg. Agr. et, si fides Ryckio, etiam Flor. cum ed. Spir. ferunt *qui* pro *quae.* Broterius de suis MSS. tacet, quare coniicio eos codd. conspirare cum Guelf. et falso Ernestium prodidisse omnibus MSS. inesse *qui.* Iam quod Ernestius adfirmat, „res tradi, non scriptores", minime ex omni parte verum est. Nam Tac. An. 1, 13. *pro Arruntio quidam Cn. Pisonem tradidere.* Vulcat. Gallican. in Avidio Cassio c. 5. de Aemilio Partheniano scribit: *affectatores tyrannidis iam inde a veteribus historiae tradidit.* Possunt igitur et res tradi et viri. Hic tamen *qui* tolerari nequit, nisi accipias pro *si qui.* Potuit etiam *si* excidere, aut absorberi a voce *secuti,* unde originem traxisse videtur *secuturi.* Varietas scripturae orta est e compendio *q̄*, quod est *qui* et *quae.* Deinde *prodiderint* codd. MSS. Flor. Guelf. aliique, edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *prodiderunt* MS. Agr.; *prodiderant* (a sec. m. *prodiderint*) MS. Reg.

ipsorum. Ed. Spir. *eorum.*

trademus. Ne festines, ut ex opinione Ernestii mutes in *tradimus* vel *tradidimus.* Nam tempore futuro Tacitus cum Graecis utitur, ut exprimat id sibi solitum, destinatum, propositum esse. cf. not. ad 11, 27. sub verbo *tradam.*

differri. H. e. in aliud tempus reiici. MS. Reg. ed. Spir. *differre,* male. De usu verbi cf. 2, 36. Hist. 2, 71. Oudendorp. ad Suet. Iul. c. 82. Schwarz. ad Plin. Paneg. c. 26, 2. Baumgarten - Crus. in Clav. Suet. sub h. v.

cuicunque. MS. Agr. *cuique.* Ed. Spir. *cuiusque.*

refutare. Lipsius malebat: *reputaret.* Wagnerus (observatt. crit. ad Tac. in bibl. crit. Seebod. 1820. p. 852) *reputare* (sc. accusatores vel accusatorem) (*der Ankläger bringe in Rechnung, daſs es tiefe Finsterniſs sey*). Quam rationem spero nemini fore probatam. Alii rectius traditam scripturam retinent, at satis contorte explicant. *Refutare* est verbum a re coquinaria desumtum, significat ferventem in olla aquam infuso frigido repellere, compescere. Tum in universum est cohibere, compescere, coercere, impedire: Cicer. de Haruspic. R. 4. *conatum refutare.* Id. ad fam. 1, 9. *cupiditatem refutare.* Eodem plane significatu ponitur hic. *Tenebras* est accusativus subiecti, easque Burrus dicit *refutare* sc. consilium, conatum matris subito interficiendae, de quo iam sermo est. Si quid emendandum, mallem: *re-*

et vigilatam convivio noctem omniaque temeritati et inscitiae propiora.

XXI. Sic lenito principis metu et luce orta itur ad Agrippinam, ut nosceret obiecta dissolveretque vel poena lueret. Burrus iis mandatis Seneca coram fungebatur. aderant et ex libertis arbitri sermonis. Deinde a Burro, postquam crimina et auctores exposuit, minaciter actum. Agrippina ferociae memor, „Non miror," inquit, „Silanam nunquam edito partu matrum ad„fectus ignotos habere. neque enim perinde a parenti„bus liberi quam ab impudica adulteri mutantur. nec „si Iturius et Calvisius adesis omnibus fortunis novissi„mam suscipiendae accusationis operam anui rependunt, „ideo aut mihi infamia parricidii aut Caesari conscientia „subeunda est. Nam Domitiae inimicitiis gratias age„rem, si benevolentia mecum in Neronem meum cer-

futare et tenebras etc. ut ita altera ratio priori adiici videatur.

inscitiae. Sic edd. Spir. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. et MSS. Flor. (secundum collat. I. Gronovii) Reg. Agr. Contra *inscientiae* MSS. Guelf. Oxon. (I. Gronov.) edd. Put. M. et V. Broterius de suis libris tacet.

Cap. 21. *et luce orta.* Ernestius *et* delendum esse censet. Male. Nam *luce orta* etiam pendet e vocula *sic*, et dixerat Burrus, *refutare tenebras*, et ob tenebras etiam res erat dilata. cf. not. ad 1, 55. sub verbis *initio veris et rep.* etc.

poena lueret. Sic MS. Reg. edd. Spir. et Ernest. Broterii sqq. *poenas lueret* MSS. Bud. (*penas*) Guelf. Harl. Bodl. les. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Parum interest. cf. c. 35. *capite poenas luebat*; 14, 11. *et luisse eam poenam conscientia.* Ernestius nimis forfasse festinavit mutationem.

iis mandatis. MS. Guelf. ed. Spir. *his mandatis*, vulgari confusione.

deinde a Burro. Sic edd. Spir. Rhen. (e MS. Bud.) sqq. — *deinde et a Burro* MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. — MS. Guelf. pro *deinde* exhibet *dein* (sine *et*).

Agrippina. Ed. Spir. *et Agrippina.* Idem in MSS. Flor. et Guelf. esse testantur. Victorius de Florent. tacet: in Guelf. *et* supra adscriptum est. Scilicet si legis: *et Agrippina*, tum etiam legendum erit: *et a Burro*, ut *et* — *et* — invicem sibi respondeant. In hac re consentientem mihi invenio Kiesslingium.

edito. Ed. Spir. *editam*, scriptura haud satis verisimilis. Eadem *proinde* pro *perinde*. Mox ibi omittitur *si* ante *Iturius*, puncto posito ante *ideo*. Pro *suscipiendae* eadem dat *suscipiendam*.

conscientia. Intell. parricidii. Innuit Agrippina suam caedem. *Subire conscientiam* est facinus committere, quod conscientiam irritet. Interpretationes nostratium hoc loco vacillant. Pro *Caesari* MS. Guelf. dat *Caesaris*, vitiose.

„taret: nunc per concubinum Atimetum et histrionem „Paridem quasi scenae fabulas componit. Baiarum „suarum piscinas extollebat, cum meis consiliis adoptio „et proconsulare ius et designatio consulatus et cetera „apiscendo imperio praepararentur. At exsistat qui co- „hortes in urbe tentatas, qui provinciarum fidem labe- „factatam, denique servos vel libertos ad scelus cor- „ruptos arguat. Vivere ego Britannico potiente rerum

Mox *anui* edd. ante Lipsium et Lipsii prima. Dein inrepsit *anni*. Veterem veramque scripturam Gruterus restituit.

concubinum. MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Spir. *concubinam*.

extollebat. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Vaticc. 1863. et 1864. et 1958. Harl. Bodl. Ies. Guelf. (a sec. m.) Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Ernest. sqq. De MSS. Reg. et Agr. tacent. — *excolebat* edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. usque ad Ernest. Sed cf. not. ad 11, 1.

apiscendo. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) Agr. edd. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *adipiscendo* MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. sqq. Praeferendum vero *apiscendo*, quia haec scriptura nititur non solum codicis Flor. litt. Lang. scripti, sed etiam cod. MSti auctoritate, qui sex priores Annalium libros continet. cf. 3, 27. 4, 59. 6, 3. et 45.

at existat. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Ald. et nuper Bipont. — *aut existat* MSS. Bud. Guelf. et edd. Rhenan. Lips. Pich. sqq. Hoc etiam praetulit Ernestius, quia *aut* fortius videbatur quam *at*. Sed locus non patitur *aut*. Nam per *aut* Agrippina haec ita efferret, ut opponerentur proxime praecedentibus tali sensu: aut Domitia ... extollebat (h. e. aut verum est, quod dixi de Domitia), aut exsistat etc. Quae ratio absurda est. Immo Agr. iam it adversus criminationes, et priori defensioni maiora addit argumenta, cui rei unice inservit *at* (*Aber es mag aufstehen* etc.). Mox MS. Guelf. *in urbẽ*, vitiose.

labefactatam. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. *labefactam* edd. Spir. et nuper Naudet. cf. 1, 75. Hist. 2, 93. Frequens utriusque verbi permutatio. cf. Oudendorp. ad Suet. Ner. c. 38.

vel libertos. MS. Ies. *et libertos*. MS. Guelf. *ĩ libertos*.

vivere ego B. p. r. poteram. Ex Lipsii sententia signum interrogandi ponunt post *poteram*. Neque tamen vulgarem interrogationem hic quaere; sed, si est, eius generis est, de quo diximus 2, 15. (*Ich konnte wohl leben, wenn B. zur Herrschaft gelangte*). Ita et sequentia ironice dicuntur. Sunt tamen, qui verba illa: *vivere ... poteram*, sine interrogatione aut ironia dicta non satis recte accipiant. Ita Strombeckius: *Leben konnte ich* etc.

potiente. Sic edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. et sic MS. Guelf. (a pr. m.) — *potito* MSS. Harl. Reg. Guelf. (a sec. m.) ed. Spir. *potentie* MS. Ies. Tacent de ceteris MSS. — *Potiente* h. e. obtinente. cf. 6, 42. 2, 42., quem verbi usum qui ignorarent, mutavere in *potito*.

„poteram? ac si Plautus aut quis alius rem publicam „iudicaturus obtinuerit, desunt scilicet mihi accusato- „res, qui non verba impatientia caritatis aliquando in- „cauta, sed ea crimina obiiciant, quibus nisi a filio ab- „solvi non possim." Commotis qui aderant ultroque spiritus eius mitigantibus colloquium filii exposcit, ubi nihil pro innocentia, quasi diffideret, nec beneficiis, quasi exprobraret, disseruit, sed ultionem in delatores et praemia amicis obtinuit.

XXII. Praefectura annonae Fenio Rufo, cura ludorum, qui a Caesare parabantur, Arruntio Stellae, Aegyptus C. Balbillo permittuntur. Syria P. Anteio destinata, et variis mox artibus elusus ad postremum in

ac si Plautus. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. et nisi fallor vett. libri omnes, quanquam de aliis MSS. viri docti tacent. Edd. recentt. inde a Lipsii prima omnes *at si Pl.* Perperam. Nulla hic requiritur vis adversativa, sed copulativa. Eadem enim sententia ironica continuatur. *At* positum est ab iis, qui totius loci rationem non recte intelligerent. Video et Kiesslingium reposuisse *ac si.*

iudicaturus. Sic MSS. Flor. Reg. Bud. Guelf. (de aliis MSS. ita tacent, ut videantur consentire) edd. vett. omnes. MS. Agr. *invasurus*, ex inscitia librarii male emendantis. Nimirum *iudicaturus* additur, quoniam Agrippinae ea potissimum pars rei publicae timenda erat, quae versatur in iudiciis. Germanice: *und wenn P. oder irgend ein anderer das Richteramt des Staats in seine Gewalt bekommt* etc. Frustra igitur pro *iudicaturus* Lipsius volebat *iudicatusve*, Salmasius *vindicaturus*, Grotius *iudicia dictaturus.* Nihili etiam est Ernestii commentum, qui *iudicaturus* e glossemate esse suspicatur.

quibus nisi a filio absolvi non possim. Sic edd. Spir. Ernest. Broter. sqq. et ita locum legi in MS. Flor. testantur. Victorius tamen intactam reliquit scripturam: *q. n. a filio mater a. non possim*, quae est in edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. usque ad Ernestium. Amat sane Tacitus hoc genus ἀντιθέσεως. cf. not. ad 1, 55. sub verbis: *gener invisus inimici soceri.* MS. Guelf. *quibus non a filio mater absolvi non possit.* Etiam MSS. Harl. et Ies. *non possit.* MS. Vatic. 1864. *non possum.* Kiesslingius reposuit *mater.*

diffideret. Ed. Spir. *differret*, vitiose. cf. Suet. Iul. c. 3. *ingenio eius diffisus.* Hic *diffideret* absolute de eo, qui sibi rebusque parum fidit. Ad *beneficiis* e praecedentt. intellige *pro.*

praemia amicis. Ed. Spir. *amicis praemia.*

Cap. 22. *Praefectura annonae.* Ed. Spir. *praefectū ānone.*

Fenio Rufo. cf. 14, 51. 57. 15, 50. 53. etc. Hic libri vett. *Senio R.* Lipsius emendavit, et Pichena primus edidit *Fenio.*

parabantur. MS. Guelf. *patrabantur.*

P. Anteio. cf. 16, 14. 2, 6. Hic libri vett. *Pantello.* Emendavit Lipsius.

et variis. Ex Heinsii coniectura hodie edunt: *sed variis*, quum vett.

urbe retentus est. at Silana in exsilium acta. Calvisius quoque et Iturius relegantur. de Atimeto supplicium sumptum, validiore apud libidines principis Paride quam ut poena adficeretur. Plautus ad praesens silentio transmissus est.

XXIII. Deferuntur dehinc consensisse Pallas ac Burrus, ut Cornelius Sulla claritudine generis et adfinitate Claudii, cui per nuptias Antoniae gener erat, ad imperium vocaretur. eius accusationis auctor exstitit Paetus quidam exercendis apud aerarium sectionibus famosus et tum vanitatis manifestus. Nec tam grata Pallantis innocentia quam gravis superbia fuit, quippe nominatis libertis eius, quos conscios haberet, respondit nihil unquam se domi nisi nutu aut manu significasse vel, si plura demonstranda essent, scripto usum, ne vocem consociaret. Burrus quamvis reus inter iudices sententiam dixit. exsiliumque accusatori inrogatum et tabulae exustae sunt, quibus oblitterata aerarii monimenta retrahebat.

libri habeant *et*, quod restituo. Restituit etiam Kiesslingius. cf. not. ad 1, 13. sub verb. *avidum et minorem*. Mox in MSS. Guelf. Bud. deest *acta*.

et Iturius. cf. not. ad 14, 12.

Cap. 23. *deferuntur .. consensisse*. MS. Guelf. *deferruntur .. consessisse*. Idem mox *et* pro *ac*.

cui per nuptias. Sic edd. Ald. Rhenan. (de an. 1544) Lips. sqq. — MSS. et edd. vett. *qui per nuptias*. Emendationis auctor fuit Rhenanus in castigatt.

vanitatis. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. edd. Rhen. sqq. De MSS. Oxonn. et Vaticc. Broterius ita tacet, ut videantur consentire. — *vanitatibus* MS. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc.

tam grata. MS. Bud. male omittit *tam*. Pro *nominatis libertis* MS. Guelf. dat *nominatus libertus*. Idem *erant* pro *essent*.

exsiliumque. Ed. Spir. *auxiliumque*.

inrogatum. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Bekkeri. Vett. edd. et recentt. vulgo *irrogatum*.

monimenta. Sic MSS. et edd. vett. omnes. Ex I. Fr. Gronovii opinione hodie edunt *nomina*. Ernestius enim ad h. l. scribit: „Tabulae, in quibus vetera nomina, sunt illa quidem monumenta aerarii, sed non solae. Itaque verba latius patent, quam sensus patitur, et tabulae iam commemoratae sunt." Sed haec non est causa, quae necessario requirat illam mutationem. Nam verba: *obl. aer. monimenta* possunt etiam intelligi de quibusdam aerarii monimentis (*veraltete Urkunden der Schatzkammer*, non: *die veralt. U. d. S.*). *Tabulae* sunt materia, in qua monimenta perscribuntur; *monimenta* sunt ipsa scripta. Sic Noster 11, 14. *antiquissima monimenta me-*

XXIV. Fine anni statio cohortis adsidere ludis solita demovetur, quo maior species libertatis esset, utque miles theatrali licentiae non permixtus incorruptior ageret, et plebes daret experimentum, an amotis custodibus modestiam retineret. Urbem princeps lustravit e responso haruspicum, quod Iovis ac Minervae aedes de coelo tactae erant.

XXV. Q. Volusio, P. Scipione coss. otium foris, foeda domi lascivia, qua Nero itinera urbis et lupanaria et deverticula veste servili in dissimulationem sui compositus pererrabat comitantibus qui raperent venditioni exposita et obviis vulnera inferrent adversus ignaros adeo, ut ipse quoque exciperet ictus et ore praeferret.

moriae humanae impressa saxis cernuntur. Kiesslingio tamen certa videtur Gronovii emendatio. Mox MS. Guelf. *trahebat* pro *retrahebat.*

Cap. 24. *Fine.* Ed. Spir. *Finem.* Eadem *udsides* pro *adsidere.*

utque miles. MS. Bud. *ut miles.*

incorruptior ageret. Ed. Spir. *incorruptiora gerens.* Eadem pro *daret* dat *dabat.*

amotis. Edd. Put. V. et Beroald. Alc. *ammotis* (c. sil. Vict.). MS. Guelf. *motis.*

e responso. Ed. Spir. *ex responso.* Edd. vett. omnes *aruspicum;* recentt. *haruspicum* inde a Lipsii prima.

Cap. 25. *Q. Volusio.* Ed. Spir. *Volusino*, omisso praenomine.

P. Scipione. Ita e suis libris aliisque monimentis restituit Lipsius. Consentiunt edd. Spir. Beroald. At edd. Put. sqq. usque ad Lipsium *P. Cepione*, uti est in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies.

in dissimulationem sui. Ed. Spir. omittit *sui.* De re cf. Suet. Ner. c. 76. Xiphil. 61, 8 et 9.

veste servili. Sueton. l. l. *arrepto pileo vel galero.* Xiphil. l. l. ἐσθῆσι ποικίλαις καὶ κόμαις περιθέτοις ἄλλοτε ἄλλως ἐχρῆτο.

venditioni. Sic edd. Spir. Ernest. sqq. cum MS. Guelf. (a sec. m.) — *ad venditionem* MSS. Bud. Guelf. (a pr. m.) edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Iac. Gronovius tamen testatur *ad* abesse a MS. Flor., quare coniiciebat legendum *venum.* De ceteris MSS. ita tacent, ut videantur consentire in *ad vend.* Parum interest, neque illa ed. Spir. auctoritas, ut ea sola certo nitamur.

inferrent adversus ignaros. Rupertius corrigit: *inferrent adversa, ignaris* etc. Offendit enim in dictione: *vulnera inferre adversus ignaros.* Sed haec non ita cohaerent. Breviter Noster dicit: *adversus ignaros*, pro *idque agerent adversus ignaros* etc.

exciperet. Sic MSS. Flor. (test. I. Gron.) Guelf. aliique codd. et edd. vett. — *acciperet* edd. Lips. sqq. Iac. Gronovius restituit veterem scripturam. Eadem permutatio exstat 13, 18. et alibi.

et ore praeferret. Sic MSS. Flor. (test. Ryckio) Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *et fore se Cae-*

deinde ubi Caesarem esse, qui grassaretur, pernotuit augebanturque iniuriae adversus viros feminasque insignes et quidam permissa semel licentia sub nomine Neronis inulti propriis cum globis eadem exercebant et in modum captivitatis nox agebatur, Iulius quidem Montanus senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset, congressus forte per tenebras cum principe, quia vi attentantem acriter reppulerat, deinde agnitum oraverat, quasi exprobrasset, mori adactus est. Nero

sarem praeferret MSS. Guelf. Bud. Harl. Bodl. Ies., unde Rhenanus faciebat: *et ore se Caesarem praeferret;* Iac. Gronovius: *et ore cicatricem praeferret.* Frustra.

deinde ubi Caesarem ..... adactus est. Falsa distinctione hic locus laborabat in omnibus edd. Finem periodi ponebant post *agebatur.* Iam vero, quum ea ratio valde impediretur copulis, quae in vett. libris edd. et MSS. continuantur usque ad verbum *agebatur*, varia oriebantur emendandi studia. Alii delebant copulam in *augebanturque*, ut esset punctum post *insignes;* alii cum I. Gronovio ultimam ante *in modum.* Sic etiam *quidem* post *Iulius* debebat lacessi. Omnibus hisce emendationibus supersedebis, si ita distinguis locum, ut protasis continuetur usque ad verbum *agebatur;* apodosis incipiat inde a *Iulius quidem M.* Consentientem mihi invenio Kiesslingium. Sic et *quidem*, quod est in optimis libris, habebit quo referatur. Propria enim est eius vis, ut, quum in universum sint quaedam adlata, res singulas prae ceteris exhibeat. cf. Ramshorn. Gr. § 191. p. 597. not. 3. Recentiores editores in hoc loco decepti sunt interpunctione veterum editionum, quae sane punctum habent ante *Iulius.* Sed habent etiam punctum ante *nox* et ante *eadem*, saepiusque puncto utuntur pro leviore interpungendi nota. In universum nihil incertius est, quam distinctionis notae in MSS. et vett. edd. Iam de varietate scripturae notanda sunt haec. MSS. Farnes. et Agr. pro *insignes* dant *illustres.* Pro *permissa semel licentia*, quae sunt in MS. Flor. (test. Vict. c. Pichena) edd. Spir. Pich. sqq., MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. exhibent *simili licentia.* — Deinde *inulti* MS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) edd. Pichen. sqq. — *multi* MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *multis* MS. Guelf. *Quidem* adest in MSS. Flor. (toleratur enim Victorio in edit. Beroald.) Reg. Guelf. (in margine a pr. m.) edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. prima. Abest a MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. edd. Oberlin. sqq. — *quidam* substituunt edd. Lips. Pich. Grut. Bernegg. Ryck. aliaeque. Pro *captivitatis* Lipsius divinabat scribendum *captae civitatis.* Sed cf. 11, 23. 16, 16.

sed qui nondum honorem etc. cf. not. ad 2, 59.

quia vi attentantem. Sic MS. Agr. edd. Iac. Gronov. Ernest. sqq. Eadem corrupta tamen litterarum serie insunt MSS. Flor. Reg. Bud. Guelf. Bodl. Ies. ed. Spir., qui libri habent: *quia via tentantem* (vel *temptantem*), vel *qui avia tentantem.* Edd. Put. sqq. usque ad Iac. Gronovium: *quia vim tentantem.* Veram scripturam iam Danesius in vet. cod. invenerat.

agnitum. MSS. Flor. (test. Victorio) Bud. Agr. ed. Spir. *adagnitum*, quod fortuito inrepsisse non

autem metuentior in posterum milites sibi et plerosque gladiatores circumdedit, qui rixarum initia modica et quasi privata sinerent: si a laesis validius ageretur, arma inferebant. Ludicram quoque licentiam et fautores histrionum velut in proelia convertit impunitate et praemiis, atque ipse occultus et plerumque coram prospectans, donec discordi populo et gravioris motus terrore non aliud remedium repertum est, quam ut histriones Italia pellerentur milesque theatro rursum adsideret.

XXVI. Per idem tempus actum in senatu de fraudibus libertorum efflagitatumque, ut adversus male meritos revocandae libertatis ius patronis daretur. Nec deerant qui censerent. sed consules relationem incipere non ausi ignaro principe perscripsere tamen consensum sena-

credo. Vocabulum *adagnitio* est apud Tertull. adv. Marc. 4, 28. I. Fr. Gronovius coniecit *deinde et agnitum*.

gladiatores. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. edd. Spir. Ernest. sqq. — *gladiatorum* MSS. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. usque ad Ernestium. Utrumque latinum, sed *gladiatorum* non huius loci est. Nam *plerosque gladiatores* est *sehr viel Gladiatoren*; *plerosque gladiatorum*, *die meisten Gl.* cf. c. 27. *plurimis equitum*, *plerisque senatoribus*.

sinerent. H. e. non adverterent, neque se immiscerent. Muretus frustra coniecit: *sererent*.

inferebant. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Rhen. Ald. Gryph. Lips. Grut. — *inserebant* MS. Reg. ed. Spir. et Broterius. — *inferrent* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Pich. sqq. Scilicet quia praecedit *sinerent*, viri docti putabant necessario poni *inferrent*. Sed nil impedit, quominus *sinerent* accipiamus de consilio, quo Nero illos sibi circumdederat; *inferebant* de eo, quod fiebat.

et gravioris. MSS. Bud. Guelf. edd. Rhen. Ald. *ex gravioris*. Veterem scripturam Lipsius reposuit.

milesque. Ex Groslotii opinione quidam volunt *milesve* pro *milesque*. Cur enim, aiunt, milites theatro assidere, si histriones pulsi? — At quis unquam sibi persuadebit ludos in theatro tum pulsis histrionibus desiisse? Immo intellige pulsos histriones, propter quos dissidebatur (sc. *pantomimos* cf. 14, 21.); alios tamen ludos non abolitos.

Cap. 26. *patronis daretur*. Vocabulum *patronis* deest in MS. Reg. ed. Spir. Pro *incipere* MS. Reg. *recipere*. Sed cf. 5, 4. Pro *relationem* MS. Guelf. *relatione*, vitiose. Litteram postremam absorpsit prima syllaba sequentis verbi.

perscripsere tamen consensum senatus. Sic 14, 49. *at consules perficere senatus decretum non ausi de consensu scripsere. Ille* etc. MSS. Bud. Guelf. *in consensum*.

tus. Ille an auctor constitutionis fieret, ut inter paucos et sententiae adversos, quibusdam coalitam libertate inreverentiam eo prorupisse frementibus, vine an aequo cum patronis iure agerent, sententiam eorum consultarent ac verberibus manus ultro intenderent, impulere vel poenam suam dissuadentes. quid enim aliud laeso

ille an auctor constitutionis fieret, ut inter paucos et sententiae adversos, quibusdam .... frementibus, vine an aequo .... intenderent, impulere vel p. s. dissuadentes. Sic edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen., cum quibus consentit MS. Flor. (test. Pich.) et omnes libri, nisi quod in singulis verbis levis sit varietas. Ita pro *an* MS. Reg. praefert *iam* et mox idem *iurus* pro *iure.* Pro *ille* MS. Agr. dat *illi*, sic: *consensum senatus illi, an auctor.* Pro *libertate* ed. Spir. habet *libertatē*, MS. Guelf. *in libertate*, quod non est spernendum. Idem *reverentiam* pro *inreverentiam.* Pro *sententiam* MS. Ies. *sententia.* Pro *impulere* MS. Corb. *impudente*, MS. Agr. *impudentes.* Pro *poenam* MS. Agr. *poenarum.* Pro *vine an aequo* MS. Bud. *vi an equo*, omisso *ne*, a sec. m. adiecto. Sed locum e vett. librorum scriptura esse corruptum et idoneo sensu destitutum interpretes consentiunt. Quare non defuere, qui corrigerent. Rhenanus vult: *Sed consules ... principe. Perscripsere ... senatus, ille .... adversos. Quibusdam .... frementibus, vi an aequo .... eorum confutarent ac .... intenderent, implere vel poenam suam dissuadentes.* Lipsius: *Perscripsere ... senatus illi, an auctor ... et sententiae diversos.* Mox idem: *ut iam nec aequo cum patronis iure agerent. Sententia eorum consultari, an verberibus manus ultro intenderent, impune vel poenam suetam dissuadentes.* I. Fr. Gronovius: *vine an aequo c. p. i. agerent? sententiam coram confutarent, an verberibus m. u. intenderent? impellere poenam suam dissuadentes.* Vir doctus in ed. Gryph. *ut nec aequo c. p. i. agerent, sed iam coram insultarent, ac v. m. u. intenderent, impune vel poena sua gaudentes.* Ryckius adoptabat scripturam Flor. nisi quod *consultarent* mutaret in *conculcarent* vel *confutarent.* Bip. *coram cons. ac v. m. u. int. impuniti v. p. s. diss.* Hillerus: *ut ne aequo quidem c. p. i. a. ac s. e. consultarent, sed verberibus m. u. intenderent, inhibere vel p. s. diss.* Rupertius: *ut nunc iam aequo c. p. i. agerent, patientiam vel segnitiam eorum insultarent ac v. m. u. intenderent, impune* (s. *impuniti*) *vel p. s. deridentes.* Moebius in Seebod. bibl. crit. 1821. nr. 9. p. 817. *ac verberibus manus ultro intendere impulerint; vel poenam suam dissuadentes.* Quae omnia praetermissis aliorum coniecturis erant adferenda, ut cognosceres, quam vana et inrita fuerint conamina. Edd. inde a Lipsio in ceteris cum vett. consentiunt, omittunt vero *an* post *ille.* Ed. Ryck. *illi: an auctor* etc. Edd. Oberlin. sqq. *senatus: ille auctor c. f. ut inter paucos, ei sententiae adv.* etc. Ego mihi non adrogo integram loci difficillimi et fortasse corrupti explicationem; id tamen video, perperam cum praecedentibus coniungi verba *ille ... fieret.* Namque uti 14, 49. in verbis: *de consensu scripsere Caesari. Ille inter pudorem* etc. sic etiam hoc loco per *ille* alia sententia incipit. Coniunge: *Ille an auctor constitutionis fieret .... impulere* etc. h. e. quum dubitaretur, ille an auctor c. fieret ... impulere sc. u

patrono concessum quam ut vicesimum ultra lapidem in oram Campaniae libertum releget? ceteras actiones promiscuas et pares esse. tribuendum aliquod telum, quod sperni nequeat. nec grave manumissis per idem obsequium retinendi libertatem, per quod adsecuti sint.

auctor fieret. Saepissime enim *an* elliptice ponitur, omisso verbo, unde dubitatio pendeat. cf. 2, 42. *finem vitae sponte an fato implevit.* Est anacoluthon quoddam in verbis. Mox defuit Wolfius, qui ad hunc locum, uti 1, 4. (*aegro et corpore*), doceret *et* ante *sententiae* poni pro *etiam*. *Sententiae* autem ne accipe in dativo, uti solent interpretes, sed in genitivo positum, ut *sententiae adversos* intelligas eos, qui aliis adversi sunt sententiâ (*entgegengesetzter Meinung*). Post *frementibus eo prorupisse* debebat sequi *ut*; sed iterum auctor maluit elliptice loqui, omisso verbo, unde dubitatio eluceat. Nam dicendum erat: *eo prorupisse*, ut nescirent, *vine an aequo* etc., et deinde: *ut sententiam eorum consultarent ac v. m. u. intenderent.* Igitur quum incertum esset, an princeps auctor constitutionis fieret nec ne, *impulere vel p. s. dissuadentes* h. e. tum impulere (sc. ut auctor fieret) ii, qui vel poenam suam dissuaderent. Sed hic haeret aqua. Nam quid est: *poenam suam dissuadere?* et qui sunt *poenam suam dissuadentes?* De libertis certe poenam suam dissuadentibus, uti volunt quidam, hic sermonem esse negant sequentia: *Quid enim aliud* etc. quae potius clamitant, praecessisse sermonem de inrito patronorum labore circa libertos puniendos. Num *poena sua* est poena, quae sit in eorum (patronorum) potestate? Tum sententia est, impulisse eos, qui vel dissuaderent poenam lege concessam adhiberi, et verbum *dissuadere* spectat ad sequentem orationem. Lubenter concedo, rem de ellipsibus illis, quas dixi in hoc loco statuendas, satis incertam et verba: *vel poenam s. d.* nondum satis fluere. Malui tamen vett. librorum verba edere, quam sequi recentiores editiones pessime hic mutatas.

quam ut vicesimum. MS. Flor. (test. Vict.) omittit *quam ut;* MS. Guelf. habet *quam*, omittit *ut*. Ed. Spir. pro *quam ut* habet *quia*. Sed cf. 1, 64. *non aliud repperit, quam ut* etc.; 1, 9. *non aliud remedium, quam ut* etc. Pro *vicesimum* Lipsius malebat *centesimum*, quia *vicesimum* nullam habeat rationem; intra *centesimum* lapidem vero cognoscebat praefectus urbis. Sed trepidat haec coniectura, quia lex, ad quam hic respicitur, nobis est incognita. Nam Dio 55, 13. qui illam legem tangit, in universum refert: διέταξε (sc. Augustus) .... τὰ δικαιώματα, οἷς οἵ τε ἄλλοι πρὸς τοὺς ἐλευθερουμένους, καὶ αὐτοὶ οἱ δεσπόται σφῶν γενόμενοι χρήσοιντο. Satis tamen verisimilis est emendatio *centesimum;* nam haec fere est distantia Campaniae.

in oram Campaniae. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *in oram Campaniam.* Sed cf. Hist. 1, 2. 3, 60. MS. Guelf. *in ora Campanie.*

promiscuas. MS. Flor. (t. Vict.) ed. Spir. *promissas.* MS. Guelf. *permissas:* et mox *tribuendi.* Plerumque in cod. Flor. scribitur: *promiscus, a, um.* Inde vitium traxit originem.

retinendi. Miror hoc gerundium interpretibus intactum mansisse, qui alibi (cf. not. ad 2, 43.) difficiliores essent. Verum *grave* substantive ponitur pro *gravis labor, grave negotium*, et locus intelligendus est, quasi scriptum esset: *nec grave m. negotium retinendi libertatem per idem obsequium, per quod* etc. MS. Guelf. pro *grave* fert *prave.*

adsecuti sint. Ed. Spir. c. MS. Guelf. *assecuti sunt.*

at criminum manifestos merito ad servitutem retrahi, ut metu coerceantur, quos beneficia non mutavissent.

XXVII. Disserebatur contra: Paucorum culpam ipsis exitiosam esse debere, nihil universorum iuri derogandum. quippe late fusum id corpus. hinc plerumque tribus, decurias, ministeria magistratibus et sacerdotibus, cohortes etiam in urbe conscriptas. et plurimis equitum, plerisque senatoribus non aliunde originem trahi. si separarentur libertini, manifestam fore penuriam ingenuorum. Non frustra maiores, cum dignitatem ordinum dividerent, libertatem in communi posuisse. quin et manumittendi duas species institutas, ut relinqueretur poenitentiae aut novo beneficio locus. quos vindicta patronus non liberaverit, velut vinclo servitutis attineri. dispiceret quisque merita tardeque

at criminum. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Guelf. edd. Spir. Pich. sqq. — *ac criminum* MS. Reg. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Pro *ad servitutem* MSS. Harl. Guelf. Ies. *ad serviendum.*

mutavissent. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *commutavissent* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Ernestius utramque scripturam vitiosam esse putat. Coniicit: *quos beneficia non continuissent.* Sed *beneficia* non sunt intelligenda de manumissione, potius de liberali conditione, qua utebantur manumissi erga patronos. Hanc illi dicunt non potuisse efficere, ut desinerent fraudes; metu igitur opus esse, ut coerceantur.

Cap. 27. *nihil.* MS. Guelf. *nil.*

derogandum. Ed. Spir. c. MS. Guelf. *denegandum.*

decurias. Sc. scribarum, lictorum, viatorum etc., qui in decurias erant descripti. Sequentia: *ministeria magistr. et sac.* explicandi causa adponuntur vocabulo *decurias.*

plerisque. Ed. Spir. *et plerisque.* MS. Guelf. *plurimisque senatoribus senatoriis.*

separarentur. Sic MSS. Flor. (test. Ryckio sec. collat. Iac. Gronovii) Guelf. (hic *seperarentur*) Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Ernest. Brot. sqq. — *separantur* MS. Reg. ed. Spir. — *separentur* MSS. Bud. Agr. edd. Rhenan. sqq. usque ad Ernestium. Male. Optativo enim hic est locus, non coniunctivo. cf. not. ad 1, 19. Oberlinus tamen perinde esse censebat.

non frustra. Ed. Spir. *ideo frustra.* Eadem dat *potentia* pro *poenitentiae*, *locis* pro *locus.*

quos vindicta. Post *quos* MS. Guelf. habet haec: „va-(*Libertatis donatione* (non *donationem*, ut Str. tradidit) *immo u° virga praetoria*) cat."

liberaverit. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. *liberavit.*

vinclo. Sic MS. Flor. (test. Vict.), uti solet. Ceteri libri habent vulgatum *vinculo.*

concederet, quod datum non adimeretur. Haec sententia valuit, scripsitque Caesar senatui, privatim expenderent causam libertorum, quotiens a patronis arguerentur: in commune nihil derogent. Nec multo post ereptus amitae libertus Paris quasi iure civili, non sine infamia principis, cuius iussu perpetratum ingenuitatis iudicium erat.

XXVIII. Manebat nihilominus quaedam imago rei publicae. nam inter Vibullium praetorem et plebei tribunum Antistium ortum certamen, quod immodestos fautores histrionum et a praetore in vincla ductos tribunus omitti iussisset. comprobavere patres incusata Antistii licentia. Simul prohibiti tribuni ius praetorum et consulum praeripere aut vocare ex Italia, cum quibus lege agi posset. Addidit L. Piso designatus consul, ne quid intra domum pro potestate adverterent: neve multam ab iis dictam quaestores aerarii in publicas tabulas

datum. Ed. Spir. *latum*. Eadem *scriptaque* pro *scripsitque*.

expenderent. MSS. Bodl. Corb. *expedirent*.

derogent. Sic MSS. et vett. edd. quantum constat omnes. Ex Mureti opinione edd. Ernest. Broterii sqq. dedere *derogarent*, quia praecessit *expenderent*. Sed utriusque verbi ratio satis diversa est. *Expenderent* dicit, quae fieri possent, si casus daretur (*sie könnten* vel *möchten erwägen*); quare ponitur in optativo. *Derogent* vero dicit, quod iam fieri debet h. e. iubetur; igitur non pendet ex cogitatione casuum, qui esse possunt. Simile plane exemplum vidimus 3, 67. *interrogentur*. cf. ibi not.

amitae. Sc. Domitiae. cf. 13, 19.

iure civili. Ed. Spir. *vitae civili*.

Cap. 28. *Vibullium*. Sic edd. Lips. sqq. *Bibullium* edd. vett. (cum silent. Vict.) et MSS. Reg. Bodl., vulgari litterarum permutatione. MSS. Harl. Ies. *Bibulum*. MS. Guelf. *Bibulium*.

et a praetore. MS. Ies. omittit *et*, quod etiam Ernestius supervacuum esse male rebatur. Nam *et* hic habet vim explicativam, dicitque *ductos*, quia *immodestos*. cf. not. ad 1, 55.

praetorum. Ed. Spir. *praetorium*.

cum quibus. MS. Agr. *quibuscum*, ex emendatione.

designatus consul. MS. Guelf. *consul dessignatus*.

adverterent. Sic MS. Flor. (t. Vict.) — *animadverterent* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Sed Tacitus *advertere* constanter scribit pro *animadvertere*. cf. 2, 32. 3, 52. 4, 35. 54. 5, 9. 6, 40. 12, 51.

multam. Ed. Spir. *mulctam*. Sed vid. not. ad 1, 77. 6, 9. Germ. c. 12.

ab iis. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *ab his*, vulgari permutatione.

quaestores aerarii. cf. not. ad 1, 75. Mox MS. Guelf. *impublicas*.

ante quattuor menses referrent: medio temporis contra dicere liceret, deque eo consules statuerent. Cohibita artius et aedilium potestas statutumque, quantum curules, quantum plebei pignoris caperent vel poenae inrogarent. eo Helvidius Priscus tribunus plebis adversus Obultronium Sabinum aerarii quaestorem contentiones proprias exercuit, tanquam ius hastae adversus inopes inclementer augeret. Dein princeps curam tabularum publicarum a quaestoribus ad praefectos transtulit.

XXIX. Varie habita ac saepe immutata eius rei forma. nam Augustus senatui deligere permisit praefectos: deinde ambitu suffragiorum suspecto sorte ducebantur ex numero praetorum, qui praeessent. neque id diu mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos.

quattuor. Sic edd. vett. cum silentio Victorii. Rhenanus induxit *quatuor.* Pro *referrent* MS. Guelf. habet *referent.* Pro *medio temporis*, quod est in edd. Spir. Put. M. et V., Beroaldus edidit *medio tempore*, cum silentio Victorii. Rhenanus veterem scripturam restituit e MS. Bud.

artius. Sic edd. Spir. Lips. sqq. — *arcius* MS. Guelf. — *arctius* edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. sqq.

statutumque. Ed. Spir. *statumque.*

quantum curules. MS. Guelf. *quin curules.*

eo Helvidius. Sic libri vett. et recentt. I. Fr. Gronovius et Ernestius volebant *et Helvidius.* Sed *eo* indicat Helvidium occasionem contentionis sumsisse e statutis ante dictis.

Obultronium. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. edd. Rhen. sqq. — *Oblutronum* MS. Guelf. — *Obutronium* MS. Reg. edd. Spir. Put. Beroald. Alc. — *Obutronum* MSS. Harl. Bodl. Ies. Iac. Gronovius vult *Autronius.* Sed in vett. inscriptt. etiam nomen *Obultronius* invenitur.

exercuit. Ed. Spir. *exerceret.*

augeret. Ricklefs mavult *ageret.* Sed nulla est mutandi causa. *Ius adversus aliquem inclementer augere* est ius legibus descriptum excedere.

tabularum. MS. Guelf. *tabellarum.*

ad praefectos. Idem Ricklefs vult *ad praetura functos*, e cap. 29. Nam et *quaestores* fuisse *praefectos.* Minime vero. *Praefecti aerario κατ᾽ ἐξοχὴν* dicebantur viri praetorii aerario praepositi, non ita quaestores. cf. Suet. Claud. c. 9. Ceterum cf. de hac re not. ad 1, 75.

Cap. 29. *immutata.* Ed. Spir. *mutata.* Eadem *senatui permisit deligere*, et mox c. MS. Flor. (test. Pich.) *deinde* pro *dein*; porro *neque id permansit diu* pro *neque id diu mansit*; *quaestorem* pro *quaestores*; *isque* pro *iisque*; *metum* pro *metu.* MS. Flor. (test. Iac. Gronov.) *senatui deligere permisit.* Edd. Put. sqq. *permisit senatui deligere.* MS. Guelf. *eius forma rei.* Mox *premisit senatui deligere prefectos.* Dein *praessent* pro *praeessent*; *hisque* pro *iisque.*

tunc Claudius quaestores rursum imposuit iisque, ne metu offensionum segnius consulerent, extra ordinem honores permisit. sed deerat robur aetatis eum primum magistratum capessentibus. igitur Nero praetura perfunctos et experientia probatos delegit.

XXX. Damnatus iisdem consulibus Vipsanius Laenas ob Sardiniam provinciam avare habitam: absolutus Cestius Proculus repetundarum cedentibus accusatoribus. Clodius Quirinalis, quod praefectus remigum, qui Ravennae haberentur, velut infimam nationum Italiam luxuria saevitiaque adflictavisset, veneno damnationem anteiit. C. Aminius Rebius ex primoribus peritia legum et pecuniae magnitudine cruciatus aegrae

honores permisit. Sic MSS. Guelf. (ut Stromb. recte prodidit contra Ernest.) Harl. Bodl. Ies. Bud. (a sec. m.) edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. E MS. Flor. Pichena protulit *promisit,* quod etiam fuit in MS. Bud. (a pr. m.) Recepere Pichen. sqq. usque ad Ernestium, qui restituit *permisit.* Victorius quoque *permisit* intactum reliquit in exempl. suo Beroald.

deerat. Ed. Spir. c. MS. Guelf. *erat.* Idem cod. Guelf. *cum primum* pro *eum pr.*

praetura. MSS. et edd. vett. *praefectura*, aperto vitio. Debebat esse *praetura*, quod accepere Pichen. sqq. cf. Sueton. Claud. c. 24. *praetura functi.*

delegit. Ed. Spir. et MS. Guelf. *deiecit.* Eadem confusio saepius recurrit. cf. not. ad 2, 60.

Cap. 30. *iisdem consulibus.* Ed. Spir. *idem consul.* MS. Agr. *inde consul.*

avare habitam. MS. Guelf. *habitam avare.*

Cestius Proculus. Sic edd. Rhenan. sqq. — *Cesius proculus* MS. Guelf. ed. Spir. — *Cestus proculus* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. (c. silent. Vict.)

cedentibus. Sic edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — *caedentibus* edd. Put. M. et V. (solita litterarum *ae* et *e* permixtione); *credentibus* ed. Spir. et MS. Guelf.

accusatoribus. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — *accusatibus* MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir., media syllaba, ut saepe, omissa.

luxuria saevitiaque. Ed. Spir. *luxuriaque sevicia.*

anteiit. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichen.) Bud. et sic 6, 29. *Scaurus damnationem anteit;* 5, 6. *anteibo periculum.* Vulgo edunt *antevertit*, quod est in MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. De aliis MSS. silentium est.

C. Aminius Rebius. Sic Pichena et sqq. ut e MS. Flor. Consentit MS. Corb. codd. Vatt. Vertranio inspecti et vett. libri, quis Lipsius usus est. Victorius tamen intactam reliquit scripturam *Aminius Rebius,* quae est in MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. *Amminius Rebius* MS. Bud. *Caminius Robius* MS. Reg. ed. Spir. *CAminius rebius* (littera *C* a sec. m.) MS. Guelf. *Caminius rebius* idem in margine a vetere manu. *C. Annaeus Rebius* MS. Agr. Lipsius coniecit:

senectae misso per venas sanguine effugit, haud creditus sufficere ad constantiam sumendae mortis ob libidines muliebriter infamis. At L. Volusius egregia fama concessit, cui tres et nonaginta anni spatium vivendi praecipuaeque opes bonis artibus, inoffensa tot imperatorum malitia fuit.

XXXI. Nerone secundum, L. Pisone consulibus pauca memoria digna evenere, nisi cui libeat laudandis fundamentis et trabibus, quis molem amphitheatri apud campum Martis Caesar exstruxerat, volumina implere, cum ex dignitate populi Romani repertum sit res inlustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare. Ceterum coloniae Capua atque Nuceria additis veteranis firmatae sunt, plebeique congiarium quadringeni nummi

Caninius Rebilus. Nam *Rebilo* consulari sub Claudio a Seneca de benef. 2, 21. tribuuntur magnae divitiae vitaeque infamia, quae hic *Aminio Rebio*, et *Rebilus* cognomentum est gentis *Caniniae.* cf. Ryck. ad h. l. Lallemandus Lipsii coniecturam recepit.

misso. Heinsius volebat *emisso* ob locum Lucan. 7, 625. *quis cruor emissus perruperit aera venis.* Sed verbum simplex eadem vi ponitur.

infamis. Ed. Spir. *infames.*

L. Volusius. Ed. Spir. *L. Volusinus.* Sed cf. Plin. 7, 49. Tacit. An. 14, 56.

inoffensa tot imperatorum malitia fuit. H. e. ita egit, ut imperatores non offenderet, quod difficile erat in tanta tot imperatorum malitia. Lipsius infeliciter coniecit: *amicitia* pro *malitia.* Nam vix credibile est illum virum omnium imperatorum usum esse amicitia, nec quidquam in his libris de illa amicitia innotuit. MS. Agr. pro *malitia* habet *militia.*

Cap. 31. *secundum.* Edd. Put. M. et V. cum MS. Guelf. *secundo.*

exstruxerat. Sic MSS. Flor. (sec. collat. I. Gronov.) Reg. Agr. Harl. Bodl. Guelf. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. Victorius tamen intactum reliquit *extruserat*, quod est in MS. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Riv. Alciat., vulgari illa permixtione litterarum *s* et *x*. An in MS. Flor. sit *exstruxerat*, ob Victorii silentium dubito. Ryckius etiam verbum *exstruxerat*, quod dicit in MS. Flor. esse, non opponit verbo *extruserat*, sed potius scripturae *adstruxerat*, quae in edd. Pich. et Gronoviorum inrepserat. Utcunque sit, *extruserat* non est diversa scriptura. Quod autem Ernestius vult *exstruxerit*, nullo modo ferendum est. Nam Tacitus non loquitur de amphitheatro, quod Nero exstruxisse dicatur, sed quod sciebat illum exstruxisse. Aliter se habet *prodiderint* supr. c. 20., ad quem locum Ernestius provocat.

populi Romani. Ed. Spir. *rei p.* Eadem cum MSS. Reg. et Agr. post *res inlustres* addit *scribendas.*

diurnis urbis actis. cf. not. ad 3, 3. Pro *Nuceria*, quod est in MS. Guelf. (sec. m.) edd. Spir. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *miceria* exhibent edd. Put.

quadringeni. MSS. Flor. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. *qua-*

viritim dati, et sestertium quadringenties aerario inlatum est ad retinendam populi fidem. Vectigal quoque quintae et vicesimae venalium mancipiorum remissum specie magis quam vi, quia, cum venditor pendere iuberetur, in partem pretii emptoribus accrescebat. Edixit Caesar, ne quis magistratus aut procurator, qui provinciam obtineret, spectaculum gladiatorum aut ferarum aut quod aliud ludicrum ederet. nam ante non minus tali largitione quam corripiendis pecuniis subiectos adfligebant, dum, quae libidine deliquerant, ambitu propugnant.

XXXII. Factum et senatus consultum ultioni iuxta et securitati, ut si quis a suis servis interfectus esset, ii quoque, qui testamento manumissi sub eodem tecto mansissent, inter servos supplicia penderent. Redditur ordini L. Varius consularis avaritiae crimini-

drigeni. Hinc seqq. edd. male fecere *quadrageni*, quod est in edd. Lips. Grut. Veram scripturam Pichena restituit Lipsio suadente. MSS. Bodl. Ies. dant *CCCC.* — *CCCC*^{ti}. MS. Guelf. — MS. Bud. *quadrigenti.* cf. Suet. Ner. c. 10.

quintae et vic. MS. Guelf. *quinque et uicesime.*

specie. Ed. Spir. et MS. Guelf. per compendium *spē.* In eodem Guelf. desunt verba: *venalium mancipiorum remissum.*

cum venditor. Ed. Spir. *quod venditor.*

iuberetur. MS. Guelf. *iubetur.*

qui provinciam. Ex emendat. Rhenani. MSS. et vett. edd. *in provincia;* ed. Beroald. (c. silent. Vict.) *in provinciam*, quod ad veritatem propius.

aut quod aliud. Sic edd. Rhen. sqq. — *aut quid aliud* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alciat., et fortasse rectius. Nam *ludicrum* potest pro adiectivo accipi. Varietas orta est e compendio *qđ*, quod exstat in MS. Guelf.

dum quae. Ed. Spir. cum cod. Guelf. *dumque*, vulgari in illis libris vitio.

propugnant. Sic MSS. Vatic. 1864. Guelf. edd. Spir. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *propugnabant* MSS. Vatic. 1958. Bodl. Bud. (a sec. m.) edd. Put. M. et V. In marg. MSS. Vat. 1958. et Bodl. *propurgabant*, *propugnant.*

Cap. 32. *senatus consultum.* MS. Guelf. *senatus consulto.* Idem *a servis suis.*

ii quoque. Ed. Spir. *hi quoque.* MS. Guelf. *ii qȝ,* unde sec. m. fecit *ii q̊ȝ.*

L. Varius. Sic MS. Agr. edd. Oberl. sqq. — *Lurius Varius* MSS. Flor. Reg. Harl. Bodl. Guelf. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *Lusius Varius* edd. Rhen. sqq. usque ad Iac. Gronov., qui restituerat veterem scripturam. — *Lurus Varius* MS. Ies. sec. Broterium: Iac. Gronovius ibi vidit *Lurns.* Quis verum extricabit?

bus olim perculsus. Et Pomponia Graecina insignis femina, Plautio, qui ovans se de Britanniis rettulit, nupta ac superstitionis externae rea, mariti iudicio permissa. isque prisco instituto propinquis coram de capite famaque coniugis cognovit et insontem nuntiavit. Longa huic Pomponiae aetas et continua tristitia fuit. nam post Iuliam Drusi filiam dolo Messallinae interfectam per quadraginta annos non cultu nisi lugubri, non animo nisi maesto egit. idque illi imperitante Claudio impune, mox ad gloriam vertit.

XXXIII. Idem annus plures reos habuit. quorum P. Celerem accusante Asia, quia absolvere nequibat Caesar, traxit, senecta donec mortem obiret. nam Celer interfecto, ut memoravi, Silano proconsule magnitudine sceleris cetera flagitia obtegebat. Cossutianum Capitonem Cilices detulerant maculosum foedumque et idem ius audaciae in provincia ratum, quod in urbe exercuerat. sed pervicaci accusatione conflictatus postremo defensionem omisit ac lege repetundarum damnatus est. Pro Eprio Marcello, a quo Lycii res repetebant, eo usque ambitus praevaluit, ut quidam ac-

Plautio. cf. Agr. c. 14. Ed. Spir. *Platio.* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *Plantio.* Edd. Lips. sqq. *Plautio.*

de Britanniis. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. *de Britannis.* Ceteri libri vulgatum tuentur, nisi quod MS. Agr. *qui ovasset de Britannis, nupta.*

superstitionis externae. Puta Christianismi.

nuntiavit. Int. senatui, a quo ei iudicium permissum, ne cum interpretibus quibusdam ex V. C. Ursini mutes in *pronuntiavit*, aut *iudicavit* cum Ernestio, aut *enuntiavit* cum Hillero.

Longa huic P. Ed. Spir. *Longa hinc P.* Bene. Mox eadem omittit *aetas.* Dein pro *quadraginta* suadente Lipsio Pichena ediderat *quatuordecim*, ut computetur a morte Iuliae usque ad hunc Neronis consulatum. Sed Gruterus recte veterem numerum reposuit.

Cap. 33. *ut memoravi.* cf. c. 1.

maculosum. Ed. Spir. *malitiosum.* Sed cf. Hist. 2, 30. Mox MS. Guelf. *improuitia* pro *in provincia.*

pro Eprio Marcello. Ed. Spir. *Proprius Marcellus*, et dein: *a quo Licires repetebant*, h. e. *Lici res r.* cf. not. ad 2, 60. Mox cum MS. Guelf. *mulctarentur.* cf. not. ad c. 28. et 1, 77. MS. Agr. *a quo Ligures repetebant*, quae vera videbantur Heinsio.

cusatorum eius exsilio multarentur, tanquam insonti periculum fecissent.

XXXIV. Nerone tertium consule simul iniit consulatum Valerius Messalla, cuius proavum oratorem Corvinum divo Augusto abavo Neronis collegam in eo magistratu fuisse pauci iam senum meminerant. sed nobili familiae honor auctus est oblatis in singulos annos quingenis sestertiis, quibus Messalla paupertatem innoxiam sustentaret. Aurelio quoque Cottae et Haterio Antonino annuam pecuniam statuit princeps, quamvis per luxum avitas opes dissipassent. Eius anni principio mollibus adhuc initiis prolatatum inter Parthos Romanosque de obtinenda Armenia bellum acriter sumitur, quia nec Vologeses sinebat fratrem Tiridatem dati a se regni expertem esse aut alienae id potentiae donum habere, et Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur parta olim a Lucullo Pompeioque recipere. ad hoc Armenii ambigua fide utraque arma invitabant, situ terrarum, similitudine morum Parthis propiores connubiisque permixti ac libertate ignota illuc magis ad servitium inclinantes.

Cap. 34. *tertium.* Ed. Spir. *tertio.*
iniit. Sic edd. Spir. et Rhen. (e MS. Bud.) sqq. — *init* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc.
oratorem. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Rhen. Ald. cum MSS. Bud. Guelf. — *auctorem* edd. quaedam ante Lipsium dederant, qui verum restituit.
oblatis .... sestertiis. cf. Suet. Ner. c. 10.
Haterio Antonino. MS. Guelf. *Acherino Antonio.* Edd. Spir. Put. M. et V. *Atherio Antonino.* — Edd. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. *Aterio Antonino.* — Edd. Lips. sqq. *Haterio Ant.* cf. 12, 58. Edd. Oberlin. et sqq. *Haterio Antonio* vitio operarum, ut videtur. Nuperrimi editores restituerunt *Antonino.*

avitas opes. Ex emendat. Lipsii. Edd. vett. cum MS. Guelf. *habitas opes.* cf. not. ad 11, 35.
dissipassent. MS. Guelf. *dispensassent.*
prolatatum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *prolata tum* edd. Put. M. et V. — *prolatum* MSS. Ies. Agr. Guelf. edd. Beroald. Alc.
sumitur. Heinsius malebat *resumitur.*
populi Romani. Ed. Spir. ut supra, ita et hic *rei .p.*
ad hoc. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bodl. cf. 15, 38. 12, 20. 14, 24. — *ad haec* MS. Guelf. edd. vett. et recentt.
illuc. Rhenanus malebat *illic,* Lipsius *illud.* Bene Kiesslingius animadvertit vocabulo *illuc* per epexegesin *ad servitium* addi.

XXXV. Sed Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum quam contra perfidiam hostium erat. quippe Syria transmotae legiones pace longa segnes munia Romanorum aegerrime tolerabant. Satis constitit fuisse in eo exercitu veteranos, qui non stationem, non vigilias inissent, vallum fossamque quasi nova et mira viserent, sine galeis, sine loricis, nitidi et quaestuosi, militia per oppida expleta. Igitur dimissis, quibus senecta aut valetudo adversa erat, supplementum petivit. et habiti per Galatiam Cappadociamque delectus, adiectaque ex Germania legio cum equitibus alariis et peditatu cohortium: retentusque omnis exercitus sub pellibus quamvis hieme saeva adeo, ut obducta glacie nisi effossa humus tentoriis locum non praeberet. ambusti multorum artus vi frigoris et quidam inter excubias exanimati sunt. adnotatusque

Cap. 35. *munia Romanorum.* Freinshemius corrigit *armorum;* Iac. Gronovius *Ro. armorum;* Heinsius *romano more.* Potest tamen et vulgata scriptura eodem significatu fungi.

stationem. Ed. Spir. *stationes.* Eadem *iniissent* pro *inissent.*

quasi nova et mira. MS. Agr. ed. Spir. *quasi et nova et mira,* inutili augmento. Heinsius coniicit: *ut nova ita mira.*

viserent. Ed. Spir. *inserent,* vulgari syllabarum confusione. Eadem pro *senecta* dat *sexus.* E MSS. Flor. et Bud. proferunt *senectus,* quod Victorius ignorat.

adversa erat. Ed. Spir. *adversa fuerat.* Sic etiam MS. Guelf.

Galatiam. MS. Flor. (t. Vict.) *Galitiam,* et sic Bud. a pr. m. Iac. Gronovius e MS. Flor. prodidit *Galiciam,* coniicitque *Ciliciam.* MS. Guelf. *Gallaciamque.* Edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. *Gallaciam.* Vulgata script. coepit a Rhenano.

Cappadociamque. Sic MS. Flor. (t. Vict.) et ed. Spir. Vulgo edunt *ac Cappadociam,* quod est in cod. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

delectus. MS. Flor. (test. Vict.) *dilectus,* quod aeque bonum esse multi consentiunt. cf. Baumgarten-Crus. in clav. Sueton. sub. h. v. Lipsium constanter hac forma uti supra adnotatum est. MS. Guelf. *delectus* cum vett. edd. Mox in MS. Guelf. e *Germania* sec. manus superscripto *c* fecit *Germanica,* decepta marginali nota, quae fert *Germanica legio.*

et peditatu. Ed. Spir. *etiam peditatū.* Eadem ante *hieme* omittit *quamvis.*

ambusti. De frigore dicitur etiam *adurere* Virg. Georg. 1, 93. *urere* Lucan. 4, 52.

adnotatusque. Sic ed. Spir. Vulgo edunt *annotatusque* cum MS. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ceterum *adnotari* ad modum verborum *dicitur, fertur;*

miles, qui fascem lignorum gestabat, ita praeriguisse manus, ut oneri adhaerentes truncis brachiis deciderent. Ipse cultu levi, capite intecto, in agmine, in laboribus frequens adesse, laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus ostendere. Dehinc, quia duritiam coeli militiaeque multi abnuebant deserebantque, remedium severitate quaesitum est. nec enim, ut in aliis exercitibus, primum alterumque delictum venia prosequebatur, sed qui signa reliquerat, statim capite poenas luebat. idque usu salubre et misericordia melius apparuit. quippe pauciores illa castra deseruere quam ea, in quibus ignoscebatur.

XXXVI. Interim Corbulo legionibus intra castra habitis, donec ver adolesceret, dispositisque per idoneos locos cohortibus auxiliariis, ne pugnam priores auderent, praedicit. Curam praesidiorum Pactio Orphito primi-

manus in accusativo more Graecorum, ut saepe, ponitur. Quare non erat, quod Ernestium offenderet.

fascem. MS. Guelf. *fassem.* Idem *honeri* pro *oneri.*

deciderent. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *decidissent* MS. Ies. — *reciderent* MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

cultu levi. MS. Agr. *cultu avi.* Heinsius volebat *cultu vili.* Sed *levis cultus* laudatur ob hiemem.

in agmine. Ed. Spir. *magnanime.*

invalidis. Edd. Put. M. et V. *in validis.* Deceperunt libri scripti, qui habent *ĩ ualidis.*

duritiam. Edd. vett. *duriciam.* MS. Guelf. *duriciem.* Sed cf. 1, 35.

deserebantque. Ed. Spir. *disserebantque.*

reliquerat. MS. Agr. *reliquerant* et mox *luebant.*

Cap. 36. *dispositisque.* Ed. Spir. *depositisque.*

auderent. MSS. Harl. Bodl. Ies. Agr. Guelf. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Rhen. sqq. *adirent.* At Pichena testatur in MS. Flor. esse *audirent.* In MS. Vatic. Lipsius repperit *auderent*, quod Pichena in contextum recepit. Ernestius veterem restituit scripturam; Lünemannus et Kiesslingius revocarunt *auderent.* Recte. Nam *pugnam adire* latinum quidem esse nemo nescit; significat vero audere aditum ad pugnam, quae iam est. At tum nulla erat pugna, quam adiri voluisset Corbulo; immo vetuit, ne inciperent pugnam, et quia pugnam incipere cum periculo coniunctum est, praedixit, ne auderent pugnam. cf. 12, 28. *aciem auso;* c. 32. *non ausis aciem hostibus.* Ceterum *audire* in MS. Flor. saepius confunditur cum *audere.* cf. not. ad Hist. 1, 6.

praedicit. MS. Agr. *edicit.* Sed vulgatum bene se habet. cf. Hist. 4, 53. *praedixere haruspices, ne*

pili honore perfuncto mandat. is quanquam incautos barbaros et bene gerendae rei casum offerri scripserat, tenere se munimentis et maiores copias opperiri iubetur. sed rupto imperio, postquam paucae e proximis castellis turmae advenerant pugnamque imperitia poscebant, congressus cum hoste funditur. et damno eius exterriti, qui subsidium ferre debuerant, sua quisque in castra trepida fuga rediere. quod graviter Corbulo accepit, increpitumque Pactium et praefectos militesque tendere omnes extra vallum iussit. inque ea contumelia detenti nec nisi precibus universi exercitus exsoluti sunt.

XXXVII. At Tiridates super proprias clientelas ope Vologesi fratris adiutus non furtim iam, sed palam bello infensare Armeniam, quosque fidos nobis rebatur, depopulari, et si copiae contra ducerentur, eludere, hucque et illuc volitans plura fama quam pugna exterrere. Igitur Corbulo quaesito diu proelio frustra habitus et exemplo hostium circumferre bellum coactus

temeraretur opus etc. An. 2, 6. *insula Batavorum in quam convenirent praedicta.* cf. not. ad 2, 79. Liv. 23, 19. *quia praedictum erat dictatoris, ne quid absente eo rei gereret.*

offerri. Hoc verbum deest in ed. Spir. Eadem mox *operiri*, uti solet, cum MS. Guelf. pro *opperiri*; dein ante *extra* omittit *omnes.*

funditur. Edd. Put. M. et V. *fuditur.*

qui subsidium. MS. Guelf. *quia subsidium.* Mox idem *redire* pro *rediere.*

tendere omnes extra vallum iussit. Hoc Corbulonis factum pro exemplo adfert Frontin. Strateg. 4, 1, 20.

inque ea cont. Ed. Spir. *quandoque ea cont.* Non Rhenanus, uti prodidit Ernestius eoque auctore alii, sed Acidalius volebat *diuque ea cont.* Heinsius *quin ea in cont.* Frustra.

Cap. 37. *clientelas.* Ed. Spir. *clientulas.* Eadem *fides* pro *fidos.*

si copiae contra ducerentur. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *si copia e contra duceretur*, vitiose. Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. cum cod. Guelf. vulgata tuentur.

eludere. Ed. Spir. *claudere.*

hucque et illuc volitans. Ex emendatione Lipsii, quam I. Fr. Gronovius probavit et Heinsius: cf. 15, 38. *hucque et illuc flexis.* Recepere Bekkerus et Kiesslingius. Libri vett. *huc quoque et illuc volitans.* Sed simplici copula opus est; vis, quae intendat, ab hoc loco aliena est. Saepius autem recurrunt exempla eiusdem confusionis.

exterrere. Sic MSS. Flor. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Pichen. sqq. — *extrahere* MS. Bud. edd. Rhenan. sqq. ad Pichenam. — *exercere* MS. Corb. Vulgatum esse verum nemo dubitat.

dispartit vires, ut legati praefectique diversos locos pariter invaderent. simul regem Antiochum monet proximas sibi praefecturas petere. Nam Pharasmanes interfecto filio Rhadamisto quasi proditore, quo fidem in nos testaretur, vetus adversus Armenios odium promptius exercebat. Tuncque primum inlecti Insechi, gens ante alias socia Romanis, avia Armeniae incursavit: ita consilia Tiridati in contrarium vertebant. mittebatque oratores, qui suo Parthorumque nomine expostularent, cur datis nuper obsidibus redintegrataque amicitia, quae novis quoque beneficiis locum aperiret, vetere Armeniae

dispartit. Ed. Spir. *dispertit* et sic 1, 51. 3, 43.

regem Antiochum. Sic edd. vett. cum MS. Flor. et inde edd. I. Gronov. sqq. — *regem Antioquū* MS. Guelf. — *Antiochum regem* edd. Rhen. sqq. ad I. Gronov. De Antiocho vid. not. ad 13, 7. De Pharasmane 11, 8.

quasi proditore. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Agr. edd. Oberlin. sqq. — *quasi proditore suo* MSS. Harl. Bodl. Ies. Reg. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald et Lips. 1574. et 1607. — *q. proditore sui* edd. nonnullae Lips. Pich. sqq. e coniectura Lipsii.

tuncque. Sic Pich. sqq. ut e MS. Flor. Victorius tamen intactum reliquit *tunc quoque*, quod est in MSS. Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Ad sensum nil interest; nam *tuncque* hic ponitur pro *tunc quoque* (cf. not. ad 1, 28.) et mirum quantum confusionis in vett. libris est de particulis *que* et *quoque*. Culpa est in compendio scripturae.

Insechi. Sic Pichena et sqq. ut e MSS. Flor. et Vatic. Sed Iac. Gronov. e MS. Flor. protulit et in contextum recepit *Insochi*. Victorius ex eodem libro dat *Isochi*. MSS. Vatic. 1864. Reg. ed. Spir. *Insichi*. MSS. Vatic. 1958. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *Isichi*. MSS. Harl. Ies. Guelf. *Ischi*. Naudetus iubet conferri *St. Martin.*, *Mém. sur l'Arménie*, p. 127. Paris, 1818. 8.

ante alias. Ed. Spir. *ante alios*. Eadem *armenia* pro *Armeniae*, mox *ita ut consilia* pro *ita consilia*. Lipsius pro *ante alias* in prioribus edd. posuerat *haud alias*. Secutus est Broterius. Etenim quae tunc primum inlecta est gens Lipsio videbatur non potuisse ante alias socia esse Romanis. Eum nodum bene dissolvit Pichena. Namque illa gens ante alias (h. e. melius quam aliae cf. 1, 27. *ante alios aetate*) socia fuit, postquam tunc primum inlecta est. Et Lipsius in extrema ed. reposuit veterem scripturam.

vertebant. Sic MSS. Flor. (sec. collat. Iac. Gronovii) Reg. Agr. edd. Spir. Ryck. sqq. Victorius tamen intactum reliquit *vertebantur*, quod est in MSS. Bud. Harl. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. usque ad Ryckium. — *vertabantur* MS. Guelf. Illud haud dubie Tacito melius convenit.

mittebatque. Ed. Spir. *mittebātque*.

beneficiis locum. Ed. Spir. *locum beneficiis*. Pro *novis* MS. Guelf. dat *nobis*, quod non displicet Strombeckio. Idem Guelf. et hic pro *quoque* a pr. manu habuit *que*, unde secunda m. fecit *quoque*.

possessione depelleretur? ideo nondum ipsum Vologesem commotum, quia causa quam vi agere mallent. sin perstaretur in bello, non defore Arsacidis virtutem fortunamque saepius iam clade Romana expertam. Ad ea Corbulo, satis comperto Vologesem defectione Hyrcaniae attineri, suadet Tiridati precibus Caesarem adgredi: posse illi regnum stabile et res incruentas contingere, si omissa spe longinqua et sera praesentem potioremque sequeretur.

XXXVIII. Placitum dehinc, quia commeantibus invicem nuntiis nihil in summam pacis proficiebatur, colloquio ipsorum tempus locumque destinari. Mille equitum praesidium Tiridates adfore sibi dicebat: quantum Corbuloni cuiusque generis militum adsisteret, non statuere, dum positis loricis et galeis in faciem pacis veniretur. Cuicunque mortalium nedum veteri et provido duci barbarae astutiae patuissent, ideo artum inde numerum finiri et hinc maiorem adferri, ut dolus

ideo nondum. Edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) *ideo nundum*, quae scriptura saepius recurrit in vett. libris.

mallent. Sic Pichen. sqq. ut e MS Flor. Victorius tamen intactum reliquit *mallet*, quod est in ceteris libris omnibus.

saepius iam. Sic MSS. Flor. (t. Vict. c. Pich.) Corb. Bud. Bodl. (in marg.) edd. Spir. Pich. sqq. — *iam* omittitur in edd. Puteol. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. et MS. Guelf., qui liber verba habet sic: *clade Romanã sepius expertã.*

comperto. Ed. Spir. *comperta.* Eadem *defectionem.* MS. Guelf. *de factione.*

Cap. 38. *in summam pacis.* Ex emendatione Faërni, quam in locum primus recepit Ernestius. MSS. et edd. vett. unanimi consensu: *in summa pacis.* cf. not. ad Hist. 2, 16.

adfore. Ed. Spir. *afferre.*

cuicunque. Ed. Spir. *cuiusque.* Eadem *patuisset* pro *patuissent;* mox *non numerum* pro *inde numerum.* MS. Guelf. *ĩ numerum.* MS. Agr. *ideo arma non numerum finiri.* Pro *artum*, quod est in ed. Spir., *arctum* et hic habent MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. —

et hinc maiorem adferri. Sic MSS. et vett. edd. praeter ed. Spir. quae dat: *et huic maiorem afferri;* et cod. Agr. qui praefert: *et hinc maiorem offerri*, test. Ryck.; *inferri*, test. Heinsio. Ryckius et Broterius recepere *offerri.* I. Fr. Gronovius volebat *ferri.* Sed *adferri* aptissime et vera latinitate dicuntur quae quis memorat in oratione (*anführen*, *erwähnen*, *gedenken*). cf. 4, 16. et 6, 15. *causas adferre.* Igitur ne converte: *auf der andern Seite eine gröſsere zugegeben*, sed *auf der a. S. eine gr. erwähnt.* Ceterum cum Bekkero sustuli plenam distinctionem ante *ideo.*

pararetur. nam equiti sagittarum usu exercito si detecta corpora obiicerentur, nihil profuturam multitudinem. Dissimulato tamen intellectu rectius de iis quae in publicum consulerentur totis exercitibus coram dissertaturos respondit. locumque delegit, cuius pars altera colles erant clementer adsurgentes accipiendis peditum ordinibus, pars in planitiem porrigebatur ad explicandas equitum turmas. Dieque pacto prior Corbulo socias cohortes et auxilia regum pro cornibus, medio sextam legionem constituit, cui accita per noctem aliis ex castris tria millia tertianorum permiscuerat una cum aquila, quasi eadem legio spectaretur. Tiridates vergente iam die procul adstitit, unde videri magis quam audiri posset. ita sine congressu dux Romanus abscedere militem sua quemque in castra iubet.

XXXIX. Rex sive fraudem suspectans, quia plura simul in loca ibatur, sive ut commeatus nostros Pontico mari et Trapezunte oppido adventantes interciperet, propere discedit. Sed neque commeatibus vim facere potuit, quia per montes ducebantur praesidiis nostris

pararetur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichen.) Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Pich. sqq. — *patraretur* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

nam equiti. MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. omittunt *nam*, quod codici Guelf. a sec. m. additum est.

intellectu. Lipsio magis ad Taciti phrasin videbatur *intellecta.*

de iis. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. — *de hiis* ed. Rhenan. — *de his* edd. Spir. Ald. Lips. sqq., vulgari confusione. Multis adhuc locis illud *hi*, *his* pro *ii*, *iis* vulgatum depellendum est, ut dicendi ratio Tacito constet.

dissertaturos. Ed. Spir. *dissertat9.* Eadem *in planitie* pro *in planitiem.*

quasi eadem legio spectaretur. H. e. quasi milites omnes in medio positi, sextani simul cum tertianis, eadem legio essent, vel quasi una tantum esset legio. *Eadem* male abest a MS. Guelf. — MS. Harl. *legio eadem.*

procul adstitit. MS. Agr. *procul abstitit.* Edd. vett. c. silentio Vict. *astitit.*

sua quemque in castra. Ed. Spir. *sua quaeque in castra.* Sed cf. 1, 30. *suis quisque hibernis redderentur.* Heinsius emendabat: *abscedere milites sua quemque in c. i.* Frustra. Nam *militem* ponitur pro *milites.*

Cap. 39. *sive fraudem.* Ed. Spir. *sine fraude.*

et Trapezunte. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *e trapezunte* ed. Spir. — *ac Trapezunte* edd. Oberlin. sqq. nescio unde.

propere. Ed. Spir. *prospere.* Eadem mox: *et corbulone irritum*

insessos, et Corbulo, ne inritum bellum traheretur utque Armenios ad sua defendenda cogeret, exscindere parat castella. sibique quod validissimum in ea praefectura cognomento Volandum sumit, minora Cornelio Flacco legato et Insteio Capitoni castrorum praefecto mandat. tum circumspectis munimentis et quae expugnationi idonea provisis hortatur milites, ut hostem vagum neque paci aut proelio paratum, sed perfidiam et ignaviam fuga confitentem exuerent sedibus gloriaeque pariter et praedae consulerent. Tum quadripartito exercitu hos in testudinem conglobatos subruendo vallo inducit, alios scalas moenibus admovere, multos tormentis faces et hastas incutere iubet. libratoribus funditoribusque attributus locus, unde eminus glandes torquerent, ne qua pars subsidium laborantibus ferret pari undique motu. Tantus inde ardor certantis exercitus fuit, ut intra tertiam diei partem nudati propugnatoribus muri, obices portarum subversi, capta ascensu mu-

bellum trahente utque etc. et dein pro *exscindere parat* ibi est *exinde: reparat.*

sibique quod. Ed. Spir. *isque quod.* A MSS. Guelf. et Oxon. Iac. Gronov. abest *quod.*

Volandum. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) Bud. Reg. edd. Spir. Rhen. sqq. — *Vallandum* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

Insteio. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. edd. Spir. Pichen. sqq. E MS. Flor. Victorius habet *Insteo.* MSS. Harl. Bodl. *Instello.* MS. Ies. *Vistello.* MS. Bud. *Iustello.* Idem a pr. m. fuit in Guelf. Sed sec. m. ibi fecit *iusteio.* MS. Agr. *Histrio.* Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *Isteo.* — *Insteii* nomen exstat apud Vellei. 2, 16. et in lapide ap. Gruter. p. 362. et 172. Lipsius et Ryckius suspicantur hunc eundem esse qui c. 9. dicitur *Histeius.* cf. ibi not.

tum circumspectis. Ed. Spir. *tamen circ.*

confitentem. MS. Agr. *sed perfidia et ignavia fuga confidentem.*

exuerent. MS. Flor. (test. Vict.) *exsuerent.*

et praedae. MS. Guelf. *gloriaeque et pariter praedae.* Ed. Spir. *praedaeque* (est vero ibi *praedeque*). Eadem *quadripertito* pro *quadripartito.*

libratoribus. MS. Flor. (test. Vict. c. al.) *libritoribus* et sic ed. Iac. Gronov. cf. not. ad 2, 20.

pari undique motu. Sic MSS. et vett. edd. Lipsius pro *motu* dederat *metu*, quod edebatur usque ad Iac. Gronovium, qui vet. scripturam e MS. Flor. restituit. Kiesslingius maluit *metu*, non addito cur displicuerit *motu.* Ed. Spir. a voce *pari* novam incipit sententiam.

obices. Sic edd. Pich. sqq. — Edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. cum MS. Guelf. *obiices.*

ascensu. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Be-

nimenta omnesque puberes trucidati sint nullo milite amisso, paucis admodum vulneratis. et imbelle vulgus sub corona venundatum, reliqua praeda victoribus cessit. Pari fortuna legatus ac praefectus usi sunt, tribusque una die castellis expugnatis cetera terrore et alia sponte incolarum in deditionem veniebant. unde orta fiducia caput gentis Artaxata adgrediendi. nec tamen proximo itinere ductae legiones, quae si amnem Araxem, qui moenia adluit, ponte transgrederentur, sub ictum dabantur: procul et latioribus vadis transiere.

XL. At Tiridates pudore et metu, ne, si concessisset obsidioni, nihil opis in ipso videretur, si prohiberet, impeditis locis seque et equestres copias inligaret, statuit postremo ostendere aciem et dato die proelium incipere vel simulatione fugae locum fraudi parare. igitur repente agmen Romanum circumfundit non ignaro duce nostro, qui viae pariter et pugnae composuerat exercitum. latere dextro tertia legio, sinistro sexta incedebat,

roald. (cum silent. Vict., quod indicat consensum MS. Flor.) Alc. Rhen. — *escensu* edd. recentiores Lipsio auctore, et inde ex eo tempore, ubi viri docti quidam ubique ponebant *escendere*, si quando de scansione in arduum locum sermo esset. Restituo veterem scripturam, quia *ascensus* recte ita dicitur. cf. Liv. 36, 24. *partim scalis ascensus tentant.* Caes. B. G. 5, 32. *novissimosque premere et primos prohibere ascensu.* Ceterum ed. Spir. verba exhibet hoc ordine: *ascensu capta m.* et pro *munimenta* eadem habet *monumenta* (vulgari confusione. cf. not. ad 1, 3.), et cum cod. Guelf. *trucidati sunt* pro *tr. sint*, *ãmodo* pro *admodum, die una* pro *una die, subiectum* pro *sub ictum*, *transire* ut Guelf. pro *transiere.*

in deditionem veniebant. MS. Agr. *in d. venere* et mox *deductae* pro *ductae.* Sed bene se habent vulgata. MS. Guelf. *capud* pro *caput.*

Cap. 40. *si concessisset.* Ed. Spir. et MS. Reg. *si consensisset.*

nihil opis. Ed. Spir. *nihil operis.*

dato die. Lipsius explicat: cum illuxisset. Pichena coniecit *claro die*, Heinsius *enato die* vel *elato.* Frustra. *Dies* hic non dicitur de luce; nullus enim sermo nunc de acie per noctem disposita: sed de tempore et occasione sive de die idoneo. Non enim omnis dies aptus est ad proelium incipiendum. cf. 4, 40. *datoque tempore.*

fraudi. Ed. Spir. *fraude.* Mox *dextero* pro *dextro.*

et pugnae. Sic edd. Spir. Put. sqq. — *ac pugnae* MS. Guelf.

incedebat. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. — *insedebat* edd. Put. M. et V. Beroald. Riv. Alciat.

mediis decumanorum delectis: recepta inter ordines impedimenta et tergum mille equites tuebantur, quibus iusserat, ut instantibus cominus resisterent, refugos non sequerentur. in cornibus pedes, sagittarius et cetera manus equitum ibat, productiore cornuum sinistro per ima collium, ut, si hostis intravisset, fronte simul et sinu exciperetur. Adsultare ex diverso Tiridates non usque ad iactum teli, sed tum minitans, tum specie trepidantis, si laxare ordines et diversos consectari posset. ubi nihil temeritate solutum nec amplius quam decurio equitum audentius progressus et sagittis confixus ceteros ad obsequium exemplo firmaverat, propinquis iam tenebris abscessit.

XLI. Et Corbulo castra in loco metatus, an expeditis legionibus nocte Artaxata pergeret obsidioque circumdaret, agitavit concessisse illuc Tiridatem ratus. dein postquam exploratores attulere longinquum regis iter et, Medi an Albani peterentur, incertum, lucem

decumanorum. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. — Ed. Spir. *decimanorum.* Locum *mediis d. d.* intelligendum esse suppleto participio verbi substantivi bene docuit I. Fr. Gronovius contra Grotium, qui emendabat *dilecti.*

resisterent. MS. Guelf. *insisterent.* Mox ed. Spir. *In cornibus pedites sagittariique: et caetera manus equitum ibat.* Quae talia mihi esse videntur, ut facilius inde fieri potuerint vulgata, quam ex his illa. Verbum *ibat* potuit fraudi esse, ut librarius putaret numerum pluralem *pedites*, *sagittarii* esse falsum. Sed cf. not. ad 1, 10. sub verbo *abstulerat* et 2, 71. sub v. *movebat.*

productiore cornuum sinistro. Ex emendatione Lipsii, quam recepere Pich. sqq. — Edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. *productiore cornu in sinistro* (c. silent. Vict.); ita etiam est in MS. Reg. Sed e MS. Flor. Pichena protulit *productiore corn' in sinistro;* collatio I. Gronovii fert *productiore corn; sinistro*, quod compendium fortasse sibi vult *cornuum.* MS. Agr. *productiore eorum sinistro;* at secundum Ryckium *productiore cornu sin.* MSS. Harl. Bodl. Guelf. Bud. edd. Rhen. sqq. et Broterii *productior cornu in sinistro* (Guelf. *cornus*). MS. Ies. *productor* test. Brot. — Iac. Gronovius ibi vidit *productior cornus in sinistro,*

adsultare. Sic ed. Spir. *assultare* edd. Puteol. aliaeque vett. — Mox pro *diversos* MSS. Bud. Guelf. dant *diversa.*

teli. Ed. Spir. *telis.* Eadem *spẽ*, uti solet per compendium pro *specie.* Pro *audentius* MS. Agr. habet *ardentius;* MS. Guelf. *aduentitius.* Sed cf. 4, 47.

Cap. 41. *obsidioque.* Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *obsidioneque* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. M.

opperitur: praemissaque levis armatura, quae muros interim ambiret oppugnationemque eminus inciperet. Sed oppidani portis sponte patefactis se suaque Romanis permisere. quod salutem ipsis tulit. Artaxatis ignis immissus, deletaque et solo adaequata sunt, quia nec teneri sine valido praesidio ob magnitudinem moenium, nec id nobis virium erat, quod firmando praesidio et capessendo bello divideretur: vel si integra et incustodita relinquerentur, nulla in eo utilitas aut gloria, quod capta essent. Adiicitur miraculum velut numine oblatum. nam cuncta extra tectis hactenus sole inlustria fuere,

et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. usque ad Ryckium. cf. 3, 39. 21. et alibi. Pro *circumdaret* MS. Reg. dat *cluderet*. Pro *illuc* MS. Corb. habet *ibi*.

opperitur. Ed. Spir. *operitur*, uti solet.

praemissaque levis armatura. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *praemissaque levi armatura* MSS. Flor. (test. Vict.) Agr. ed. Spir. Hinc Heinsius volebat *praemissa levi armatura*.

oppidani. Ed. Spir. *oppidū*. Eadem *Artaxati* (in fine versus) pro *Artaxatis*. Mox MS. Guelf. *ipsis salutem* pro *salutem ipsis* et *igitur* pro *ignis*.

adaequata sunt. Sic MS. Reg. edd. Spir. Ernest. Broterii sqq. cf. Liv. 1, 29. *publica privataque omnia tecta adaequat solo.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *aequata sunt*, quod aeque bonum est. cf. 1, 51. *solo aequantur*.

quia nec teneri. Ed. Spir. et MS. Reg. *non teneri.* Grotius corrigebat *tenere* intellecto *erat* e sqq. Alii malunt *teneri* intellecto *poterant*, quod latet in verbis *nec id nobis virium erat.*

capessendo. Edd. Spir. Ald. more suo *capescendo*. Eadem ed. Spir. *capta esset.*

velut numine oblatum. Heinsius putabat: *laevo velut numine*, quia mox sequitur *quasi infensantibus deis.* Inutilis coniectura. MS. Farnes. *velut deum numine.*

cuncta extra tectis hactenus sole inlustria fuere. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum al.) edd. Pich. et Ryck. — *Tecta* pro *tectis* exhibent MSS. Reg. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen sqq. Pro *sole inlustria* MS. Harl. habet *sole inlustri*; MS. Agr. *sole illustriora.* Quae vett. librorum ratio quum Lipsio scabra esse videretur, ipse coniecit *tectis tenus*, quod hodie vulgatur. Explicant: extra urbem usque ad tecta domusque omnia sole inlustria fuisse: inepta tautologia. Nam verba: *cuncta extra* et *quod moenibus cingebatur* accuratiorem illam definitionem non requirunt, immo respuunt. Iam vero nulla emendatione indigent veterum librorum verba. Nam satis constat vocabulum *hactenus* Tacito aliisque neglecta loci et temporis notione etiam poni, ut simpliciter significet *ita*, *in hunc modum*, sequente *ut*, vel etiam sine hac particula. cf. 14, 51. *hactenus respondisse;* 15, 60. *hactenus prompsit;* 16, 15. *hactenus manu servi usus, ut immotum pugionem extolleret;* 16, 7. *hactenus adito discrimine, ne auctor dubitaretur.* Ita et hic *hacte-*

quod moenibus cingebatur ita repente atra nube coopertum fulgoribusque discretum est, ut quasi infensantibus deis exitio tradi crederetur. Ob haec consalutatus imperator Nero: et senatus consulto supplicationes habitae, statuaeque et arcus et continui consulatus principi, utque inter festos referretur dies, quo patrata victoria,

nus spectat ad sequens *ut*, eademque fungitur vi, qua est *ita* in altero membro. Nihil tamen adversabor, si quis vocabulo *hactenus* adiungat temporis durantis notionem, ut sit *ita continuo*, *ita sine intermissione*. cf. Agr. c. 10. Ablativus *tectis* indicat rem, ad quam referas vocem *cuncta extra*, nempe ne *cuncta extra* intelligas de campis agrisque, sed de aedificiis cum singulis tum per vicos et oppida circum Artaxata sitis. Germanice: *Denn die ganze aufserhalb liegende Gegend glänzte mit ihren Häusern so ununterbrochen im Sonnenstrahl, was von den Ringmauern umschlossen, wurde so plötzlich mit schwarzen Gewölk bedeckt und von Blitzen durchschnitten, dafs* etc. Altera scriptura: *cuncta extra tecta*, uti commodior et facilior, ita minorem veritatis speciem praefert.

ita repente. MSS. Agr. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. locum exhibent sic: *quod repente moenibus cingebatur, ita atra nube* etc. Vulgatum ordinem habent edd. Rhen. sqq.

fulgoribusque. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Spir. Recte. cf. Plin. epp. 6, 20. *Ab altero latere nubes atra et horrenda ignei spiritus tortis vibratisque discursibus rupta in longas flammarum figuras dehiscebat, fulgoribus illae et similes et maiores erant.* Vulgo editur *fulguribusque*, uti est in edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

ob haec. Sic edd. Spir. Puteol. Beroald. (c. silent. Vict.) sqq. — *ob hoc* MS. Guelf.

consalutatus. Sic edd. Rhenan. sqq., an e MS. Bud. nemo prodidit. MS. Flor. (test. Vict.) *consolatus*, quod Victorius iubet corrigi *consalutatus.* Ed. Spir. *consulatus*, et sic primum scriptum fuit in MS. Guelf.: eadem manus supra addidit *t*, ut fieret *consultatus*, quod exstat in edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Pro *imperator* ed. Spir. fert *nuper*, quod vitium e compendio scripturae ortum facile intelliges.

et senatus consulto. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. (de quo falsus est Ernestius) Harl. Bodl. les. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. Rhenan. sqq. usque ad Ernestium, qui edidit, quod hodie vulgatur, *ex senatus consulto* ex ed. Spir. Sed primum non ea est virtus editionis Spir., ut ceterorum librorum omnium scripturam refellat nulla mutandi necessitate. Tum *et* egregiam habet vim, ut ratio enarrandi recte constet. Namque consalutatus est Nero imperator ab exercitu; reliqua non ad exercitum spectant, sed ad honores in urbe Neroni habitos; quare auctor pergit: *et senatus consulto* (*und vermöge eines Senatsbeschlusses*). Nam *et* transitum parat ad aliam narrationis partem. cf. not. ad 1, 11. Ceterum MS. Flor. (test. Victorio) vocabulum *senatus consulti* constanter scribit per compendium *S. C.*

supplicationes. Ed. Spir. *supplicationesque*, haud inepte.

referretur. MS. Guelf. *referetur.* Saepissime is liber ita negligit duplicationem litterarum.

quo nuntiata, quo relatum de ea esset, aliaque in eandem formam decernuntur adeo modum egressa, ut C. Cassius de ceteris honoribus adsensus, si pro benignitate fortunae diis grates agerentur, ne totum quidem annum supplicationibus sufficere disseruerit, eoque oportere dividi sacros et negotiosos dies, quis divina colerent et humana non impedirent.

XLII. Variis deinde casibus iactatus et multorum odia meritus reus haud tamen sine invidia Senecae damnatur. is fuit P. Suilius imperitante Claudio terribilis ac venalis et mutatione temporum non quantum inimici cuperent demissus, quique se nocentem videri quam supplicem mallet. eius opprimendi gratia repetitum credebatur senatus consultum poenaque Cinciae legis adversus eos, qui pretio causas oravissent. nec Suilius questu aut exprobratione abstinebat praeter ferociam animi extrema senecta liber et Senecam increpans infensum amicis Claudii, sub quo iustissimum exsilium pertulisset. simul studiis inertibus et iuvenum imperitiae

adsensus. Sic MS. Flor. (test. Vict.) — *assensus* edd. vett. cum MS. Guelf.

diis grates. Ed. Spir. et MS. Flor. (test. Vict.) per contractionem *dis grates.* Mox eadem ed. Spir. *et aeque oportere.*

colerent. Sic MSS. Flor. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *colerentur* MS. Bud. et inde edd. Rhen. sqq. usque ad Iac. Gronovium, qui e MS. Flor. reposuit veterem formam.

Cap. 42. *haud tamen.* Ed. Spir. *haud tum*, frequenti confusione. cf. not. ad Hist. 4, 23. Germ. c. 11. An. 14, 12. In MS. Guelf. vocabulum *reus* est in litura.

P. Suilius. Sic MS. Guelf. edd. recentt. inde a Lips. prima cf. 4, 31. — *P. Suillus* ed. Spir. — *P. Suillius* edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. Ald. Ita mox et ed. Spir. cum MS. Guelf.

et mutatione. Ed. Spir. et MS. Reg. *ex mutatione.* Eadem ed. Spir. mox *quaeratur* pro *quantum.*

senatus consultum etc. Cf. 11, 5.

questu. Ed. Spir. *quaestu*, uti solet, idque nuper Kiessl. tacite edidit; incertum an consulto.

iustissimum. Ed. Spir. *vetustissimum.* Eadem mox: *et iuvenem imperitiae suae: cum lividae his qui invidiam et incorruptam* etc. Idem locus in aliis quoque libris corrumpitur. Pro *livere*, quod in MS. Flor. (testatur etiam Victorius) repertum reposuit Pichena, MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. a sec. m. (a pr. m. *livere*) edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. habent *invidere.* MS. Reg. *livide.* MS. Corb. *libere.* Pro *iis* [quod reposui e MSS. Flor. (test. Vict. et Pich.) Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq.] MS. Corb. et edd. Spir. Ernest. Brotier. sqq. exhibent *his*, vulgari confusione. *Iuvenum* edd.

suetum livere iis, qui vividam et incorruptam eloquentiam tuendis civibus exercerent. Se quaestorem Germanici, illum domus eius adulterum fuisse. an gravius aestimandum sponte litigatoris praemium honestae operae adsequi quam corrumpere cubicula principum feminarum? Qua sapientia, quibus philosophorum praeceptis intra quadriennium regiae amicitiae ter millies sestertium paravisset? Romae testamenta et orbos velut indagine eius capi: Italiam et provincias immenso fenore hauriri. at sibi labore quaesitam et modicam pecuniam esse. Crimen, periculum, omnia potius toleraturum quam veterem ac diu partam dignationem subitae felicitati submittere.

Beroald. (c. sil. Vict.) Rhen. sqq. — *iuvenem* edd. Put. M. et V. Alc. cum Spir. et MS. Bud. — *a iuvene* MS. Bodl. — *a iuventute* MSS. Harl. Bodl. (in marg.) Ies. Guelf. Pro *imperitiae suetum* (quod habent edd. Put. M. et V. Beroald. c. silent. Vict. Alc. Rhenan. sqq.) MSS. Guelf. Harl. Ies. Bodl. (in marg.) *imperita suetum*. De Guelf. Strombeckius, dum testatur ibi esse *peritia*, falsus est.

domus eius. Ed. Spir. *domum eius*.

aestimandum. Sic MS. Guelf. (a sec. m.) edd. Put. M. et V. Ber. Alc. (c. silent. Vict.) — *extimandum* ed. Spir. — *existimandum* e MS. Bud. edd. Rhen. sqq. ad hunc diem. Sed cf. not. ad c. 17. Etenim *an gravius aestimandum* ponitur pro *an aestimandum gravius esse*.

sponte litigatoris. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. cum silent. Victorii. — *sponte a litigatoribus* MSS. Harl. Ies. Guelf. ed. Spir. Sed cf. 2, 59. *sponte principis*; 6, 31. *sponte Caesaris*; 12, 42. *cuius sponte*. Pro *cubicula* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. *cubiculum*.

ter millies sestertium. cf. Dio 61, 10. Pro *hauriri* MSS. Harl. Ies. Guelf. *exhauriri*.

at sibi. MS. Guelf. *ac sibi*.

ac diu. Ed. Spir. cum MSS. Corb. Bud. (a pr. m.) *ac deo*, quod est a manu non antiqua. In MS. Bud. sec. m. dedit *ab eo*, mala emendatione. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. *adeo*. Edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. *ac olim*; cod. Ursin. *atque olim*. MS. Flor. *ac dō*, unde Pichena fecit *ac diu*, ob locum 3, 54. *veteres et diu auctos*. Iac. Gronovius et sqq. editores omnes maluere inde fieri *ac domi*; nam *diu* et *olim*, inquiunt, redundat ob *veterem*. At nonne viderunt, hic esse synonyma, ut 3, 54., emphasis causa posita? *Veterem ac diu partam dignationem* unam esse, inde satis patet, quod opponitur uni *subitae felicitati*. *Domi parta dignatio*, si qua est vocabulorum vis, non significat *selbsterworbenes Ansehn*, uti interpretantur, sed dignationem, quam sibi in urbe et pacis artibus paravit, ut opponatur dignationi foris partae. Quam oppositionem si auctor voluisset, haud dubie scripsisset *veterem aut domi partam*.

submittere. Sic MSS. et edd. vett. Ex Lipsii emendatione recentiores edidere *submitteret*. Frustra. Infinitivus *submittere* pendet e verbo *toleraturum*, et Silius dicit se

XLIII. Nec deerant qui haec iisdem verbis aut versa in deterius Senecae deferrent. repertique accusatores direptos socios, cum Suilius provinciam Asiam regeret, ac publicae pecuniae peculatum detulere. Mox quia inquisitionem annuam impetraverant, brevius visum suburbana crimina incipi, quorum obvii testes erant. ii acerbitate accusationis Q. Pomponium ad necessitatem belli civilis detrusum, Iuliam Drusi filiam Sabinamque Poppaeam ad mortem actas, et Valerium Asiaticum, Lusium Saturninum, Cornelium Lupum

non toleraturum submittere. Nil in ea structura est, quod eat contra latinitatem. cf. 3, 3. *perferre non toleravit.*

CAP. 43. *iisdem.* Ed. Spir. per contractionem *isdem.*

aut versa. Sic edd. vett. (c. sil. Vict.) et recentt. Desunt in MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. In Guelf. Strombeckius falso testatur deesse *aut versa in.* Nam deest tantum *aut versa:* praepositio *in* cum seq. vocabulo concrevit legiturque *indeterius.* In Bud. *in* adest.

detulere. Ed. Spir. *detulerunt.*

impetraverant. Sic Pich. seqq. e MS. Flor. Victorius tamen intactum reliquit *impetraverat*, quod est in MSS. Reg. Harl. Guelf. Ies. edd. vett., idque placuit Aurelio et Strombeckio, ut referrent ad Silium. Sed bene I. Fr. Gronovius animadvertit id esse contra morem et rationem. Melius referres ad Senecam, huius accusationis auctorem. Nam accusatorum est poscere tempus evocandorum testium. cf. c. 52. De particula *quia* vid. not. ad 3, 47.

suburbana. Sic MSS. et edd. vett. sqq. usque ad Ernestium, qui dedit *urbana.* Nam „cur *suburbana?* inquit, omnia ista in urbem perpetrata. Vereor, ne *sub* ortum sit e terminatione praecedentis verbi. *Urbana crimina* opponuntur *provincialibus.*" Sed *suburbanum* Romanis non stricte semper valet de eo, quod ad regionem suburbanam proprie dictam pertinet; sed in universum etiam denotat, quod obvium neque longinquum est, saepiusque *suburbana* et *longinqua* invicem sibi opponuntur. cf. Cic. in Verr. 2, 3. *Populo Romano iucunda suburbanitas est huiusce provinciae.* Plin. epp. 8, 24. *Quo magis nitendum, ne in longinqua provincia quam suburbana ... humanior, melior, peritior fuisse videaris.* Longinqua provincia est Bithynia, suburbana Achaia. Tac. An. 3, 47. *peregrinatio suburbana.* Sic et hoc loco crimina *suburbana* opponuntur longinquis et in provincia commissis, ad quae eruenda profectione in Asiam annuaque inquisitione opus erat. Kiesslingius *suburbana* reposuit: putat vero Tacitum scripsisse *sub urbana.* Vix credo.

ii acerbitate. Ed. Spir. *hi*, quod huic loco melius convenit, estque etiam in MSS. Harl. Ies. Guelf.

Q. Pomponium ad nec. belli c. detrusum. De Q. Pomponio vid. 6, 18.; de eius bello civili nil innotuit.

Iuliam Drusi filiam. cf. c. 32. Dio 60, 18.

Sabinamque Poppaeam. cf. 11, 2.

Valerium Asiaticum. cf. 11, 1.

circumventos: iam equitum Romanorum agmina damnata omnemque Claudii saevitiam Suilio obiectabant. Ille nihil ex his sponte susceptum, sed principi paruisse defendebat, donec eam orationem Caesar cohibuit, compertum sibi referens ex commentariis patris sui nullam cuiusquam accusationem ab eo coactam. Tum iussa Messallinae praetendi et labare defensio. cur enim neminem alium delectum, qui saevienti, impudicae, vocem praeberet? puniendos rerum atrocium ministros, ubi pretia scelerum adepti scelera ipsa aliis delegent. Igitur adempta bonorum parte (nam filio et nepti pars concedebatur, eximebanturque etiam quae testamento matris aut aviae acceperant) in insulas Baleares pellitur, non in ipso discrimine, non post damnationem fractus animo: ferebaturque copiosa et molli vita secretum illud toleravisse. Filium eius Nerulinum adgressis accusatoribus per invidiam patris et crimina repetundarum intercessit princeps tanquam satis expleta ultione.

defendebat. H. e. in defensione dicebat. cf. not. ad 1, 39. sub v. *increpans.* Pro *ex his* MS. Bud. *ex iis.*

praetendi. Ed. Spir. *protendi.* Eadem mox: *Cum enim* pro *cur enim.* In *protendi* etiam consentit MS Bud.

delectum. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Agr. Reg. Corb. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *electum* MSS. Bodl. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. usque ad I. Gronovium et Ryckium. — MS. Guelf. *neminem allectum,* omisso *alium:* unde varietatis origo satis intelligitur.

pretia. Haec est scriptura MSti Flor. test. Victorio. Sic et edd. Put. M. et V. Lips. sqq. At *precia* MS. Guelf. edd. Spir. Beroald. Alc. Rhen. Ald., quod semel adnotasse sufficit, quanquam libri vett. in talibus rebus sibi non constant.

matris aut aviae acceperant. Ed. Spir. *patris et avi acceperant.* In *avi* consentiunt MSS. Bud. Guelf. aliique codices, edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Iac. Gronovius tamen testatur in MS. Flor. esse *aviae,* quod recepere Broterius, Oberlin. sqq. Freinshemius coniecerat *aviae ceperant,* quod edidit Lallemandus.

Baleares. Ed. Spir, *ballcares.*

non in ipso discrimine. Sic MS. Guelf. edd. Beroald. (cum silentio Vict.) Rhenan. sqq. — *non ipso discrimine* edd. Spir. Put. M, et V. Alc. Sed de tempore discriminis hic sermo est, non de vi discriminis.

Nerulinum. MSS. Vaticc. 1863. et 1864. Ies. Corb. Agr. *Verulinum.* MSS. Flor. Vatic. 1958. edd. vett. et uti videtur MSS., de quibus tacent, tuentur vulgatam scripturam.

XLIV. Per idem tempus Octavius Sagitta plebei tribunus Pontiae mulieris nuptae amore vecors ingentibus donis adulterium et mox, ut omitteret maritum, emercatur suum matrimonium promittens ac nuptias eius pactus. Sed ubi mulier vacua fuit, nectere moras, adversam patris voluntatem causari repertaque spe ditioris coniugis promissa exuere. Octavius contra modo conqueri, modo minitari, famam perditam, pecuniam exhaustam obtestans, denique salutem, quae sola reliqua esset, arbitrio eius permittens. ac postquam spernebatur, noctem unam ad solatium poscit, qua delenitus modum in posterum adhiberet. Statuitur nox, et Pontia consciae ancillae custodiam cubiculi mandat. Ille uno cum liberto ferrum veste occultum infert. tum, ut adsolet in amore et ira, iurgia, preces, exprobratio, satisfactio, et pars tenebrarum libidine seposita.

Cap. 44. *plebei tribunus.* Ed. Spir. *plebeius tribunus.*

mulieris nuptae. Voc. *nuptae* abest a MS. Ies. Aliena manu additum in MS. Harl., superscriptum in Guelf.

adversam patris vol. Ed. Spir. *adversus patris voluntatem.* In MS. Guelf. ultima syllaba in *adversum*, duaeque ultimae in *causari* sunt a secunda manu. MS. Agr. *aversam p. v.*, quod placebat Heinsio ob locum Virg. 12, 647. *quoniam superis aversa voluntas.* Sed ille etiam locus non caret varietate scripturae.

spe ditioris coniugis. Ed. Spir. *expeditioris coniugis.*

Octavius contra modo conqueri. A MSS. Bud. et Guelf. abest *contra modo.* Omittitur sane alterum *modo* cf. not. ad 6, 32., sed non ubique. cf. An. 2, 37.

obtestans. MS. Guelf. non *ostentans*, uti prodidit Ernestius, sed *obstentans.* Verum *obtestans* hic est *obtestando dicens.* cf. not. ad c. 43. sub verbo *defendebat.*

reliqua esset. Sic MS. Guelf. a sec. m. edd. Spir. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *relicta esset* MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. In marg. Bodl. *reliqua.* Mox MS. Guelf. *spernabatur.*

delenitus. Sic MS. Flor. (test. Vict.), ut 11, 37. Vid. ibi not. Vulgo *delinitus.*

in posterum. MS. Flor. (test. Victorii) *in postremum*, ut MS. Guelf.

cubiculi. MS. Agr. ed. Spir. *cubilis.* MS. Guelf. *cubili.*

in amore et ira. H. e. inter eos, qui amore et ira simul invicem utuntur. cf. 2, 57. *ira et dissimulatio.*

exprobratio. Ed. Spir. *et exprobratio.* Mox MS. Guelf. *tabernarum* pro *tenebrarum.*

libidine seposita. Sic libri vett. omnes. Rhenanus, Acidalius, Grotius, Ryckius aliique mallent *libidini*, ob exempla 13, 54. 14, 54. 15, 60. Stat ab eorundem parte Gierig ad Plin. Panegyr. 57, 4. ubi vide uberiorem eius de verbo *seponere* disputationem. Cave tamen, ne

ex qua statim incensus nihil metuentem ferro transverberat et adcurrentem ancillam vulnere absterret cubiculoque prorumpit. Postera die manifesta caedes, haud ambiguus percussor: quippe mansitasse una convincebatur. sed libertus suum illud facinus profiteri, se patroni iniurias ultum esse. commoveratque quosdam magni-

illam mutationem admittas. Nam *partem tenebrārum libidini seponere* minime est *parte t. uti ad libidinem*, sed potius parte tenebrarum non uti nunc, ut alio tempore utaris ad libidinem (*aufsparen für*, uti est 14, 54.), quod ab hoc loco alienum puto. Alii *seposita* interpretantur *peracta, consumpta*. Est sane *seponere* synonymum verbi *amovere*. cf. 1, 53. 2, 58. 4, 21. 4, 31. ubi *amovere* ita dicitur ut *seponere* 3, 12. 4, 44. Hist. 2, 33. Quem significatum si transferimus ad tempus, *seposita* erit *peracta*. Nam tempus amovetur, dum peragitur. Rectius confugiemus ad eam verbi *seponere* significationem, qua est *absondern*, seorsim ponere, seorsim adhibere, h. e. ita ad libidinem adhibita, ut iurgia et cetera, quae praecesserant, non essent admixta. Ablativus *libidine*, ut saepe, adverbii loco ponitur, pro libidinose. Sic 4, 51. *catervis* pro catervatim.

ex qua statim incensus. MSSti ad unum omnes sunt corrupti. MS. Flor. secundum Iac. Gronovii collationem, *et quastim census.* Victorius cum Pichena intactam reliquit scripturam *et questu incensus*, quae est in MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — MSS. Reg. Corb. Agr. ed. Spir. *et quaesiti census.* MS. Bud. a pr. m. *et quaestum census;* sec. m. fecit *et quaestu incensus.* Accedunt coniecturae virorum doctorum. Iac. Gronov. *et quasi incensus*, sc. amore ex usu libidinis: simulans se remollitum. Ernestius bene animadvertit id neque inesse vocabulo *incensus*, nec loco aptum. Ipse tentavit, *atque ita infensus*, vel *sic*. Sed e libidine non sequitur ira, ut apte dici possit: *atque ita i.* Broterius: *qua statim incensus.* Bipont. *ex qua succensus.* Heinsius: *eo questu* (vel *quo*) *incensus.* Hillerus: *atque aestu incensus.* Oberlin. *ex qua aestu incensus.* Bekkerus: *ex qua incensus.* Et primum quidem in *et*, quod vett. libri habent, latere *ex* non est dubium. Incredibile enim Tacitum ter eandem copulam repetivisse. *Et* et *ex* saepius confunduntur. cf. not. ad Hist. 1, 13 et 14. 3, 26. 4, 37. et alibi. Iam si accipis *ex*, in promptu est *qua* sc. libidine, ut sit *qua peracta* vel *post quam.* De verbo *incensus* nemo dubitat, significat ad iram *commotus*, ut 11, 35. *incensumque et ad minas prorumpentem.* Sed latet adhuc aliquid in scriptura MS. Flor. quod cum Broterio credo esse *statim* h. e. ita ut nihil aliud intercederet, iurgium, questus vel tale quid. Kiesslingius vult *atque statim incensus.*

transverberat. Ed. Spir. *transverberant.* Eadem *occurrentem* pro *accurrentem*, *absterrent* pro *absterret.*

prorumpit. MS. Ies. *prorupit.* Mox MS. Guelf. *dies* pro *die.*

percussor. Edd. Spir. Put. M. et V. *percursor.* Eadem ed. Spir. mox *illud suum facinus* pro *suum illud f.*, deinde *sed patroni* pro *se patroni.*

iniurias. MS. Guelf. *iniuria.*

ultum esse. Lipsius volebat: *ultum isse.* Sed cur non *esse?*

commoveratque. MS. Guelf. *commemoraveratque.* MS. Bud *commoverat* omisso *que*, quod bene

tudine exempli, donec ancilla ex vulnere refecta verum aperuit. postulatusque apud consules a patre interfectae, postquam tribunatu abierat, sententia patrum et lege de sicariis condemnatur.

XLV. Non minus insignis eo anno impudicitia magnorum rei publicae malorum initium fecit. Erat in civitate Sabina Poppaea T. Ollio patre genita, sed nomen avi materni sumpserat, inlustri memoria Poppaei Sabini consularis et triumphalis decore praefulgentis. nam Ollium honoribus nondum functum amicitia Seiani

et e Taciti usu adest. cf. 2, 52. *compulerantque*; 2, 37. *censusque*; 11, 35. *incensumque*; 1, 56. *Romanosque.*

verum aperuit. Ed. Spir. *verbum aperuit.*

a patre. Ed. Oberl. vitio typogr. *a parte*, quod migravit in edd. Weikert. Naudet. al.

sententia patrum et lege. Ernestius sqq. sustulere *et.* Nesciunt enim, quorsum adsit copula. Substituunt *ex.* Perperam. Condemnatum dicit auctor et quibus iudicibus (poterat enim ab aliis etiam iudicibus iudicari) et qua lege. Nil in eo absurdi est. Similiter Noster 3, 37. *auctore principe ac decreto senatus.* Sueton. Iul. c. 20. *omnia in re publica et ad arbitrium administravit.* cf. not. ad 1, 55. *Ex lege* comdemnari a Taciti stilo alienum videtur esse. Nam 14, 40. legimus: *lege Cornelia damnantur.*

de sicariis. Edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. usque ad Iac. Gronovium auctius *Cornelia de sicariis.* Vocabulum *Cornelia* sustulere Iac Gronov. Ernest. Brot. sqq. auctoritate MSS. Flor. (consentit Victorius) Bud. Guelf. Reg. Corb. Harl. Bodl. Ies. De scriptura *sicariis* consentiunt MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. et edd. Spir. recentioresque inde a Lipsii prima. Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. ferunt *siccariis.*

Cap. 45. *eo anno.* Ed. Spir. *et anno.*

impudicitia. Hanc scripturam sequuntur edd. Spir. et Alc. Rhen sqq. — *impudicicia* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. cum silentio Vict. Talia semel animadvertisse sufficit.

magnorum. Sic MSS. Florent. (test. Vict. cum Pich.) Corb. edd. Spir. Pich. sqq. — *maiorum* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

fecit. MS. Agr. *fuit.* Idem liber mox c. Farnes. *T. Ellio.* Vulgatum tuentur MS. Guelf. edd. vett. c. sil. Vict.

consularis et triumphalis. Sic MS. Flor. test. Victorio. Consentiunt fere MS. Guelf. ed. Spir., qui libri habent *consularis et triumphali.* Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *consulari et triumphali*, quae ratio a Taciti genere scribendi non abhorret; est tamen exquisitior illa. *Decus consularis et triumphalis* est decus viri consularis et triumphalis. Mox ed. Spir. omittit vocem *honoribus.*

nondum. Edd. Spir. Put. M. et V. *nundum*, ut saepius.

amicitia. Edd. Put. M. et V. cum cod. Guelf. *amicicia.* Vid. not. supr. sub v. *impudicitia.* Edd. Spir. Beroald. Alc. Rhen. *amicitia*, c. sil. Vict.

Seiani. Ed. Spir. vitiose *seiam.* Eadem *praevertitur* pro *pervertit.*

pervertit. huic mulieri cuncta alia fuere praeter honestum animum. quippe mater eius aetatis suae feminas pulchritudine supergressa gloriam pariter et formam dederat. opes claritudini generis sufficiebant. sermo comis nec absurdum ingenium. modestiam praeferre et lascivia uti. rarus in publicum egressus idque velata parte oris, ne satiaret aspectum vel quia sic decebat. famae nunquam pepercit maritos et adulteros non distinguens: neque adfectui suo aut alieno obnoxia, unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat. Igitur agentem eam in matrimonio Rufii Crispini equitis Romani, ex quo filium genuerat, Otho pellexit iuventa ac luxu et quia flagrantissimus in amicitia Neronis habebatur. nec mora quin adulterio matrimonium iungeretur.

XLVI. Otho sive amore incautus laudare formam elegantiamque uxoris apud principem, sive ut accenderet ac, si eadem femina potirentur, id quoque vinclum potentiam ei adiiceret, saepe auditus est consurgens e

mater eius. cf. 11, 1 sqq.

generis. MS. Guelf. *generi.* Littera finalis periit in principio sequentis verbi.

aspectum. De re cf. Böttiger, Sabina II. p. 44.

nunquam. MS. Guelf. *nonquam.* Idem mox *et alieno* pro *aut alieno.*

in matrimonio. Ed. Spir. *matrimonium*, male.

Rufii Crispini. Sic edd. Lips. sqq. cf. 12, 42. infr. 15, 71. et 16, 17. Sueton. Ner. c. 35. — MSS. Flor. Agr. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. *Rufi Crispi.* Ed. Spir. *Ruffi Crispi.* In scriptura *Rufi* (per contractionem) conspirant edd. Lips. sqq. Iac. Gronov. et nuper Bekkeri. Ryckius sqq. scribunt *Rufii.*

filium. cf. Sueton. l. l.

quin adulterio matrimonium iungeretur. Hist. 1, 13. paulo aliter rem narrat. Nam ibi Poppaea, ut in gratiam Neronis marito abducta, dicitur interim deposita apud Othonem, donec Caesar Octaviam uxorem amoliretur. Sueton. Oth. c. 3. *Item Poppaeam Sabinam tunc adhuc amicam eius, abductam marito demandatamque interim sibi nuptiarum specie recepit.* cf. etiam Xiphil. 61, 11. Plutarch. in Galb. c. 19. Utraque tamen narratio conciliari posse videtur, si huius operae pretium est.

Cap. 46. *sive amore.* Ed. Spir. *sine amore*, vitiose. Eadem mox *potiretur* pro *potirentur.*

potentiam ei adiiceret. Ed. Spir. *petñtia ea diceret.* Quod corrigo *potentiae adiiceret.* Sed vulgatum ceteri libri tuentur. Ceterum Acidalius huius loci membra confusa ratus verba *laudare formam apud principem* transponebat post *adiiceret;* Ernestius eadem malebat transponi post nomen *Otho.* Verum id transponendi consilium nihili est; mutanda autem erat loci interpunctio, et ponenda virgula ante *saepe* pro puncto, quod ferunt edd. Verba *incautus lau-*

convivio Caesaris seque ire ad illam sibi concessam dictitans nobilitatem, pulchritudinem, vota omnium et gaudia felicium. His atque talibus inritamentis non longa cunctatio interponitur. sed accepto aditu Poppaea primum per blandimenta et artes valescere, imparem cupidini se et forma Neronis captam simulans: mox acri iam principis amore ad superbiam vertens, si ultra unam alteramque noctem attineretur, nuptam esse se dictitans nec posse matrimonium amittere devinctam Othoni per-

dare explicanda sunt ut *non extimuit . . . fateri* 11, 1. et *percellunt omittere* 12, 50. Vid. ib. not.

seque ire ad illam sibi concessam dictitans nob. Libri vett. variant. MS. Flor. secundum collationem Iac. Gronovii habet ea, quae nunc edimus, nisi quod ibi sit *ubi* pro *sibi*, facillimo lapsu. Putant quidem illud *que* redundare; at optime stabit, virgula, quam ponunt post *illam*, sublata, et verbis *ad illam . . . . nobilitatem* in unam seriem coniunctis. Tum copula *que* nectit duo participia: *consurgens* et *dictitans* h. e. dictitans in consurgendo. Non tamen tacebo Victorio intactam relinqui scripturam Beroaldinam: *se ire ad illam: ibi concessam dictitans nobilitatem, p., v. o. et g. f.*, in qua conspirant edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. c. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. — MSS. Bud. Agr. *se ire ad illam ubi concessam dictitaret n.* Ed. Spir. *se ire ad illam ubi concessam dictitans n.* Edd. Lips. sqq. *se ire ad illam, sibi concessam dictitans n.* Ceterum Lipsius coniiciebat: *sibi concessam a dis iactans n.*, vel *sibi concessam dis dignam nobil.* Heinsius: *uni sibi concessam.* Ernestius: *saepe auditus est, cum surgens e convivio Caesaris . . . . dictitaret nobilitate n.* Sed locus iam nihil laborat e scriptura Flor. compositus.

his atque talibus. Ed. Spir. *His itaque talibus.* Etiam MS. Guelf. *itaque* habet in margine, *atque* in contextu.

aditu. Ed. Spir. *auditu.*

imparem cupidini se. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. MS. Bud. pr. m. non habet *se*, Heinsioque suadente Oberlinus eam voculam delevit. Revocavit Bekkerus; non enim inusitatum plane atque inauditum Nostro est sic addi *se* (cf. 14, 2. *offerret se saepius paratam*), quanquam saepe omittitur. MSS. Corb. Agr. ed. Spir. *in partem cupidinis*, ubi sequens *et* absorpsit litteram *e*.

simulans. MS. Flor. (test. Vict.) *similans.* cf. not. ad 1, 28. Ante *forma* copula *et* deest in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf.

attineretur. Ed. Spir. *attineret.* Quo genere varietatis nil facilius fuit, quia vett. libri terminationem *ur* constanter significant per compendium, sic *attineret*.

se dictitans. MS. Guelf. non habet *se.* Idem ante *dictitans* ponit *dubitans*, hoc punctis censoriis notatum, uti solent errores calami.

amittere. MS. Agr. *omittere*, ut c. 44. *omitteret maritum.* Sed cf. 2, 71. *spiritum ante quam ultionem amissuros;* 14, 26. *spem belli amittere.*

devinctam. MS. Guelf. *deuictam.* Ed. Spir. *deiunctam*, vulgari syllabarum confusione. Eadem *qui genus* pro *per genus.*

genus vitae, quod nemo adaequaret. Illum animo et cultu magnificum: ibi se summa fortuna digna visere. at Neronem? pellicem ancillam et adsuetudine Actes devinctum nil e contubernio servili nisi abiectum et sordidum traxisse. Deiicitur familiaritate sueta, post congressu et comitatu Otho, et ad postremum, ne in urbe aemulatus ageret, provinciae Lusitaniae praeficitur, ubi usque ad civilia arma non ex priore infamia, sed in-

magnificum. MSS. Harl. Ies. Guelf. *magnifico.*

digna. Sic edd. Spir. et recentiores et sic MS. Bud. sec. m. — *dignam* MSS. Bud. pr. m. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq., qui tamen Rhenanus in castigationibus corrigit *digna*, idque dein in contextum receptum est a Lipsio sqq.

visere. MS. Corb. *videri.* Graevius volebat *videre.* Sed cf. 12, 36. *avebantque visere, quis ille* etc.; 12, 56. *quo magnificentia operis a pluribus viseretur.*

at Neronem? pellicem ancillam et adsuetudine etc. Vulgo edunt: *at Neronem, pellice ancilla et adsuet.* etc. quae sunt in edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Miror interpretes, quod tam ineptam tautologiam tolerarunt. Nam quae est pellex ancilla? Scilicet Acte. Igitur Nero pellice ancilla h. e. Acte et adsuetudine Actes h. e. pellicis ancillae devinctus dicitur. Quae verba si sunt sana, arte critica porro supersedebimus. Immo meliora sunt in MS. Flor. qui teste Victorio pro *pellice ancilla* suppeditat *pellicen ancillam.* Consentit fere ed. Spir., in qua leguntur haec: *at Neronis pelicem ancillam et assuetudine* etc. Verum Neronis pellex hic non opponitur alterius pellici, ut pergas: *at Neronis pellicem;* sed potius Poppaea, postquam dixit: *illum ... magnificum*, aptissime pergit: *at Neronem?* cum irrisione. Respondet: *pellicem ancillam* sc. esse. Guelf. habet: *ac nerone pellice ancilla et assuetudine* etc.

adsuetudine. Sic MS. Flor. test. Vict. *assuetudine* edd. vett. — Pro *Actes* MS. Guelf. ed. Spir. habent *actis,* et ed. Spir. *devictum* pro *devinctum*, uterque liber *nihil* pro *nil.* Eadem ed. Spir. ante *contubernio* omittit praepositionem *e.* Deinde pro *congressu et comitatu* illa suppeditat *congressum et comitatum.*

et ad postremum. Sic MSS. Flor. (secundum I. Gronov. collat.) Harl. Bodl. Ies. Reg. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. cf. Hist. 2, 27. et 4, 16. — *et postremo* edd. Ber. Alc. Rhenan. sqq. cf. 1, 2. 10. 16. 18. 27. 40. Recentiorum alii edidere *et ad p.*, ut Broterius, Bekkerus; alii maluere *et postremo,* ut Oberlin. et qui illum sequuntur. Parum interest.

ne in urbe aemulatus ageret. Sunt qui *aemulatus* accipiant pro accusativo plur. num., ut *aemulatus agere* sit *Nebenbuhlereien treiben*, horrendum dictu. Verum *aemulatus* est participium verbi *aemulari* significatque eum, qui aemulus fuit, et quocum de uxore contenderat. Germanice: *und damit der bisherige Nebenbuhler nicht in der Stadt lebte* etc. De participio *aemulatus* cf. Hist. 3, 81. 3, 66. Ann. 2, 56. 3, 30. Sic etiam infr. 15, 71. *pellitur Rufius Crispinus occasione coniurationis, sed Neroni invisus, quod Poppaeam quondam matrimonio tenuerat.*

tegre sancteque egit, procax otii et potestatis temperantior.

XLVII. Hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quaesivit. suspectabat maxime Cornelium Sullam, socors ingenium eius in contrarium trahens callidumque et simulatorem interpretando. Quem metum Graptus ex libertis Caesaris usu et senecta Tiberio abusque domum principum edoctus tali mendacio intendit. pons Mulvius in eo tempore celebris nocturnis inlecebris erat ventitabatque illuc Nero, quo solutius urbem extra lasciviret. igitur regredienti per viam Flaminiam compositas insidias fatoque evitatas, quoniam diverso itinere Sallustianos in hortos remeaverit, auctoremque eius doli Sullam ementitur, quia forte redeuntibus ministris principis quidam per iuvenilem licentiam, quae tunc passim exercebatur, inanem metum fecerant. neque servorum

procax otii etc. Brevius dictum et ἐπιφώνημα ad praecedentem de Othone sermonem spectans. Uberius Noster dixisset: ut ita procax otii, potestatis autem temperantior fuisse videatur. *Otium* accipe de tempore vitae sine potestate acto.

potestatis. MS. Corb. et liber pontificalis (MS. Vat.) a Vertranio laudatus *egestatis*, quod ab hoc loco alienum est.

temperantior. MS. Harl. ed. Spir. *temperatior.* MS. Agr. *temperator.*

Cap. 47. *flagitiis et sceleribus.* Ed. Spir. *sceleribus et flagitiis.*

Tiberio abusque. MSS. Flor. (test. Vict. cum al.) Vatic. (test. Lipsio) Bud. Agr. Corb. Guelf. ed. Spir. *Tiberio avo usque*, post quae verba MSS. Guelf. Agr. Corb. ed. Spir. addunt *ad* ante *domum;* MS. Flor. illud *ad* ignorat. Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *a Tiberio* (Put. *Tyberio*) *usque domum.* Lipsius felicissime emendavit: *abusque* et sic edd. Oberl. sqq. cf. 15, 37. *Oceano abusque. Domum pr. edoctus* ut Hist. 2, 90. *solitas adulationes edoctum.* An. 4, 50. *vim et clementiam Romanam edoctus.*

pons Mulvius. Sic edd. Ernest. Oberl. sqq. quam scripturam veram esse docuit Cortius ad Sallust. Cat. c. 45. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. vett. *p. milvius.* Oberlinus mira inconstantia nunc *Milvium*, nunc *Mulvium* scribit. MS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) *mulvium* praefert. cf. not. ad Hist. 2, 89. 3, 82. Sic et MS. Agr.

in eo tempore. MS. Guelf. *in illo tempore.*

ventitabatque. Ed. Spir. et MS. Vatic. *vētabatque.* Eadem ed. Spir. mox *solutus* pro *solutius; extra urbem* pro *urbem extra.*

Flaminiam. MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. *flamineam;* ed. Spir. etiam *flāmineam.* Eadem cum Guelf. *salustianos ī ortos.*

Sullam. Sic MS. Flor. test. Vict. — *Sillam* ed. Spir. — *Syllam* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

iuvenilem. MS. Flor. (test. Vict.) *iuvenalem*, quod non spernendum est.

quisquam neque clientium Sullae agnitus, maximeque despecta et nullius ausi capax natura eius a crimine abhorrebat: perinde tamen quasi convictus esset, cedere patria et Massiliensium moenibus coerceri iubetur.

XLVIII. Iisdem consulibus auditae Puteolanorum legationes, quas diversas ordo plebsque ad senatum miserant, illi vim multitudinis, hi magistratuum et primi cuiusque avaritiam increpantes. cumque seditio ad saxa, ad minas ignium progressa necem et arma proliceret, C. Cassius adhibendo remedio delectus. quia severitatem eius non tolerabant, precante ipso ad Scribonios fratres

maximeque. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) edd. Spir. Pich. sqq. — *maxime*, omissa copula, MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Puteol. M. et V. Beroald. Rhenan. sqq. — De Guelf. Ernestius falsus est, dum scribit ibi esse copulam *que*.

perinde tamen. Ed. Spir. *proinde tamen*. Eadem *coniunctus* pro *convictus*; *Massilientium* pro *Massiliensium*.

Cap. 48. *auditae P. legationes.* MS. Agr. ed. Spir. *auditis P. legationibus*, idoneo constructionis exitu nullo.

quas diversas. MSS. Harl. Ies. Bud. Guelf. *quas divisas*.

ordo plebsque. Sic MSS. Flor. (secundum collat. Pichen. et Iac. Gronov.) Agr. Bud. Corb. edd. Ryck. Iac. Gronov. Ernest. sqq. — *plebs et ordo* ed. Spir. — *senatorius ordo plebsque* (vel *plebesque*) MSS. Harl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. usque ad Ryckium. Vocabulum *senatorius* omitti posse docent exempla Hist. 2, 52. *ordo Mutinensis*. Plin. epp. 2, 11. *in ordine Leptitanorum*. Ammian. Marc. 22, 9. 25, 9.

primi cuiusque. Sic Cic. pro Rosc. A. c. 9. *decem primi Amerini*. Verr. 2, 67. *magistratus et decem primi*. Liv. 39, 15. *deni principes*.

cumque seditio. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Sed MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *eaque seditio*, unde coniicio locum legendum esse: *eaque seditio ad saxa, ad minas ignium progressa ne necem et arma perliceret* etc. Particula *ne* cum ob sequens vocabulum intercidisset, emendationis causa factum est *cumque*. De aliis MSS. interpretes tacent.

ad saxa, ad minas. Sic MS. Bud. edd. Oberlin. sqq. — *ad saxa et minas* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. (c. silent. Vict). Revocavit Kiesslingius.

proliceret. Sic edd. Bernegg. sqq. usque ad Ernestium, verissima emendatione. cf. 3, 73. *ceteros quidem ad spem proliceret*. MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. et nuper Ernest. Brot. Oberlin. sqq. *perliceret*. Sed Noster ubique scripsit *pellicere*: 1, 2. 4, 3. et alibi. Quare etiam hoc loco ed. Spir. cum MS. Reg. *pelliceret*. Hoc tamen fit blanditiis, neque est huius loci. Innumera autem in vett. libris sunt exempla eius confusionis, qua permutantur *pro* et *per*.

C. Cassius. Ed. Spir. *G. Assius*. Eadem mox *ad consobrinos fratres*. Vulgatum tuentur ceteri libri vett. omnes.

ea cura transfertur data cohorte praetoria, cuius terrore et paucorum supplicio rediit oppidanis concordia.

XLIX. Non referrem vulgatissimum senatus consultum, quo civitati Syracusanorum egredi numerum edendis gladiatoribus finitum permittebatur, nisi Paetus Thrasea contra dixisset praebuissetque materiem obtrectatoribus arguendae sententiae: Cur enim, si rem publicam egere libertate senatoria crederet, tam levia consectaretur? quin de bello aut pace, de vectigalibus et legibus, quibusque aliis Romana continentur, suaderet dissuaderetve? licere patribus quotiens ius dicendae sententiae accepissent, quae vellent, expromere relationemque in ea postulare. an solum emendatione dignum, ne Syracusis spectacula largius ederentur? cetera per omnes imperii partes perinde egregia quam si

oppidanis. Ed. Spir. *opidanis.*

Cap. 49. *civitati Syrac.* MS. Reg. et ed. Spir. *civitatem Sirac.* Pro *permittebatur* MS. Corb. habet *prohibebatur.*

numerum ed. gl. finitum. cf. Dio 54, 2. Sueton. Iul. c. 10. id. Tib. c. 34.

nisi Paetus Thrasea. Ed. Spir. *nisi petnstros ea.*

materiem. Sic MSS. Flor. (test. Pichen.) Bud. edd. Spir. Beroald. (c. silent. Vict.) Pich. sqq. — *materiam* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Alc. Rhenan. sqq. cf. not. ad 3, 31. 12, 22.

consectaretur. Ed. Spir. *consectarentur.* MS. Guelf. *consectarer.*

de vectigalibus et legibus. MSS. Harl. Ies. Guelf. ed. Spir. pro *et* habent *aut.*

quibusque aliis. MS. Harl. *quibuscumque aliis.* MS. Guelf. *quibuscum aliis.*

continentur. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *continetur* MS. Reg. ed. Spir. — *continerentur* MS. Corb. — *contineretur* MS. Bud. Broterius recepit Lipsii emendationem *res Romana continetur*, qua non est opus.

suaderet dissuaderetve? MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. *suadere dissuadereve licere patribus: quotiens* etc. Edd. Put. V. et Beroald. Alc. omittunt *ve* post *dissuadere*, quod Rhenanus restituit e MS. Bud., consentiente MS. Guelf. Mox edd. omnes inde a Lipsii prima praetulere *suaderet, dissuaderetve?* Eiusque emendationis auctor ipse est Lipsius. Nam sub verbis: *quibusque aliis Romana* notavit haec: „Sequentia emendavi, distinxi, sublata confusione, quae in libris." Victorius scripturam Beroald. intactam reliquit. De veritate emendationis Lipsianae nemo facile dubitabit. De ceteris MSStis altum est silentium.

relationemque. Ed. Spir. *relatione: et quae.* Eadem mox *caeteras* pro *cetera.*

perinde egregia quam si. MS. Reg. et ed. Spir. *perinde egregia quasi*, uti voluerat Acidalius. Sed

non Nero, sed Thrasea regimen eorum teneret? quod si summa dissimulatione transmitterentur, quanto magis inanibus abstinendum? Thrasea contra rationem poscentibus amicis non praesentium ignarum respondebat eiusmodi consulta corrigere, sed patrum honori dare, ut manifestum fieret magnarum rerum curam non dissimulaturos, qui animum etiam levissimis adverterent.

L. Eodem anno crebris populi flagitationibus immodestiam publicanorum arguentis dubitavit Nero, an cuncta vectigalia omitti iuberet idque pulcherrimum donum generi mortalium daret. Sed impetum eius multum prius laudata magnitudine animi attinuere senatores dissolutionem imperii docendo, si fructus, quibus res publica sustineretur, deminuerentur. quippe sublatis portoriis sequens, ut tributorum abolitio expostularetur. Plerasque vectigalium societates a consulibus et tribunis plebis constitutas acri etiam populi Romani

perinde quam est etiam supr. 6, 30. 13, 21. et melius huic loco convenit.

quod si. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum I. Gronov.) Reg. Harl. Bodl. Ies. Bud. Agr. Guelf. edd. Spir. Iac. Gronov. Ernest. sqq. — *quae si* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. usque ad Iac. Gronov. E compendio scripturae eam varietatem ortam facile intelliget, qui vett. libros manu versaverit. Sed *quod si* hic aptissime ponitur ut coniunctio relativa. cf. 14, 1. *Quodsi nurum* etc. Cic. de Amic. c. 15. *Tyranni coluntur simulatione duntaxat ad tempus: quod si forte ceciderint, tum intelligitur, quam fuerint inopes amicorum.*

eiusmodi. MS. Guelf. *eius.* Idem mox *aut manifestum* pro *ut m.* Deinde *et* pro *etiam.*

dissimulaturos. Ed. Spir. *dissimulatores.* Mox eadem *levissimos adverteretur* pro *levissimis adverterent.*

Cap. 50. *omitti.* Sic Sueton. Vespas. c. 16. *omissa sub Galba vectigalia.*

deminuerentur. Sic edd. recentt. inde a Lipsii prima. *diminuerentur* MS. Guelf. edd. vett. Oudendorpius ad Sueton. Iul. c. 5. „*Deminuitur* id quod decrescit s. minus fit quam erat, ideo quod eius pars perit s. adimitur, sed tamen unum manet. *Diminuitur* vero id, quod contunditur, confringitur et attenuatur, aut dissipatur in minutiores partes, sicut bona, opes, vectigalia possunt *deminui* detrahendo, at *diminui* dilapidando, dissipando." cf. not. ad 1, 14.

sequens. Cicer. de Or. 2, 53. *non esse consequens.* Tusc. 5, 8. *alterum alteri consequens est.*

plerasque. MS. Guelf. *plurasque.*

acri etiam populi Romani tum libertate. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. et inde edd. Rhen. sqq.

tum libertate: reliqua mox ita provisa, ut ratio quaestuum et necessitas erogationum inter se congruerent. Temperandas plane publicanorum cupidines, ne per tot annos sine querela tolerata novis acerbitatibus ad invidiam verterent.

LI. Ergo edixit princeps, ut leges cuiusque publici occultae ad id tempus proscriberentur: omissas petitiones non ultra annum resumerent: Romae praetor, per provincias, qui pro praetore aut consule essent, iura adversus publicanos extra ordinem redderent: militibus immunitas servaretur, nisi in iis quae veno exercerent: aliaque admodum aequa, quae brevi servata, dein frustra habita sunt. manet tamen abolitio quadragesimae quinquagesimaeque, et quae alia exactionibus inlicitis nomina publicani invenerant. Temperata apud transmarinas provincias frumenti subvectio, et ne censibus negotiatorum naves adscriberentur tributumque pro illis penderent, constitutum.

Priorum editionum Spir. omittit *etiam*, habet vero *tum;* Put. M. et V. Beroald. Alc. addunt *etiam*, omittunt *tum*. Cod. Urs. *acri etiam tum P. R. lib.*, quod fortasse verum est. MS. Guelf. *ac etiam populi Romani cum libertate*. *Acrior libertas* legitur etiam Germ. c. 37. *acrius servitium* An. 6, 48.

erogationum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Rhen. sqq. — *errogationum* ed. Spir. — *irrogationum* edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

congruerent. Ed. Spir. *congruere*.

temperandas plane. Ed. Spir. *t. sane*, haud inepte. Sed 3, 34. *bella plane accinctis obeunda: sed* etc. Namque *sane* concedit; *plane* non solum concedit, sed adseverat etiam: sine dubio, aperte.

acerbitatibus. Ed. Spir. *a civitatibus*.

Cap. 51. *occultae*. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *occulte*. Eadem ed. Spir. mox omittit *per* ante *provincias*, et dein pergit: *qui pro re .p. aut cons. essent*. Eadem *nisi in his quae veneno ex.* pro *nisi in iis, quae veno ex.* MS. Guelf. pro *veno* suppeditat *veneno*, syllaba *ne* superscripta. Idem *alia quẽ* pro *aliaque*, mox *aeque* pro *aequa*.

quadragesimae quinquagesimaeque. Sic edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *quadringentesimae quinquagesimaeque* MSS. Flor. (test. Vict.) Vaticc. 1863. 1864. et 1958. Guelf. ed. Spir. — *quadragintesimae quinquagesimaeque* MSS. Harl. Bodl. Ies. De re cf. Lipsius et Ernestius ad h. l. et Burmann. de Vectig. P. R. c. 5. p. 65.

exactionibus. Sic edd. Rhenan. sqq. — *ex auctionibus* MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. — *ex auctione* MS. Ies. — *ex auctoribus* MS. Bodl.

frumenti subvectio. Ed. Spir. omittit vocem *frumenti*. MS. Guelf. *subvetio* pro *subvectio*. Ce-

LII. Reos ex provincia Africa, qui proconsulare imperium illic habuerunt, Sulpicium Camerinum et Pomponium Silvanum absolvit Caesar, Camerinum adversus privatos et paucos saevitiae magis quam captarum pecuniarum crimina obiicientes. Silvanum magna vis accusatorum circumsteterat poscebatque tempus evocandorum testium: reus illico defendi postulabat, valuitque pecuniosa orbitate et senecta, quam ultra vitam eorum produxit, quorum ambitu evaserat.

LIII. Quietae ad id tempus res in Germania fuerant ingenio ducum, qui pervulgatis triumphi insignibus maius ex eo decus sperabant, si pacem continuavissent. Paullinus Pompeius et L. Vetus ea tempestate

terum cogita de frumenti subvectione, quae e provinciis transmarinis fiebat Romam, neque de illa re, quae agitur Agr. c. 19. Nam *subvectio* proprium est verbum de vectura commeatuum et frumentorum (*Zufuhr*, *Transport*), et de frumentis Romam subvehendis sermonem esse patet e vocabulo *transmarinarum* provinciarum. Si enim temperatio illa fuerit beneficium ad provincias in universum spectans, ut abolitio quadragesimae et quae ante dicta sunt, quaeri debet, cur frumenti subvectio temperata sit tantum apud *transmarinas* provincias, nec simul apud omnes provincias. Verbum autem *temperata* minime accipiendum est de deminutione, sed de ratione ad certum modum redigendi rem. Cogita de sublatis vecturae et emptionis incommodis, quae publicani creassent. Nam arte haec cum sequentibus cohaerent, ideoque sustuli plenam distinctionem post *subvectio*. De *negotiatoribus* cf. 2, 87. 14, 33.

Cap. 52. *habuerunt.* Sic MSS. et vett. edd. Rhenanus ex ingenio dedit *habuerant*, quod deinde omnes vulgavere. Sed ἀορίστως Noster scripsit *habuerunt.* cf. not. ad 1, 53. sub v. *scripsit*; 2, 62. sub v. *transtulit*; 6, 32. sub v. *imposuit*; 12, 31. sub v. *restiterunt.* Restitui veterem scripturam; nam tempus relativum etiam ab hoc loco alienum est, et per se constant verba: *qui ... habuerunt.*

Sulpicium. Ed. Spir. *Suplicium.* Mox MS. Guelf. *pecuniarum captarum.*

valuitque. Copula *que* abest a MS. Vat. 1864. et ed. Spir.

ultra vitam eorum. Sic MSS. Flor. (sec. collat. I. Gronov.) Corb. edd. Spir. Ernest. sqq. — *ultra eorum vitam* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Pro *ambitu* Beroald. vitio typogr. dedit *ambitum*, quod Alciatus retinuit: Rhenanus *ambitu* restituit e MS. Bud.

Cap. 53. *quietae ad id t. res.* Ed. Spir. *Quietae res ad id t.*

pervulgatis. MS. Guelf. ed. Spir. *pervulgati.*

continuavissent. Ed. Spir. *continuassent.*

et L. Vetus. Ed. Spir. *et Luetus.* Edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *L. Vetus*, omisso *et*, quod etiam abest a MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf.

exercitui praeerant. Ne tamen segnem militem attinerent, ille inchoatum ante tres et sexaginta annos a Druso aggerem coercendo Rheno absolvit, Vetus Mosellam atque Ararim facta inter utrumque fossa connectere parabat, ut copiae per mare, dein Rhodano et Arare subvectae per eam fossam, mox fluvio Mosella in Rhenum, exin Oceanum decurrerent, sublatisque itineris difficultatibus navigabilia inter se Occidentis Septentrionisque litora fierent. Invidit operi Aelius Gracilis Belgicae legatus, deterrendo Veterem ne legiones alienae provinciae inferret studiaque Galliarum adfectaret, formidolosum id imperatori dictitans, quo plerumque prohibentur conatus honesti.

Iac. Gronovius copulam restituit e MS. Flor. Consentit Agr. Pro *Vetus* MS. Guelf. dat *Vectus.*

ne tamen. Ed. Spir. *nec tamen.* Mox MS. Guelf. *incoatum.*

ante tres et sexaginta. Drusus mortuus est an. u. 745. unde 63 anni numerandi sunt non ad ann. u. 812, in cuius rebus describendis Tacitus nunc versatur, sed ad ann. 809. Repetit enim haec, ut solet, e prioribus annis. Nihili igitur est Ryckii coniectura *sex et sexaginta* legentis. MS. Corb. *tres et quadraginta*, vitio e notis numerorum exorto.

aggerem. cf. Hist. 5, 19.

coercendo. Edd. vett. *cohercendo* (c. silent. Vict.). MS. Guelf. post *Rheno* addit *regno*, quod ex mala repetitione exortum putat Strombeckius.

Mosellam atque Ararim. Sic edd. Put. M. et V. Rhenan. sqq. Ed. Spir. cum MS. Guelf. omittit *Ararim.* Edd. Beroald. Alc. *Mosselamque atque Ararim.* Victorius e MS. Flor. ibi delet *Ararim* et alterum *s* in *Mosselamque.*

parabat. Ed. Spir. *parabant.* Pro *Mosella* ed. Beroald. iterum habet *Mossela;* Victorius e MS. Flor. delet alterum *s.*

exin Oceanum. Ed. Spir. *dein occeanum.* Pichena frustra volebat *et in O.*

itineris. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) Guelf. Oxon. et ed. Spir. — *itinerum* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. De aliis MSS. silent.

Aelius Gracilis. Sic edd. Lips. sqq. — *Helius Gracilis* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. Ald. Lips. prima. — *Aelius Gracchus* MS. Agr. et libri a Lipsio et Vertranio inspecti. MS. Corb. *Graccus.* Ed. Spir. *eius Gracilis.*

Veterem. Sic MSS. Flor. (sec. collat. Iac. Gronov.) Agr. edd. recentiores inde a Lipsio, et sic voluit Rhenanus. *Vetere* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. prima. *veteres* MS. Bud.

ne legiones. Ed. Spir. *et ne legiones.* Eadem cum MS. Guelf. *in studiaque*, uti etiam est in edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Rhenanus in castigatt. proposuit emendationem, quam deinde probavere omnes.

prohibentur. Sic libri vett. praeter MS. Agr. qui suppeditat *cohibentur*, idque recepere recentiorum edd. nonnulli. Bekkerus bene restituit veterem scripturam. Pro *quo* Pichena volebat *quomodo*, quod vocabulum saepius per compendium scribitur q^o.

LIV. Ceterum continuo exercituum otio fama incessit ereptum ius legatis ducendi in hostem. eoque Frisii iuventutem saltibus aut paludibus, imbellem aetatem per lacus admovere ripae agrosque vacuos et militum usui sepositos insedere auctore Verrito et Malorige, qui nationem eam regebant, in quantum Germani regnantur. iamque fixerant domos, semina arvis intulerant utque patrium solum exercebant, cum Dubius Avitus accepta a Paullino provincia minitando vim Romanam, nisi abscederent Frisii veteres in locos aut novam sedem a Caesare impetrarent, perpulit Verritum et Malorigem preces suscipere. Profectique Romam dum aliis curis intentum Neronem opperiuntur, inter ea, quae barbaris ostentantur, intravere Pompeii theatrum, quo magnitudinem populi viserent. illic per otium (neque enim ludicris ignari oblectabantur) dum consessum caveae, discrimina ordinum, quis eques, ubi senatus percunctantur, advertere quosdam cultu externo in sedibus se-

Cap. 54. *eoque Frisii.* Ed. Spir. *et quae frisii.* Edd. Put. M. et V. c. MS. Guelf. *eoque phrysii.* Mox MS. Agr. *imbellem aetatem condentes admovere.*

qui nationem. MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. *quia nationem.*

in quantum. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Vatic. 1863. edd. Pich. sqq. cf. Hist. 5, 10. *quantum ad Iudaeos.* Germ. c. 21. *quantum ad ius hospitii.* Germ. c. 45. *in tantum.* Ed. Spir. *in quam tunc.* MS. Bud. *in quam tum.* MSS. Vaticc. 1864. et 1958. Bodl. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *in qua tum.*

Germani. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Put. M. et V. et recentt. — *Germanici* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald.

regnantur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Vatic. 1863. edd. Pichen. sqq. — *regnabant* MSS. Vatt. 1864. et 1958. Bodl. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. Gruter. — *regebant* MS. Guelf.

fixerant. MS. Bud. et ed. Rhenan. *finxerant.* cf. not. ad Germ. c. 46.

utque patrium solum exercebant. Sic edd. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *atque patr. s. ex.* edd. Spir. Put. M. et V. et MSS. Bud. Guelf. De aliis libris tacent.

Malorigem. Sic libri vett. et nuper ed. Bekkeri. — Oberlin. et sqq. *Malorigen.*

Romam. Ed. Spir. *romani.* Eadem, uti solet, *operiuntur.* Dein pergit: *interea barbaris offerantur. Intravere* etc.

Pompeii. MS. Guelf. *popei*, quod vitium saepius exstat in vett. libris.

oblectabantur. Ed. Spir. *obiectabantur.* Mox *percunctatur* (sic et MS. Guelf.) pro *percunctantur*, *legum* pro *legatis.* MS. Guelf. (a pr. m.) habuit *oblectant ur*, quod superscriptis litteris emendatum est in *oblectabantur.*

natorum: et quinam forent rogitantes postquam audiverant earum gentium legatis id honoris datum, quae virtute et amicitia Romana praecellerent, nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse exclamant, degrediunturque et inter patres considunt. quod comiter a visentibus exceptum quasi impetus antiqui et bona aemulatione. Nero civitate Romana ambos donavit: Frisios decedere agris iussit. Atque illis aspernantibus auxiliaris eques repente immissus necessitatem attulit, captis caesisve qui pervicacius restiterant.

LV. Eosdem agros Ansibarii occupavere, validior gens non modo sua copia, sed adiacentium populorum miseratione, quia pulsi a Chaucis et sedis inopes tutum exsilium orabant. aderatque iis clarus per illas gentes et nobis quoque fidus nomine Boiocalus, vinctum se re-

quae virtute. MS. Guelf. *qui virtute.*

aut fide. Sic edd. Rhenan. sqq. cum MS. Guelf. et ed. Spir. — *fidei* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Sed vid. not. seq.

ante Germanos esse. cf. not. ad 1, 27. sub v. *ante alios aetate et gloria belli.*

degrediunturque. Sic edd. Pich. sqq. ut e MS. Flor. — *digrediunturque* MS. Guelf. edd. vett. cum silentio Victorii. Dubitari adhuc licet, utrum sit verum.

quasi impetus antiqui et bona aemulatione. Sic MSS. et vett. edd. recentioresque inde a Pichena. Rhenanus syllabam *nê* in *aemulatione* a vocabulo *Nero* mutuatam ratus dederat: *et bona aemulatio.* Sed amat Noster varietatem structurae; quare frustra etiam Heinsius coniecit *et bonae aemulationis* vel *boni aemulatus.* Lipsius malebat: *et boni aemulatione.* Verum *bona aemulatione* hic eodem sensu dicitur quo est *bono exemplo* 1, 38.; *bonae societatis* 1, 58.

auxiliaris. MS. Guelf. a sec. m. *auxiliariis.*

restiterant. MS. Ies. *resisterent.*

Cap. 55. *Ansibarii.* Sic edd. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *Ansybarii* edd. Put. M. et V. cum MSS. Ies. et Guelf. — *Ansivarii* ed. Spir. et sic MSS. Vaticc. vel *Ampsivarii.* MS. Bud. *Amsibarii.*

quia pulsi. Ed. Spir. *quod pulsi.* Varietas orta est e compendio scripturae.

exsilium orabant. Ed. Spir. *auxilium postulabant.* In *postulabant* conspirat MS. Agr.

aderatque iis. MSS. Harl. Ies. Guelf. Corb. Agr. ed. Spir. *aderatque his*, vulgari confusione.

Boiocalus. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — *boiaculus* MS. Reg. et ed. Spir. — *Biocalus* MSS. Ies. Guelf.

vinctum se. Ed. Spir. *vinctumque se*, quod non spernendum est. Ita coniunguntur *fidus* et *referens.* cf. not. ad c. 46. sub v. *seque ire* etc. MS. Guelf. *victum se.*

bellione Cherusca iussu Arminii referens, mox Tiberio et Germanico ducibus stipendia meruisse: et quinquaginta annorum obsequio id quoque adiungere, quod gentem suam ditioni nostrae subiiceret. quotam partem campi iacere, in quam pecora et armenta militum aliquando transmitterentur? servarent sane receptos gregibus inter hominum famam, modo ne vastitatem et solitudinem mallent quam amicos populos. Chamavorum quondam ea arva, mox Tubantum et post Usipiorum fuisse.

Arminii. Ed. Spir. *Armenii.* Eadem omittit *et* ante *Germanico.* Mox MS. Flor. (test. Iac. Gronov.) omittit *et* inter *Tiberio* et *Germanico.*

et quinquaginta. Sic MSS. Flor. (test. Pichen. et Iac. Gronov.) Reg. Corb. Agr. Bud. (pr. m.) ed. Spir. — *quinquaginta*, omisso *et* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. (sec. m.) edd. Put. M. et V. sqq. (c. silent. Vict.). Scilicet hi libri locum distinguunt ita: *stipendia meruisse, quinquaginta annorum obsequio. Id quoque* etc. Meliorem rationem, qua nunc utimur, induxit Gruterus. Lipsius in libris vett. vidit *quadraginta annorum.* Video et Kiesslingio illud *et* restitutum.

in quam pecora. MS. Flor. (t. Vict.) et ed. Spir. *in qua pecora.*

servarent sane receptos gregibus inter hominum famam. Boiocalus nomine Ansibariorum sedem petit genti. Et primum quidem merita sua refert, quo dignus videatur, quem recipiant. Deinde admonet locorum, quae sine incommodo suo Ansibariis concedere possint Romani. *Quotam partem* etc. Iam pergit: *servarent* (sc. Romani Ansibarios) *inter hominum famam* h. e. ab interitu defenderent, ne nomen suum e hominibus prorsus deleretur. Alibi *conservari* dicitur de ea re. cf. Caes. B. G. 2, 12. *et petentibus Remis, ut conservarentur, impetrant.* Ib. c. 15. *sese eos in fidem recepturum et conservaturum dixit.* Ib. c. 28. *quos Caesar ... diligentissime conservavit* etc. Cupit autem Ansibarios servari *receptos gregibus* h. e. receptos in greges, gregibus immixtos, si nollent recipere in civitatem hominumque coetum. Desperantis verba sunt. Aliam interpretationis viam Ernestius ingressus est. „*Receptos* int. agros vel campos, ex antecedente. *Agri recepti gregibus* sunt concessi, dati gregibus alendis. Porro *inter hominum famam* intellige: si modo campi illi sint inter homines, iis locis, ubi homines sint, habitent." Freinshemius locum emendabat: *servarent sane receptus gregibus inter hominum famem.* Quam emendationem in locum recepere Gronovii et Ryckius. Etenim MS. Agr. super *famam* adscriptum habet *famem.* MS. Harl. *receptus*, recenti manu; antea scriptum fuit *receptos.* Lipsius volebat *exceptos* et *famem.* Oberlin. sqq. ex Bipont. sententia dedere *intra* pro *inter.*

Chamavorum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Rhen. sqq. Conspirat fere ed. Spir. quae dat *Clamavorum.* Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *Chamanorum.* Sed cf. Germ. c. 33. et 34.

Usipiorum. MS. Guelf. *usipporum.* Ed. Spir. *Usiporum.* Ed. Put. V. *Usippiorum.*

sicuti coelum deis, ita terras generi mortalium datas, quaeque vacuae, eas publicas esse. Solem deinde respiciens et cetera sidera vocans, quasi coram interrogabat, vellentne contueri inane solum? potius mare superfunderent adversus terrarum ereptores.

LVI. Et commotus his Avitus: patienda meliorum imperia. id diis, quos implorarent, placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret, quid darent, quid adimerent, neque alios iudices quam se ipsos pate-

sicuti coelum. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Harl. Ies. Guelf. Bud. edd. Spir. Ernest. sqq. — *sicut c.* MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq.

deis. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. cf. supr. c. 41. — *diis* edd. Put. M. et V. Ber. Rhen. sqq. cum MS. Guelf.

quaeque vacuae. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. edd. Pichen. sqq. *q̃ vacue* ed. Spir. Cum Flor. consentit Bud. pr. m. Altera manus addidit *sint*, quod etiam exstat in Guelf. Hinc Rhenanus edidit *quaeque sint vacuae.* Edd. Put. M. et V. Ber. *quae sint vacuae*, uti est in MSS. Harl. Bodl. et Ies. In Guelf. *quaeque* per compendium scribitur, quod imperiti oculi legerint *quae.* I. Fr. Gronovius suspicabatur Tacitum edidisse: *quasque vacuas, eas publicas esse.* Parum recte. Nam *quasque vacuas* in tali contextu nonnisi de certis quibusdam terris dici potest, quas quis, postquam aliud de istis praedicavit, vacuas esse adfirmat. Hic autem illud membrum adest ad explicandam alius membri notionem, eo sensu, ut ille publicas esse dicat, quae sint vacuae, in quo loco infinitivus cum accusativo intolerandus esset.

solem deinde respiciens. Pro *deinde*, quod induxit Rhenanus e MS. Bud., edd. Spir. Put. Beroald. Alc. dant *inde*, MS. Guelf. *idem.* cf. 1, 29. *certatum inde sententiis;* 1, 44. *centurionatum inde egit.* *Respiciens* est in MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *despiciens* MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. Agr. edd. Spir. et Iac. Gronov., qui vult illum despexisse radios in terram missos a sole. Sed *despicere* est etiam oculos alio vertere (*hinwegblicken*). cf. Cicer. pro Rosc. A. c. 8. Possis igitur intelligere virum a duce Romano despicientem coelum versus. Rhenanus coniecit *aspiciens;* Heinsius *suspiciens* vel *dispiciens.* Similis librorum opinionumque varietas est apud Ovid. Metam. 14, 173. *coelumque et sidera solis aspicio*, al. *respicio*, al. *suspicio.* *Respiciens* certe in Taciti loco non satis tutum est.

superfunderent. Ed. Spir. *superfundere*, et sic MS. Flor. test. Vict. Idem liber eod. teste *velletne* pro *vellentne.* Possis haud dubie *velletne* referre ad unum solem, ut siderum potissimum; ad *potius superfundere* autem nescio an intelligi possit *esse.*

Cap. 56. *Avitus.* Ed. Spir. *habitus*, uti est in MS. Guelf. Non video, quid Lipsium impulerit, ut coniiceret legendum: *nec commotus his A.* Nam verba viri satis prae se ferunt animi commotionem, ita compositi sunt in delenimentum.

quid darent, quid adimerent. Sic MS. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *qui darent, qui adimerent* MSS. Harl. Ies. Guelf.

quam se ipsos. I. Fr. Grono-

rentur. Haec in publicum Ansibariis respondit: ipsi Boiocalo ob memoriam amicitiae daturum agros. quod ille ut proditionis pretium aspernatus addidit: „deesse „nobis terra, in qua vivamus: in qua moriamur, non „potest." atque ita infensis utrimque animis discessum. Illi Bructeros, Tencteros, ulteriores etiam nationes socias bello vocabant. Avitus scripto ad Curtilium Manciam superioris exercitus legatum, ut Rhenum transgressus arma a tergo ostenderet, ipse legiones in agrum Tencterum induxit, excidium minitans ni causam suam dissociarent. Igitur absistentibus his pari metu exterriti Bructeri, et ceteris quoque aliena pericula defendentibus sola Ansibariorum gens retro ad Usipios et Tuban-

vius *se* delendum censebat, ut *ipsos* referretur ad *deos*. Sed tum Noster scripsisset *illos*, non *ipsos*.

Ansibariis. Ed. Spir. *atipsivariis*.

deesse nobis terra, in qua vivamus: in qua moriamur, non potest. Talem Rhenanus locum constituit ex ingenio, et plane sic esse in MS. Agr. testatur Ryckius. MSS. Flor. (test. Pich.) Harl. Ies. Guelf. Bud. (pr. m.) *deesse nobis terram vivam in q.* etc. Ed. Spir. *decere nobis terram vivam in qua mori amor non potest.* MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. *deesse nobis terra viva in qua m. n. p.* Iac. Gronovius volebat *terra in vitam;* Pichena *terra vivis.* Possis etiam coniicere: *terra, ut vivamus.* Nam *ut* facile potuit abire in *m;* terminatio *us* per compendium scripta, dein omissa est. Solet enim Tacitus variare structuram in eiusmodi locis.

atque ita infensis. Ed. Spir. *atque infensis ita.* Eadem mox: *thenctoros.* MS. Guelf. *tenetros.*

socias. Sic MS. Flor. (t. Vict.) edd. Spir. et recentt. inde a Lipsii prima. — *sociasque* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald.

Avitus scripto ad C. M. Ed. Spir. *alutu scripto ad Curtumantium.* MS. Guelf. *Ab Avito scriptum ad C. M.* Pro *Manciam,* quod in MS. Flor. est (test. Vict.) MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alciat. habent *Mantiam.* Rhenan. sqq. *Manciam.*

Tencterum. Ed. Spir. *trenerum.* MS. Guelf. *tenetreum.* Edd. Put. M. et V. *Teneterum.* Vulgatum tenent edd. Ber. sqq.

ni causam. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Guelf. ed. Spir. — *nisi causam* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

absistentibus. Sic edd. Rhenan. sqq. cf. 2, 31. *caede visa miles abstitit.* MS. Guelf. *adsistentibus.* Edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. *assistentibus.* MS. Bud. *asistentibus* et sic MS. Flor. (test. Iac. Gronovio).

exterriti Bructeri. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) edd. Spir. Pich. sqq. — *exterritis Bructeris* MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

ceteris quoque. In MS. Bud. deest *quoque.*

defendentibus. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) Harl.

tes concessit. quorum terris exacti, cum Cattos, dein Cheruscos petissent, errore longo hospites egeni, hostes in alio, quod iuventutis erat, caeduntur, imbellis aetas in praedam divisa est.

LVII. Eadem aestate inter Hermunduros Cattosque certatum magno proelio, dum flumen gignendo sale fecundum et conterminum vi trahunt, super libidinem cuncta armis agendi religione insita, eos maxime locos propinquare coelo precesque mortalium a deis nusquam propius audiri. inde indulgentia numinum illo in amne illisque silvis salem provenire non ut alias apud gentes eluvie maris arescente unda, sed super ardentem arbo-

Bodl. Ies. Bud. Guelf. Corb. edd. Spir. Bip. Oberl. sqq. cf. 15, 38. *nec quisquam defendere audebat* sc. incendium. Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. *deferentibus*. Edd. Rhenan. sqq. *deserentibus*. Mox ed. Spir. *ampsivariorum* pro *Ansibariorum*; dein *adis ipsos et turbantes* pro *ad Usipios et Tubantes*; et paulo post *et itinere longo* pro *errore longo*. MS. Guelf. non habet voc. *gens* post *Ansybariorum*: idem fert *usippos* pro *Usipios*.

in alio. Sic MS. Flor. (t. Vict.) et ed. Spir. — *in alieno* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. De aliis MSS. tacent. Iam *in alieno* otiosum sane est additamentum; per se intelligitur id, quod eo vocabulo enuntiatur. Quare omnino veram puto scripturam Flor. Distingue: *hospites egeni, hostes in alio* h. e. in alio hospites egeni, hostes in alio (*hier dürftige Gäste, dort Feinde*). Alterum *alius* omitti vidimus 1, 63. et uti *alio* ponitur, cum quaeritur, in quem locum (cf. 1, 18. *alio vertunt*), ita *in alio*, cum quaeritur, ubi. Mox ed. Spir. fert *erant* pro *erat*, *ceduntur* (cum Guelf.) pro *caeduntur*. Mox Guelf. *impraedam*.

Cap. 57. *Cattosque*. Ed. Spir. *Cathosque*. Edd. Put. M. et V. c. MS. Guelf. *Catthosque*. Edd. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *Cattosque*. cf. not. ad 1, 55.

vi trahunt. MS. Guelf. *vi trhaunt*.

super libidinem. Sic vera emendatione Rhenanus sqq. Priores edd. (c. silent. Vict.) et MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. *super libidine*. De aliis MSS. silentium est. cf. 1, 59. *super insitam violentiam*. Mox MSS. Guelf. Ies. ante *armis* addunt *vi*.

nusquam. Ed. Spir. *nunquam*.

salem provenire. Sic edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *item provenire* MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) Harl. Bodl. Guelf. Bud. (sec. m.) ed. Spir. In Bud. (pr. m.) deest vocabulum litigatum.

eluvie. Ed. Spir. *cluine*, ex imperitia legendi veterem scripturam.

arescente unda, sed. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Mureto auctore Broterius edidit *arescente, sed unda*. Heinsius volebat: *arescentem, sed unda*. Nam, „Unda, ait, non arescit." Sed hoc argutius dictum esse videtur. Omnino aridum aliquid fit ex unda; quare unda apte dici potest arescere.

super ardentem. Sic edd. Rhenan. sqq. verissima emendatione.

rum struem fusa ex contrariis inter se elementis igne atque aquis concretum. Sed bellum Hermunduris prosperum, Cattis exitiosius fuit, quia victores diversam aciem Marti ac Mercurio sacravere, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dantur. et minae quidem hostiles in ipsos vertebant. Sed civitas Ubiorum socia nobis malo improviso adflicta est. nam ignes terra editi villas,

cf. Plin. 31, 39. *Galliae Germaniaeque ardentibus lignis aquam salsam infundunt.* Varro R. R. 1, 7. *In Gallia Transalpina intus ad Rhenum, cum exercitum ducerem, aliquot regiones accessi, ubi salem nec fossicium, nec maritimum haberent, sed ex quibusdam lignis combustis, carbonibus salsis pro eo uterentur.* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. *super arentem.*

ex contrariis. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Praepositionem *ex* omittunt MS. Bud. edd. Rhenan. sqq. Restituit Pichena.

elementis. MS. Flor. (test. Vict. c. al.) *alimentis.* MS. Guelf. *clementis.*

concretum. Ex emendatione Lipsii, quam in locum recepit Pichena. Edd. priores (c. silent. Vict.) *concretâ.* Sic et MS. Guelf.

sed bellum. Hoc *sed* Broterio frigidum et e superioribus repetitum videtur. Fallitur. Nam *sed*, ut graecum ἀλλά, ponitur sic, ut transitum faciat ad continuationem narrationis supra coeptae, quasi scriptum esset: *sed iam redeo ad bellum.*

exitiosius. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) edd. Pichen. sqq. ad Ernestium, qui restituit *exitio* ex edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq., cum quibus consentiunt MSS. Harl. Bodl. Ies. et Guelf. In ed. Spir. reperitur *exitiosum*, ut est in MS. Bud. a pr. m., ubi tamen sec. m. erasit syllabam *sum.* Ernestius et Broterius censent melius elegantiusque esse *exitio*, non video qua in re. Immo *exitiosius* cum emphasi dicitur (*desto verderblicher*); non enim solita victis calamitas in Cattos cecidit, sed *victores ... sacravere.*

Marti ac Mercurio. cf. Hist. 4, 64. Germ. c. 9.

equi, viri. MS. Guelf. *aequi viri.*

cuncta victa. Sic MSS. et edd. vett. et recentt. Frustra viri docti coniecere *cuncta viva, cuncta vita, cuncta victi, cum ita victa, cuncta iumenta* aliaque. *Victa* deest in MS. Agr.

hostiles. Ed. Spir. *hostilem.* MS. Agr. *et numen quidem hostile in se v.*

vertebant. Sic MSS. Flor. (sec. collat. Iac. Gronovii) Agr. edd. Spir. Iac. Gronov. Ernest. sqq. — *vertebantur* edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. idem est in MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies.

sed civitas Ubiorum. MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. Agr. (test. Ryck.) *Vibonum.* Contra MS. Agr. (test. Heinsio) *Iubonum.* Strombeckius idem inesse Guelferbytano prodidit, quum Ernestius nuntiasset ibi legi *Vibonum.* Ego vidi *ubonum*, quod utroque modo potest legi. Ed. Spir. *Iubionum.* Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *Iuhonum.* Non dubitavi recipere Heinsii coniecturam *Ubiorum* multis probatam. Nam primum nemo unquam audivit civitatem *Vibonum* Romanis sociam, aut *Iubonum*, aut *Iubionum*, aut

arva, vicos passim corripiebant ferebanturque in ipsa conditae nuper coloniae moenia. neque exstingui poterant, non si imbres caderent, non si fluvialibus aquis aut quo alio humore, donec inopia remedii et ira cladis agrestes quidam eminus saxa iacere, dein residentibus flammis propius suggressi ictu fustium aliisque verberibus ut feras absterrebant: postremo tegmina corpori derepta iniiciunt quanto magis profana et usu polluta tanto magis oppressura ignes.

LVIII. Eodem anno Ruminalem arborem in comitio, quae octingentos et quadraginta ante annos Remi

denique *Iuhonum*. At *civitatem Ubiorum* legis apud Nostrum An. 1, 37. et 71. in eaque civitate *condita nuper colonia*, cuius dum hic Tacitus mentionem facit, haud dubie respicit ad 12, 27. Nihil autem frequentius in vett. libris quam syllabarum *vi* et *iu* permutatio et *Vibii* haud semel scribuntur pro *Ubiis*. Ryckius volebat *Aeduorum*, Rhenanus *Bibonum*, Wüstemann. *Tubonum* vel *Tubantorum*. Ceterum de calamitate illi civitati tum tolerata cf. *C. G. Nees von Esenbeck* et *I. Nöggerath* in libello: *Gibt Tacitus einen historischen Beweis von vulkanischen Eruptionen am Niederrhein.* 1824. Scilicet illi nobis persuadent Tacitum hic loqui de incendio subterraneo (*Erdbrand*).

corripiebant. MS. Reg. ed. Spir. *arripiebant.* Eadem ed. Spir. *nuper conditae* pro *conditae nuper*.

non si fluvialibus a. Sic MSS. et vett. edd. unanimi cónsensu. Dein post vocabulum *humore* alii verbum addunt *niterentur*, ut MSS. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. usque ad Ernestium; *uterentur* MS. Oxon. (I. Gronovii), quo contradicitur Broterio; *perfunderentur* MS. Agr. Alii id verbum omittunt, ut MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Bud. ed. Spir. Delevit igitur Ernestius simul cum particula *si* ante *fluvialibus*. Et verbum quidem abesto; *si* autem elliptice ponitur: cf. not. ad 2, 63. Supplendum erit: *non, si fluvialibus aquis aut quo alio humore exstinguerent, exstingui poterant.*

et ira etc. Ed. Spir. *et ita cladis agrestis quidem eminus* etc. MS. Corb. *agrestis quidem;* an *ita* pro *ira*, Broterius tacet.

residentibus. Sic MS. Bud. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *resistentibus* MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. Harl. Guelf. ed. Spir. Vulgatum esse verum clamitat contextus.

aliisque verberibus. Ed. Spir. *aliique verberibus.*

derepta. Sic MS. Agr. edd. Ryck. Ernest. sqq. cf. 1, 20. et 35. 2, 45. et Hist. 3, 13. — *direpta* MS. Guelf. edd. vett. et sqq. usque ad Ryckium, quam scripturam et Victorius intactam reliquit.

usu polluta. Sic MSS. Bud. Corb. Agr. edd. Spir. Rhen. sqq. — *usu viliori polluta* MSS. Harl. Bodl. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Riv. Alc. Abesse sane potest augmentum illud, neque tamen plane otiosum videtur. Non enim quivis usus vestes aeque polluit.

Cap. 58. *quae octingentos et quadraginta.* Sic MS. Vatic. 1958. — *quae super oct. et quadr.* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — *quae supra oct. et quadr. ante per an-*

Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus et arescente trunco deminutam prodigii loco habitum est, donec in novos fetus reviresceret.

nos MS. Bud. — *quae septingentos et quadraginta a. a.* MSS. Flor. (test. Vict.) Vaticc. 1863. et 1864. Corb. ed. Spir. At Lipsius ad hunc locum: „Damno, inquit, numerum. Nam hic annus U. c. 811. (immo 812.). Romulus autem Remusque 18. duntaxat annos nati, cum facta Roma est. Non ergo plures ab infantia eorum ad hunc diem annis triginta. Facilis putatio ex Dionysio, Livio et aliis. Ita ergo hic emendem, et *octingentos et triginta* scribam, ne Tacitus manifesta sit in culpa." Consentiunt Acidalius et Heinsius et putant *et quadraginta* ortum ex *atque triginta*, quod recepere Bip. Sed potuit Tacitus aliam sequi fabulam de Romuli aetate eiusque annis ante urbem conditam expletis. Numerum *septingentos* in libris nonnullis esse vitiatum vix dubitabis.

habitum est. Haec desunt in MS. Guelf.

reviresceret. Sic Pichena et sqq. ut e MS. Flor. Consentit cod. Guelf. qui scribit *reuiriscceret.* Victorius tamen intactum reliquit *reviviscerer*, quod est in MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Beroald. sqq. — *reviviserat* edd. Put. M. et V.

C. CORNELII TACITI

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI ANNALIUM

LIBER QUARTUS DECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Nero matris caedem agitat incitante Poppaea. 2. Agrippina incestum tentat, an Nero potius? 3. De caede matris deliberat Nero. Aniceti consilium. 4. Agrippinae cum Nerone scelus celante convivium. 5. Mari mergenda aegre evadit. Acerronia remis conficitur. 6. Agrippina dissimulat. 7. Nero trepidat, cum Burro et Seneca deliberat. Anicetus caedem Agrippinae suscipit et 8. perpetrat. 9. Agrippinae viles exsequiae. 10. Nero conscientia vecors adulatione erigitur. 11. Litteris ad senatum matrem etiam post fata criminatur. 12. Senatus turpiter adulatur. Thrasea Paetus virum se praestat. Nero mite ingenium adfectat.

13. Urbem intrat anxius, blanditias expertus in omnes libidines se effundit: 14. citharoedus, auriga, nobiles ad paria flagitia adigit. 15. Iuvenalia. Nero in scena. Augustanos conscribit. 16. carmina pangit. philosophos ridet. 17. Caedes inter Nucerinos et Pompeianos occasione gladiatorii spectaculi. 18. Blaesus damnatur. Strabo absolvitur. 19. Mors Domitii Afri, M. Servilii. 20. Quinquennale ludicrum Romae. Varia de ludis fama, eorum vituperia, 21. laudes et excusatio. Nero eloquentiae victor. 22. Portentis commotus Rubellium Plautum in exsilium agit.

23. Corbulo Mardorum latrocinia punit. 24. percussorem vitat, Tigranocerta capit. 25. Hyrcanos in societatem recipit. 26. Tiridatem arcet ab Armenia, quam tradit Tigrani. Corbulo Syriae praeficitur. 27. Puteoli, Tarentum, Antium, coloniae. 28. Comitia praetoria. Vibius damnatus.

29. Clades Britannica. Suetonius Monam invadit, 30. incolas domat. 31. Iceni Boudicea duce et Trinobantes rebellant, 32. Camulodunum expugnant, Petilium Cerialem cum nona legione fundunt, 33. a Suetonio desertum Londinium et Verulamium spoliant, cives et socios Romanorum trucidant. 34—37. Boudiceam ferocientem superat Suetonius. Ipsa veneno vitam finit. Poenius Postumus gladio se transigit. 38. Classicianus Suetonio discors res turbat. 39. Missus Polycletus hostibus est inrisui. Suetonio Petronius Turpilianus successor datus.

40. 41. Ob falsum testamentum damnati. 42. Pedanius Secundus urbis praefectus a servis caesus. 43. 44. In eos lege agi vult C. Cassius et 45. contra aliorum sententiam obtinet. Populum supplicio renitentem Nero increpat. 46. Tarquitius Priscus damnatus. Census per Gallias actus. 47. Mors et laus Memmii Reguli. 48. Antistius maiestatis delatus, 49. a Thrasea defensus. 50. Fabricius Veiento calumniae reus Italia pellitur.

51. Burri mors, laus, successores Rufus et Tigellinus. 52—54. Criminationes discutere parat Seneca apud Caesarem et commeatum petit, qui 55. 56. subdole respondet. 57—59. Rufum imminuit Tigellinus, Plauto et Sullae periculum struit, eos opprimit.

60. Nero ducta Poppaea Octaviam amolitur. tum hanc revocat 61. laetante populo. Poppaeae mox honos repositus. eius doli. 62—64. Aniceti scelere Octavia in exsilium pulsa necatur in Pandateria. Temporum infelicitas. 65. Libertos Doryphorum et Pallantem veneno tollit Nero. Seneca incusatur. Piso Neroni insidiatur. Gesta haec annis circiter quattuor

C. VIPSTANO. C. FONTEIO CAPITONE,
IMP. NERONE IV. COSSO CORNELIO LENTULO,
C. CAESONIO PAETO. C. PETRONIO TURPILIANO,
P. MARIO CELSO. L. ASINIO GALLO COSS.

I. Caio Vipstano, Fonteio coss. diu meditatum scelus non ultra Nero distulit vetustate imperii coalita audacia et flagrantior in dies amore Poppaeae, quae sibi matrimonium et discidium Octaviae incolumi Agrippina haud sperans crebris criminationibus, aliquando per facetias

COMMENTARIUS.

Cap. 1. *Caio Vipstano.* MSS. Flor. (sec. coll. I. Gronov.) Vaticc. 1863. 1864. et 1958. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Rhen. Ald. *Caio Vipsano.* — Edd. Lips. sqq. *C. Vipsanio.* — MS. Agr. *Caio Vespasiano.* Sed viri docti (Io. Fr Gronovius et Ryckius praeeunte Ursino) ex inscriptionibus docuere scribendum esse *Vipstano* (cf. not. ad 11, 23.) idque edidere Ryckius, I. Gronovius sqq. — I. Fr. Gronovius volebat etiam *Caiis* pro *Caio.*

et flagrantior. Ernestius cum Acidalio vult *flagrantiore*, quia *et* coniungit haec cum *coalita audacia*, non cum nomine Neronis. Ernestii opinionem Bip. secuti sunt in editione. Oberlinus sqq. rectius veterem formam retinuere. Nam ablativi *coalita audacia* aeque pertinent ad Neronem et sunt pro epitheto Neronis, ut *flagrantior.* Tacitus autem more Graecorum per coniunctiones etiam dissimilia membra coniungit. cf. 15, 12. *Ille interritus et parte copiarum apud Syriam relicta.* Hist. 2, 82. *egregie firmus adversus militarem largitionem eoque exercitu meliore.* An. 4, 50. *munia servarent immoti telisque non in falsum iactis.* Vid. not. ad Hist. 1, 85.

discidium. Sic MSS. Flor. (sec. coll. I. Gronov.) Bud. Agr. Guelf. edd. Spir. Ryck. sqq. — *dissidium* edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. usque ad Ryckium, vulgari vitio. cf. not. ad 2, 86. 12, 2. et alibi.

incusaret principem et pupillum vocaret, qui iussis alienis obnoxius non modo imperii, sed libertatis etiam indigeret. Cur enim differri nuptias suas? formam scilicet displicere et triumphales avos, an fecunditatem et verum animum timeri, ne uxor saltem iniurias patrum, iram populi adversus superbiam avaritiamque matris aperiat. quod si nurum Agrippina non nisi filio infestam ferre posset, reddatur ipsa Othonis coniugio. itu-

incusaret . . . vocaret . . . Sic MSS. et vett. edd. consensu. At Lipsius sqq. *incusare . . . vocare* ... Ernestius revocavit veterem, Oberlinus repetiit Lipsianam scripturam. Hanc planiorem esse dicunt. Verum non simpliciter haec narrat Tacitus, sed ut ostendat in eo fuisse causam, cur Nero scelus non ultra distulerit. *Quae* igitur est pro *quippe quae.* cf. Cic. pro Rosc. Amer. c. 18. *convivia cum patre non inibat, quippe qui ne in oppidum quidem nisi perraro veniret.* Tacit. Hist. 2, 39. *miles alacer, qui tamen iussa ducum interpretari quam exsequi mallet.* Ibid. 3, 33. *exercitu vario . . . cui . . . interessent.* Ib. 4, 61. *vetere apud Germanos more, quo plerasque feminarum fatidicas et augescente superstitione arbitrentur deas.* Vid. ibi not. Ibid. 4, 81. *multa miracula evenere, quis coeli favor . . . ostenderetur.* Vertranii transpositio, ex qua vult legi: *crebris criminationibus incus. pr. et per fac. pup. voc.*, nihili est. Nam verba: *crebris criminationibus* non possunt coniungi cum *incusaret*, nec Neronem, sed Agrippinam Poppaea criminabatur. Ablativus igitur per se constat, intellecto *adhibitis* vel *usurpatis*. Sententia: praeterea quod crebras criminationes adhiberet, aliquando etiam etc. (*unter häufigen Anklagen, bisweilen mit Spott*). Ceterum post *sperans* in MS. Guelf. legitur *quae.* Ibidem *etiam libertatis* pro vulgato *libertatis etiam.*

formam . . . animum. Lipsius ita distinguit locum, ut accusativi *fecunditatem* et *verum animum* pendeant e verbo *displicere*, non e *timeri.* Rectius tamen ad veterem legendi rationem redibimus, qua *timeri* pertinet ad *fecunditatem et verum animum.* Signa tamen interrogandi, quae vulgo ponuntur post *avos* et *animum*, delevi. Nil enim interrogationis hic est; immo responsum ad praecedentem interrogationem ironice dictum: *formam scilicet displicere.* Editores decepit particula *an*, qua Noster utitur vel sine interrogatione. cf. 2, 42. *finem vitae sponte an fato implevit.* 13, 9. *et Vologeses quo bellum ex commodo pararet, an ut aemulationis suspectos . . . amoveret, tradit* etc. 13, 12. *fato quodam, an quia praevalent inlicita, abhorrebat.* Germanice: *oder ob.* Sententia enim est, se nescire, utrum illud displiceat, an hoc timeatur; dicit autem aut illud displicere aut hoc timeri. Video Kiesslingium plane mecum consentire.

posset, reddatur. Acidalius vel *possit* vel *redderetur* legendum censebat. Ernestius probat posterius propter sequentia. Verum optime stant verba *posset* et *reddatur.* *Posset* est optativus eodem iure positus quo est: *quodsi summa dissimulatione transmitterentur* 13, 49. *Reddatur* pendet ex omisso infinitivo praesentis temporis, ut *iubere*, *postulare.* Sed vid. not. ad 1, 19, et exempla ibi adlata e Sallustio. Ceterum non silebo, teste Victorio in MS. Flor. legi *redditur* pro *reddatur.*

ram quoquo terrarum, ubi audiret potius contumelias imperatoris quam viseret periculis eius immixta. Haec atque talia lacrimis et arte adulterae penetrantia nemo prohibebat, cupientibus cunctis infringi potentiam matris et credente nullo usque ad caedem eius duratura filii odia.

II. Tradit Cluvius ardore retinendae Agrippinam potentiae eo usque provectam, ut medio diei, cum id temporis Nero per vinum et epulas incalesceret, offerret se saepius temulento comptam et incesto paratam. iamque lasciva oscula et praenuntias flagitii blanditias adnotantibus proximis Senecam contra muliebres inlecebras

quoquo terrarum. Ed. Spir. *quoque terrarum*, et ita a prima m. fuit in MS. Guelf., altera manus fecit *quoquo*.

lacrimis. Sic MS. Flor. test. Vict. *lachrymis* edd. vett. De *lacrimis et arte* cf. Roth. p 45. qui docet hic esse eam figurae ἓν διὰ δυοῖν speciem, quae in locum adpositionis succedit. Ars adulterae est in lacrimis.

potentiam matris. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Harl. Bodl. Ies. Guelf. Corb. ed. Spir. — *matris potentiam* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

Cap. 2. *Cluvius*. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. recentt. inde a Lips. prima. cf. 13, 20. — *Clivius* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. — *Divus* ed. Spir.

ardore retinendae Agrippinam pot. Sic MSS. et edd. vett. praeter cod. MS. Corb. qui habet *Agrippinam ardore retinendae p.* eoque ordine hodie verba eduntur. Sed satis Nostro usitata est haec vocabulorum transpositio, quam praeferunt libri optimi. cf. not. ad 1, 67. Accuratissimus scriptor verba ponit eo ordine, ut praecedant, in quis maior est sermonis vis. Ita hoc loco Tacitus non erat dicturus *Agrippinam eo usque provectam*; sed *ardore retinendae potentiae* illam eo usque provectam. Ceterum ed. Spir. pro *ardore* suppeditat *amore*. Eadem mox *offerre se* pro *offerret se*. MS. Ies. *die* pro *diei*. MS. Guelf. *pervectam*.

lasciva. Edd. Spir. Alc. *lascivia*. MS. Corb. *lasciviam*. Sed MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Rhenan. sqq. *lasciva*.

et praenuntias. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Corb. edd. Spir. Pich. sqq. — *praenuncias*, omissa copula *et*, MS. Guelf. edd. Put. M. et V. sqq.

flagitii. Sic edd. Rhenan. sqq. — *flagitiis* MSS. Flor. (test. Ryckio secundum Iac. Gronov. collat.) Agr. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Idem in MSS. invenit Broterius. Defenderem hanc scripturam, ni intolerabilis esset κακοφωνία in *praenuntias flagitiis blanditias*: et infr. 15, 23. legimus *praenuntiam imminentis caedis contumeliam*.

inlecebras. Sic MS. Flor. test. Vict. — *illecebras* MS. Guelf. edd. vett. et recentiorum pleraeque.

subsidium a femina petivisse: immissamque Acten libertam, quae simul suo periculo et infamia Neronis anxia deferret pervulgatum esse incestum gloriante matre, nec toleraturos milites profani principis imperium. Fabius Rusticus non Agrippinae, sed Neroni cupitum id memorat eiusdemque libertae astu disiectum. sed quae Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere et fama huc inclinat, seu concepit animo tantum immanitatis Agrippina seu credibilior novae libidinis meditatio in ea visa est, quae puellaribus annis stuprum cum Lepido spe dominationis admiserat, pari cupidine usque ad libita Pallantis provoluta et exercita ad omne flagitium patrui nuptiis.

III. Igitur Nero vitare secretos eius congressus, abscedentem in hortos aut Tusculanum vel Antiatem in agrum laudare, quod otium lacesseret. postremo, ubicunque haberetur, praegravem ratus interficere constituit, hactenus consultans, veneno an ferro vel qua alia vi: placuitque primo venenum. sed inter epulas principis si daretur, referri ad casum non poterat tali iam Britannici exitio: et ministros tentare arduum videbatur

infamia. Ed. Spir. *fama*. Eadem mox ante *matre* addit *Agrippina*, datque cum Guelf. *prophani* pro *profani*. Pro *eiusdemque* eadem habet *eius denique*.

Cluvius. Libri vett. ut supra.

concepit. Sic MSS. Flor. (sec. collat. I. Gronov.) Reg. Corb. edd. Spir. Ernest. sqq. — *conceperit* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Sed auctor definite dicit: aut unum fuit aut alterum. Aliis locis eandem utriusque modi confusionem vidimus.

stuprum cum Lepido. cf. Sueton. Cal. c. 24. Dio 59, 22.

Cap. 3. *Antiatem*. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. — *Anciatem* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

lacesseret. Ed. Spir. more suo *lacesceret*.

praegravem. Sic edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *praegrave* MSS. Bud. Guelf. ed. Spir., quod licet possit referri ad formulam *haberi Agrippinam*, multo melior tamen est vulgata scriptura.

ratus. Ed. Spir. *ritus*.

an ferro. MSS. Bodl. Ies. Guelf. *vel ferro*. Male. Librarii putabant ita scribendum ob sequens *vel*, cuius tamen alia ratio est.

tentare. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *temptare* ed. Spir. Eadem mox *intentate* pro *intentae*. Omittit deinde *et* ante *ne quis*. Tum pro *illi* legitur ibi *illo*, uti in MS. Guelf. MS. Corb. *mulierque usu scelerum adversus insidias intenta*.

mulieris usu scelerum adversus insidias intentae: atque ipsa praesumendo remedia munierat corpus. ferrum et caedes quonam modo occultaretur, nemo reperiebat: et ne quis illi tanto facinori delectus iussa sperneret, metuebat. Obtulit ingenium Anicetus libertus classi apud Misenum praefectus et pueritiae Neronis educator ac mutuis odiis Agrippinae invisus. ergo navem posse componi docet, cuius pars ipso in mari per artem soluta effunderet ignaram. nihil tam capax fortuitorum quam mare et si naufragio intercepta sit, quem adeo iniquum, ut sceleri adsignet, quod venti et fluctus deliquerint? additurum principem defunctae templum et aras et cetera ostentandae pietati.

IV. Placuit sollertia tempore etiam adiuta, quando Quinquatruum festos dies apud Baias frequentabat. illuc matrem elicit, ferendas parentum iracundias et placandum animum dictitans, quo rumorem reconciliationis efficeret acciperetque Agrippina, facili feminarum

obtulit. MS. Flor. (test. Vict.) *optulit.*

classi. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Ernest. sqq. — *classis* MSS. Bud. Harl. Ies. Bodl. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. usque ad Ernestium. Utroque modo, ut scribit Ernestius, haud dubie Noster loquitur; sed *praefectus* cum dativo pro participio, *praefectus* c. genit. pro substantivo habendum est. Mox Guelf. *solutam.*

quod venti. Ed. Spir. *quod ventus.* Eadem *delinquerint* pro *deliquerint.*

ostentandae. MSS. Harl. Guelf. *ostendendae.*

pietati. Sic MSS. Flor. (test. Pichena) Harl. Bodl. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Iac. Gronov. sqq. — *pietatis* MSS. Reg. Ies. Corb. Agr. ed. Spir. et edd. Lips. sqq. ad Iac. Gronovium. Utraque constructio Nostro usitata est. cf. not. ad 2, 59. At 1, 60. *distrahendo hosti.* Infr. c. 4. *occultando facinori.*

Cap. 4. *tempore etiam adiuta.* Sic MSS. Flor. (testante Victorio per silentium) Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. — *tempore etiam iuta* Lipsius, ut ipse testatur, e MSS. incertum quibus, quem deinde omnes secuti sunt. Utrumque probum est. Kiesslingius maluit *iuta.* Ed. Spir. *in tempore etiam vita.*

Quinquatruum festos dies. cf. Suet. Ner. c. 34. MS. Guelf. *quinquatrium.*

parentum. Ed. Spir. *patrum.* MS. Corb. *parentis.* Verum in universum spectat sententia.

quo rumorem. Ed. Spir. *quorum more.* MS. Agr. *quo rumore afficeret.* Pro *reconciliationis* Guelf. habet *conciliationis.* cf. not. ad Hist. 1, 71.

acciperetque Agrippina. Sic MS. Reg. ed. Spir. et inde edd. Berneg-

credulitate ad gaudia. Venientem dehinc obvius in litora (nam Antio adventabat) excepit manu et complexu ducitque Baulos. id villae nomen est, quae promontorium Misenum inter et Baianum lacum flexo mari adluitur. Stabat inter alias navis ornatior, tanquam id quoque honori matris daretur: quippe sueverat triremi et classiariorum remigio vehi. ac tum invitata ad epulas erat, ut occultando facinori nox adhiberetur. Satis constitit exstitisse proditorem et Agrippinam auditis insidiis an crederet ambiguam gestamine sellae Baias pervectam.

geri (auctore Freinshemio), Gronoviorum, Ryck. sqq. cf. 4, 48. *sonorem alterius proelii non acciperet.* — *acciperetque Agrippinam* MSS. Flor. (sec. collat. I. Gronovii) Agr. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. (a sec. m.) edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. nullo idoneo sensu. A pr. m. Guelf. habuit *accipereque Agrippinam.* Sed vitium videtur originem traxisse e mala distinguendi ratione apud vett. libros omnes obtinente: *facili f. c. ad gaudia venientem. Dehinc* etc. A Freinshemii via diversam emendandi rationem inierunt Pichena, qui volebat: *deciperetque Agrippinam;* Lipsius: *alliceretque Agrippinam*, quibuscum consentit Ernestius propter sequentia. Sed *alliceret* otiosum et frigidum est, quia iam praecessit *elicit; deciperet* languet. Nam de fraude illum cogitasse per totum locum satis constat. Mox MS. Corb. ed. Spir. *facili credulitate foeminarum a. g.* MS. Guelf. pro *credulitate* suppeditat *crudelitate*.

in litora. Pichena vult *in litore.* Male. Nam latet notio eundi.

excepit. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Put. M. — *excipit* edd. Puteol.. V. Beroald. Alc. Rhen. sqq., ut videtur ex emendandi studio et ob sequens *ducitque.* Sed vid. not. ad 1, 39 et 2, 7. Mox ed. Spir. *quae promontorium miserium inter Baiarum lacum flexo mari allabitur.* Pro *promontorium* MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ferunt *promuntorium.*

adluitur. Sic (sive *alluitur*) MSS. Vat. 1958. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *allabitur* MSS. Vat. 1863. et 1864. Harl. Reg. Corb. ed. Spir. tanquam passive. cf. 1, 70. *aut modice adlabente aestu.* Sed vulgatum unice esse verum non est quod doceam.

matris. Sic edd. recentiores inde a Lips. prima. — *matri* MSS. Flor. (sec. I. Gron. coll.) Bud. Guelf. (littera *s* ibi erasa est et *i* pictum a rec. m.) edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. De aliis MSS. silentium est. I. Gronovius coniecit legendum: *id quoque honoris matri daretur.*

sueverat. MS. Guelf. *solebat*, ex interpretamento.

ac tum. Ed. Spir. *ac tunc.*

proditorem. MS. Bodl. *proditionem.* Mox *sellae* Lipsius a priscis libris (nescio quibus) abesse testatur.

Baias pervectam. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Contra MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Bud. Agr. Guelf. Reg. Harl. Bodl. Ies. Corb. pro *Baias* habent *Baulos* (Guelf. *bahulos*). — At verba sequentia: *ibi blandimentum ... collocata*, non ad *Baulos* sed ad *Baias* spectant. Nam ibi convivium celebratum est, Agrippinaque insidiarum anxia gestamine sellae, non nave, Baulis pervecta

ibi blandimentum sublevavit metum, comiter excepta superque ipsum collocata. nam pluribus sermonibus modo familiaritate iuvenili Nero et rursus adductus, quasi seria consociaret, tracto in longum convictu prosequitur abeuntem artius oculis et pectori haerens, sive explenda simulatione seu periturae matris supremus aspectus quamvis ferum animum retinebat.

V. Noctem sideribus inlustrem et placido mari quietam quasi convincendum ad scelus dii praebuere.

Baias, inde Baulos repetens fraudem experta est. cf. Sueton. Ner. c. 34. qui expressis verbis: *Repetentique Baulos in locum corrupti navigii machinosum illud obtulit.* Confusior etiam Xiphilinus 61, 13. qui de convivio Baulis habito narrat, quae Noster de convivio Baiano, his verbis ille usus: *ἐλθών τε εἰς Βαύλους, δεῖπνά τε πολυτελέστατα ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἐποίησε, καὶ τὴν μητέρα ἐν αὐτοῖς φιλοφρόνως εἱστίασεν.* Idem in praecedenti etiam narratione a Tacito diversus tradit: *πόῤῥω δὲ ἐς τὴν Καμπανίαν ἀπάρας καὶ παραλαβὼν τὴν μητέρα ἔπλευσεν ἐπ' αὐτῆς ἐκείνης τῆς νεὼς λαμπρότατα κεκοσμημένης, ὡς καὶ ἐπιθυμίαν αὐτῇ ἐμβαλεῖν ἀεί ποτε τῇ νηΐ χρῆσθαι.* Varia igitur de hac re traditio apud veteres fuisse videtur. Ceterum MS. Corb. locum: *gestamine* etc. corrumpit sic: *maestam, miscllam, Baulos provectam.*

blandimentum. MS. Agr. *blandimento.*

metum. Ed. Spir. *metu.* Sed cf. Caes. B. C. 3, 80. *ad sublevandam omnium rerum inopiam.* Verba sequentia: *comiter excepta superque ipsum collocata* rationem reddunt, suntque hic ablativi absoluti. Nil igitur opus est emendatione Heinsii: *comiter exceptae supraque ipsum collocatae*, aut I. Fr. Gronovii: *ibi blandimenta sublevarunt metum comiter exceptae, superque ipsum collocatae.*

familiaritate iuvenili. Heinsio videbatur nihili esse *familiaritas* illa *iuvenilis.* Coniiciebat audaci suo more: *iamque ludicri sermonis admotis hilaritate iuvenili Nero, et rursus adductis.* Taedet talia adferre.

adductus. cf. 12, 7. *adductum quasi et virile servitium.* Hist. 3, 7. *adductius ... imperitabat.*

tracto. Ed. Spir. *tractu.*

artius. Sic ed. Spir. et recentt. inde a Lips. prima. *arctius* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. Rhen. Ald.

oculis. Heinsius frustra coniecit *osculis.* Nam mox sequitur *aspectus.*

explenda simulatione. Ablativus causam indicat: intellige sive per simulationem, quae explenda esset. cf. 3, 19. *ulciscenda morte.* Ne igitur mutes *explendae simulationi*, uti volebant Lipsius et Pichena, quodque probat Kiesslingius. cf. *Günther* in Athenaeo Vol. II. fasc. 2. p. 276.

quamvis ferum animum. cf. not. ad 1, 76.

Cap. 5. *sideribus.* Sic MS. Guelf. ed. Spir. et recentt. — *syderibus* edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald.

nec multum erat progressa navis duobus e numero familiarium Agrippinam comitantibus, ex quis Crepereius Gallus haud procul gubernaculis adstabat, Acerronia super pedes cubitantis reclinis poenitentiam filii et matris reciperatam gratiam per gaudium memorabat, cum dato signo ruere tectum loci multo plumbo grave: pressusque Crepereius et statim exanimatus est. Agrippina et Acerronia eminentibus lecti parietibus ac forte validioribus, quam ut oneri cederent, protectae sunt. nec dissolutio navigii sequebatur turbatis omnibus et quod

nec multum. MS. Guelf. *nec multo.*

ex quis. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Agr. Reg. edd. Spir. Ryck. I. Gronov. Ernest. sqq. — *ex quibus* MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

Crepereius. Ed. Spir. *Creperius*; at mox *Crepereius.*

adstabat. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *astabat* ed. Spir.

Acerronia. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Ryck. sqq. *Accronia* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. et Iac. Gron. Illud verum esse docent inscriptiones apud Murat. p. 1621. et MSS. Suetonii Tib. c. 73.

reclinis. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. recentt. inde a Lips. prima. *reclivis* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Eandem varietatem invenimus 13, 16.

reciperatam. Sic edd. recentt. ex usu Taciti. *recuperatam* edd. vett. cum MSS. Bud. Agr. Guelf. Reg. Corb. Intactum etiam mansit Victorio, cum alibi corrigat *recip.* Ceterum MSS. Reg. Corb. ed. Spir. verba habent hoc ordine: *et matris recuperatam gratiam.* Recte; nam *filii* et *matris* vocabula hic potissimum sibi invicem sunt opposita. Vulgo edunt: *et reciperatam matris gratiam*, uti est apud Guelf. Put. sqq. Heinsii emendatio: *matri* pro *matris* non adeo necessaria videtur esse in eo, quem recepimus, verborum ordine. Mox pro *pressusque* MS. Agr. dat *oppressusque*, ex interpretamento. Sed cf. Hist. 3, 77. 4, 2. An. 16, 9.

exanimatus est. Sic MSS. Flor. Agr. edd. vett. et Iac. Gron. sqq. Verbum *est* omittitur in MSS. Bud. Guelf. edd. Lips. sqq. Pichena volebat: *exanimatus. At Agr.*

eminentibus lecti parietibus. Sic MSS. Vaticc. 1863. et 1864. Reg. Agr. (a sec. m. *tecti*) Bud. edd. Spir. Ryck. Ernest. Brot. sqq. Pro *lecti* exhibent *tecti* MSS. Flor. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. usque ad Ryckium; *tecti* etiam additum est in MS. Vat. 1863. in qua scriptura explicanda et defendenda operam perdiderunt priores.

ac forte. Sic MS. Flor. (test. Pich.) edd. Spir. et recentt. Omittunt *ac* MSS. Bud. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. et Lipsii priores.

quam ut oneri c. Ex emendatione Pichenae. — MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Harl. Bodl. Ies.

plerique ignari etiam conscios impediebant. Visum dehinc remigibus unum in latus inclinare atque ita navem submergere. sed neque ipsis promptus in rem subitam consensus et alii contra nitentes dedere facultatem lenioris in mare iactus. Verum Acerronia imprudentia dum se Agrippinam esse utque subveniretur matri principis clamitat, contis et remis et quae fors obtulerat navalibus telis conficitur. Agrippina silens eoque minus agnita unum tamen vulnus humero excepit. nando, deinde

Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *quamvis oneri c.* Sed cf. 13, 22. *validiore . . . . quam ut.* Et contextus clamitat Pichenae emendationem esse veram. Kiesslingius mavult *quam qui.* Pro *cederent* ed. Spir. dat *crederent.*

etiam conscios. MS. Bud. et edd. quaedam ante Pichenam omittunt *etiam*, quod tamen est in edd. vett. omnibus et MSS. Flor. Harl. Bodl. Ies. Guelf.

visum dehinc. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Harl. Bodl. Ies. Agr. Guelf. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *iussum* edd. Put. M. et V. Beroald. Riv. Alc. et suadente Lipsio Pichen. I. Fr. Gronov. Namque Lipsius censet remiges id a se non excogitavisse, sed fecisse iussos. Contra illum dicit Freinshemius aliquos remigum conscios fuisse (*plerique ignari etiam conscios impediebant*), et de his intelligendum esse istud *visum.* Sin iussi fecissent, consensum non defuturum fuisse. Kiesslingius tamen reposuit *iussum.* De frequenti utriusque verbi confusione vid. not. ad 1, 8. Mox ante *unum in latus* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silentio Vict.) Alc. Rhen. Ald. addunt *ratem.* Abest ea vox a MS. Corb. edd. Spir. et recentt., ac merito. Nam quorsum *ratem* et mox *navem* in eadem sententia? In MS. Agr. deest *unum.*

consensus. Guelf. *conscensus.* Idem mox *demere* pro *dedere.*

imprudentia. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Agr. Reg. Bud. (pr. m.) ed. Spir. — *imprudens* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. De MSS. ceteris ita tacent, ut idem inesse videatur. Ryckius utrumque tolerari posse censet. Praefero scripturam eam, quae melioribus libris nititur, eademque melius loco convenit. Etenim *imprudentiâ* indicat totam rem imprudenter factam, quod sibi vult scriptor. Ita et *prudentia* ponitur 4, 33. et *imprudentiâ* Hist. 2, 34.

utque subv. Sic MS. Flor. (sec. collat. I. Gronov.) edd. Ernest. sqq. Victorius tamen intactum reliquit *et ut*, quod est in edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Omittunt copulam MSS.: Reg. Guelf. Harl. Bodl. Ies. ed. Spir. Unde colligitur Puteolanum ex ingenio addidisse *et.*

et quae fors. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. edd. Spir. Beroald. (c. sil. Vict.) Pich. sqq. — *et quae sors* edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. et MSS. vulgo, testante Broterio. MS. Guelf. *ut quaeque sors.* Eadem utriusque vocabuli confusio saepius recurrit. cf. not. ad Hist. 4, 1 et 26. Nostro loco Pichena recte vindicavit *fors.* cf. 1, 28. 49. Virg. Aen. 7, 554. Horat. Serm. 1, 1, 2.

occursu lenunculorum Lucrinum in lacum vecta villae suae infertur.

VI. Illic reputans ideo se fallacibus litteris accitam et honore praecipuo habitam, quodque litus iuxta non ventis acta, non saxis impulsa navis summa sui parte veluti terrestre machinamentum concidisset, observans etiam Acerroniae necem, simul suum vulnus aspiciens: solum insidiarum remedium esse, si non intelligerentur: misitque libertum Agerinum, qui nuntiaret filio benigni-

lenunculorum. Sic MSS. Flor. (sec. collat. I. Gronov.) Reg. Harl. Ies. Guelf. Bud. (pr. m.) edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. et Ryck. sqq. — Rhenanus (e MS. Bud. sec. m. credo) posuerat *lembunculorum*, quod locum obtinuit usque ad Ryckium, et ita est in cod. MS. Bodl., qui tamen in margine habet *lenunculorum*. MS. Agr. *remunculorum*. Eiusdem varietatis exempla apud alios quoque esse docuit Ernestius ad h. l.

vecta villae suae infertur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Reg. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. Pichen. sqq. — *vectam. Villae suae inferunt* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Lips. Gruter., uti est in MSS. Bodl. Ies. Guelf. Bud. Non tacebo Victorium in ed. Ber. *vectam* intactum reliquisse, quum corrigeret *infertur* pro *inferunt*.

Cap. 6. *quodque litus*. Ed. Spir. *quod quia littus*, quod vitium e compendio scripturae exortum puta.

aspiciens. Ed. Spir. *inspiciens*.

misitque. Sic MSS. Flor. Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Sed quia deest verbum finitum in priore periodi parte ideoque impeditior evadit oratio, Rhenanus et recentiores editores omiserunt copulam *que* in *misitque* eoque remedio locum in sanitatem restituisse et omnia bene concinnasse sibi videntur. Nam verba: *solum insidiarum r. e., si n. intelligerentur* tum pendere e vocabulo *reputans* dicunt et per verbum *misit* exsolvi structuram participiorum praecedentium. Neque tamen video, qua ratione locus ille: *solum insidiarum* etc. possit pendere e *reputans*, quod satis habet, quo referatur, nempe ad: *ideo se fallacibus ... concidisset*. Latius non valet. Namque sequuntur mox alia participia, *observans*, *aspiciens*, per quae prioris participii valor abolitus postea revocari nequit. Licet igitur *que* expungatur, manent impedimenta. Solum eius difficultatis remedium est, ut verba: *solum . . . intelligerentur* pro ipsius Agrippinae verbis vel cogitatis vel dictis accipiamus, ut pendeant e verbo omisso, ut *dixit*, *cogitavit*, *intellexit*. Talia enim haud raro apud Nostrum omittuntur. cf. Hist. 5, 20. *nec omnia patrandi fiducia, sed multa ausis .... fortunam affore*. Ubi e praecedenti verbo *fiducia* intelligendum est *confisus est* vel simile quid. An. 1, 49. *truces etiam tum animos cupido involat eundi in hostem, piaculum furoris, nec aliter posse placari commilitonum manes* etc. An. 15, 5. *sibi imbecillum equitem, pabuli inopiam*. Iam obiter etiam inspicienti intelligitur eandem plane rationem esse loci, quem nunc tractamus, intactumque relinquendum *misitque*. Et MS. Agr. quidem habet *putavit* post *remedium esse*, scilicet ex emendatione. Recepit tamen Ryckius nemine adplaudente. Sunt etiam qui ad locum: *solum insidiarum* etc. intel-

tate deum et fortuna eius evasisse gravem casum: orare, ut quamvis periculo matris exterritus visendi curam differret: sibi ad praesens quiete opus. Atque interim securitate simulata medicamina vulneri et fomenta corpori adhibet: testamentum Acerroniae requiri bonaque obsignari iubet. id tantum non per simulationem.

VII. At Neroni nuntios patrati facinoris opperienti adfertur evasisse ictu levi sauciam et hactenus adito discrimine, ne auctor dubitaretur. Tum pavore exanimis et iam iamque adfore obtestans vindictae properam, sive servitia armaret vel militem accenderet, sive ad senatum et populum pervaderet, naufragium et vulnus et interfectos amicos obiiciendo. quod contra subsidium sibi,

ligant *rata.* Sed commodius intelligitur verbum finitum. Ceterum cf. not. ad 3, 16. sub v. *apud senatum.* Video et Kiesslingium restituisse *misitque.*

fortuna eius. Int. Neronis. Etenim Agr. adulatione salutem suam ad fortunam filii referebat, ut Classicianus prospera Suetonii ad fortunam rei publicae, infr. c. 38. f.

tantum non. Graece *μόνον οὐ* vel *μόνον οὐχί*, h. e. fere, paene, propemodum. cf. Viger. c. VII. sect. 9. reg. 8. Sueton. Tib. 11. 52. 67. Claud. 38. Domit. 15. Schwarz. ad Plin. Paneg. 23, 1. Gronov. et Drakenb. ad Liv. 4, 2. Sententia est: obsignationem quidem iussam, hactenus tamen ut parum a simulacro obsignationis res abfuerit. Cuncta enim Agrippina agebat, tanquam insidias non intelligeret securamque se crederet. Ita etiam rerum Acerroniae curam egit in defunctis solitam, ut securitatem ostentaret nec quidquam omitteret, quod omissum terroris se et rei intellectae convincere posset. Alii *tantum non* hoc loco accipiunt pro *tantummodo non*, ut sententia sit: *id unum non per simulationem fecit.* Sed hoc non inest formulae *tantum non*, cuius ignorantia etiam peperit scripturam cod. Guelf. *id tamen per simulationem*, et MS. Reg. ed. Spir. *id tantum per simulationem.* In aliis quoque locis formula illa ita mutilata est, ut particula negativa omitteretur. cf. interprett. ad Plin. Paneg. l. l.

CAP. 7. *facinoris.* MS. Guelf. *facionoris.*

opperienti. Ed. Spir. more suo *operienti.* Eadem *offertur* pro *adfertur.* Verbum *patrati*, si fides Victorio, deest in MS. Flor.

adito. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Rhenan. sqq. — *addito* edd. Put. M et V. Beroald. Alc., uti est in MS. Bud. aliisque. Totum locum male refingunt MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *et hactenus addito discrimine auctor dubitaret*, eandemque rationem Victorius e MS. Flor. adnotavit, nisi quod *adito* dat pro *addito.* MS. Agr. *addito discrimine auctor dubitare.* Facile intelligis in hisce libris *ne* absorptum esse a voce praecedenti, et terminationem *ur* in *dubitaretur* periisse ob compendium scripturae. Cod. MS. Guelf. hic bene sanus est.

subsidium. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. *suffragium* ed. Spir. quod multis placuit nec absurdum esse videtur. Nam *suf-*

nisi quid Burrus et Seneca expergerent? quos statim acciverat, incertum an et ante ignaros. Igitur longum

fragium pro *subsidium* saepe dixere posterioris aetatis scriptores. cf. Ael. Spartian. in Pescenn. Nigro c. 11. *nec sibi unquam vel contra solem vel contra imbres quaesivit tecti* (sic corrigo pro *lecti*) *suffragium, si miles non habuit.* Paul. Warnefr. de gest. Langob. 2, 1. *Tunc Alboin electam e suis manum direxit, qui Romanis adversum Gothos suffragium ferrent.* Quae exempla, ni faciant ad confirmandam ed. Spir. scripturam, docebunt tamen, quomodo oriri potuerit. MSS., si fides est silentio virorum, qui inspexere, consentiunt in *subsidium.* cf. not. ad 1, 3. Groslotius volebat *suffugium.*

expergerent. MS. Flor. (test. Vict. c. al.) *expergens.* — MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *expertes.* — MSS. Bud. (sed erasa priore scriptura) Guelf. Harl. Ies. *expurgent.* — MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *expergiscerentur.* In marg. MS. Bodl. *expurgent, explicent.* MS. Agr. et inde ed. Ryck. *expromerent.* Quae cum infirma viderentur, viri docti multas tentavere emendationes. Auctor incerti nominis a Pichena laudatus: *expedirent*, quod nuper in contextum receperunt Bekkerus et Kiesslingius. Boxhornius delebat *quid.* Iac. Gronovius: *expurgetis, expergetis, expurgent.* Heinsius: *expergiti suggerant.* Hillerus: *exputent* vel *expiscarentur.* Bip. et Oberl. sqq. recepere *reperirent.* In qua opinionum varietate certissimum duxi acquiescere in verbo, quod suppeditat MS. Flor. *Expergere* (h. e. excitare) etiam dicitur Gellio 6, 10 *Taurus . . . tum vel maxime ista re animos iuvenum expergebat, Euclidem quam dicebat Socraticum factitavisse.* Sic Nonius (ex Accio) 2, 278. *Heus vigiles, properate, expergite pectora tarda sopore, exsurgite.* Nam de excitando aliquo subsidio, quod opponatur militi, populo, senatui ab Agrippina excitatis sermonem esse docet contextus. Nec fortuito ortum putes *expergiscerentur*, quod est in MS. Bodl. Fuit *expergiscerent*, et hoc pro *expergerent.* Frequens autem est in vett. libris ea confusio, qua ponunt formam participii (*expergens*) pro imperf. coniunct. Sic c. 32. libri quidam *cedens* pro *cederet.*

incertum an et ante ignaros. Sic vett. libri consensu. Ernestius deleverat *et;* Oberlinus *et* reposuit, *ignaros* vertit in *gnaros*, quod Ernestius e correctione viri docti in ed. Gryph. invenit. Videamus an satis recte unus aut alter. Si scribis *gnaros*, tum sententia est, ex vulgari opinione Burrum et Senecam gnaros ante haberi, esse tamen, qui contradicant ignarosque putent. Etenim formulam *incertum an* Tacitus ponit, ut suspicionem falsi moveat contra opinionem plurimorum et vulgarem. Quare si scribis *ignaros*, ille sibi vult, ex vulgari opinione utrumque virum fuisse ignarum, esse tamen, qui contra illos suspicionem moveant tanquam gnaros. Hoc aptius est et virorum nominibus dignius. Tangit autem Noster hisce verbis famam illam, cuius nuntium habemus Xiphilinum 61, 12. καὶ αὐτὸν καὶ ὁ Σενέκας, ὡς πολλοῖς καὶ ἀξιοπίστοις ἀνδράσιν εἴρηται, παρώξυνεν, εἴτ' οὖν τὸ ἔγκλημα τὸ καθ' ἑαυτοῦ ἐπηλυγάσασθαι etc. Particula *et* non pertinet ad *ante*, quasi *ante ignari* opponantur *nunc ignaris;* sed coniungit illa *statim accitos* et *ante ignaros.* At quia *ante ignaros* non poterat certo dicere, interponit auctor *incertum an.* Multifariam illud *et* interpretes offendit apud Tacitum, ut nescirent quid sibi vellet. Kiesslingius cum Bekkero scribit *gnaros.*

utriusque silentium, ne inriti dissuaderent, an eo descensum credebant, ut, nisi praeveniretur Agrippina, pereundum Neroni esset. post Seneca hactenus promptius respicere Burrum ac, sciscitaretur an militi imperanda caedes esset? Ille praetorianos toti Caesarum domui obstrictos memoresque Germanici nihil adversus progeniem eius atrox ausuros respondit: perpetraret Anicetus promissa. Qui nihil cunctatus poscit summam sceleris.

utriusque. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. MS. Agr. *utrinque.* Ed. Spir. *utrumque.* Heinsius coniecit *utrique.* Sed non video, quid in vulgato displiceat. — Guelf. scribit *scilentium.*

an eo descensum. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichena) Bud. edd. Spir. Pichen. sqq. — *et eo desc.* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *aut eo desc.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Mox MS. Flor. (test. Vict.) cum ed. Spir. omittit *ut* ante *nisi.*

post Seneca. MS. Guelf. *prior Seneca.*

promptius. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. ed. Spir. — *promptior* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. De ceteris MSS. silentium est.

respicere Burrum ac, sciscitaretur an etc. Ed. Spir. *respiceret Burrum ac si citaretur.* MS. Bud. *despiceret B. ac sciscitaretur.* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silentio Vict.) Alc. Rhen. *respicere Burrum ac si scitaretur.* Ita vulgo in MSS. legi testatur Broterius. MS. Agr. et inde edd. Ryck. Ernest. sqq. *respicere Burrum ac sciscitari*, quod etiam Freinshemius volebat. Et primum quidem *respiceret* vel *despiceret* tolerari nequit. Quis enim sibi persuadebit Senecam Neroni dixisse, *respiceret* vel *despiceret Burrum.* Immo Seneca, dum responsum dat, respicit Burrum. Nihili etiam est *ac si scitaretur*, nec dubitandum, hanc scripturam exortam ex *ac sciscitaretur.* Nam constanti usu Noster scribit *sciscitari*, non *scitari.* cf. Hist. 1, 84. 2, 33. 34. 3, 38. et alibi. Verum autem esse *sciscitaretur*, nec *sciscitari*, credamus vett. libris, in quos fortuito coniunctivum imperfecti pro infinitivo inrepsisse nemini persuadebitur. Quid multa? Eadem plane est huius loci ratio, quam mox iterum habebis in verbis c. 8. *respicit Anicetum ... ac, si ad visendum venisset, refotam nuntiaret.* Nimirum omissum est, ut saepe, verbum *dixit*, *ait*, *inquit* vel simile quid, unde pendeat *sciscitaretur.* Quare intellige: *Seneca ... respicere Burrum, ac, sciscitaretur,* inquit, *an militi* etc. Ad Neronem haec dicuntur, Burrumque Seneca respicit, quia ex hoc sciscitandum erat. Iam etiam apparet rectius legi *promptius* quam *promptior*, quanquam haec varietas non est magni momenti.

caedes. MS. Agr. *nex.* Guelf. *an militi imperandae caedes essent.*

memoresque. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gron.) Bud. Corb. Reg. edd. Spir. Iac. Gronov. Ernest. sqq. — *et memores* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

cunctatus. Ed. Spir. *conctatus.* Edd. Lips. Gruter. *contatus*, uti solent. *poscit.* Sc. ut sibi committeretur.

summam sceleris. Sic Hist. 4, 68. *summam belli parum tolerarent.*

Ad eam vocem Nero illo sibi die dari imperium auctoremque tanti muneris libertum profitetur. iret propere duceretque promptissimos ad iussa. Ipse audito venisse missu Agrippinae nuntium Agerinum scenam ultro criminis parat, gladiumque, dum mandata perfert, abiicit inter pedes eius. tum quasi deprehenso vincla iniici iubet, ut exitium principis molitam matrem et pudore deprehensi sceleris sponte mortem sumpsisse confingeret.

VIII. Interim vulgato Agrippinae periculo quasi casu evenisset, ut quisque acceperat, decurrere ad litus. hi molium obiectus, hi proximas scaphas scandere: alii, quantum corpus sinebat, vadere in mare, quidam manus protendere: questibus, votis, clamore diversa rogitantium aut incerta respondentium omnis ora compleri: adfluere ingens multitudo cum luminibus atque, ubi incolumem esse pernotuit, ut ad gratandum sese expedire, donec aspectu armati et minitantis agminis disiecti sunt.

ad eam vocem. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Reg. Corb. Bud. Agr. edd. Spir. Iac. Gronov. Ernest. sqq. — *ad illam vocem* MSS. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

illo sibi die. Ex emendatione Rhenani, quam veram esse nemo unquam dubitabit. MS. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. *illos invidiae*, quod vitium ortum est ex permutatione litterarum *v* et *b*, de qua diximus ad 11, 5. et alibi. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. *illos in brevi die.* MSS. Corb. et in marg. Harl. *illis invidiae.* De MS. Agr. tacent. Naudetus tamen Heinsii nota ad locum: *ad eam vocem* scripta deceptus prodidit, in cod. Agr. esse *illo.*

auctoremque. MS. Guelf. *auctorem quia*, cuius generis vitia originem traxere e compendiis scripturae.

missu. Guelf. in margine *iussu.*

perfert. Ed. Spir. *perferret.*

tum quasi. Ed. Spir. *tunc quasi.* Eadem mox *vincula*, uti solet, pro *vincla*, quod est in MSS. Reg. Guelf.

exitium. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *exitum.* cf. not. ad 13, 1.

Cap. 8. *molium obiectus.* Lipsius de his molibus ad Baias conferri iubet Cassiodor. Variar. 9, 6. Strab. 5, p. 245. Virg. Aen. 9, 710. Auson. ep. 9, 30. Oberlinus addidit Horat. Od. 3, 1, 34.

votis. Edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. et MSS. Bodl. Ies. Bud. Guelf. *vocis.* — MSS. Harl. Corb. *vocibus.* Emendavit Rhenanus in *votis.* Nihil in vett. MSS. frequentius est quam litterarum *t* et *c* permutatio ob utriusque similitudinem.

rogitantium. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Bud. Guelf. et Broterii MSS. edd. Spir. Pichen. sqq. Idem voluerat Rhenanus. Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *rogantium.*

adfluere. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *affluere* MS. Guelf. edd. vett. Mox MS. Guelf. omittit *ad* ante *gratandum.* Idem scribit *multutudo.*

disiecti sunt. Ed. Spir. *delecti*

Anicetus villam statione circumdat refractaque ianua obvios servorum abripit, donec ad fores cubiculi veniret, cui pauci adstabant ceteris terrore inrumpentium exterritis. Cubiculo modicum lumen inerat et ancillarum una, magis ac magis anxia Aprippina, quod nemo a filio ac ne Agerinus quidem *aliam fore lateret faciem, nunc solitudinem ac repentinos strepitus et extremi mali indicia. Abeunte dehinc ancilla, „tu quoque me dese„ris" prolocuta respicit Anicetum trierarcho Herculeo et Oloarito centurione classiario comitatum, ac si ad visendum venisset, refotam nuntiaret: sin facinus patra-

sunt. MS. Bud. *deiecti sunt.* Simile mendum deprehendimus 2, 60.

refractaque ianua. MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *retractaque.* Vulgatum habent Puteolanus sqq. cum MS. Guelf.

abripit. Sic MS. Flor. (test. Vict.). Recte. Inde per errorem natum est *obripit* in edd. Put. M. et V. et MSS. Bud. Guelf. — *arripit* edd. Spir. Beroald. Alc. Rhen. sqq. De aliis MSS. silentium est.

adstabant. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *astabant* ed. Spir. — Eadem mox *terrore caeteris* pro *ceteris terrore.*

inrumpentium. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. — *irrumpentium* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

cubiculo modicum. Ed. Spir. *modicum cubiculo.*

*quidem *aliam fore lateret faciem, nunc s.* Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. ed. Spir. Paulum inde aberrat MS. Corb. qui dat *latere* pro *lateret*, et MS. Agr. *fere latere.* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. *aliam fore litore faciem.* In Harl. emendatum *fere* pro *fore.* Hinc edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *aliam fere littore faciem, nunc s.* Quae veterum librorum scripturae quum parum probabiles esse viderentur, accessere virorum doctorum coniecturae. Ryckius: *aliam fores ante faciem: nunc solitudinem* etc. Aurelius: *aliam ferre litora faciem.* Broterius: *aliam fores ante rerum faciem.* Bipont.: *aliam portendere faciem.* Trillerus: *aliam fore litore faciem, si laetarentur* (vel *laetaretur* sc. Nero). Hillerus: *aliam verens litoris faciem.* Rupertius locum violentis medicaminibus sanandum ratus proposuit haec: *quod nemo a filio, ac ne Agerinus quidem, nuntium ferret, horrere vastam nunc solitudinem* etc. Woltmannus: *aliam fore latere faciem, ein anderes Bild berge die Thür.* Mihi satis visum est referre haec de loco, ut videtur, corrupto; dispellendae caliginis gloriam acutioribus relinquo. In contextu expressi scripturam potiorum librorum, unde reliquorum verba emendationis studio ab una alterave parte immutata fluxere.

extremi mali indicia. Ed. Spir. *extremi mali indicta.* MS. Corb. *extrema mali indicia.*

trierarcho. Ed. Spir. *Thearco.* Mox *thearcus.*

Herculeo. Sic edd. vett. At MSS. Flor. (test. Vict.) et Guelf. *Herculeio.* Iidem libri *obarito* scribunt pro *Oloarito.* Sed in nominibus obscurorum virorum trepidat crisis.

venisset. Ed. Spir. *venissent;* sed dein *nunciaret.* Eadem mox *sui* pro *sin.*

turus, nihil se de filio credere, non imperatum parricidium. Circumsistunt lectum percussores et prior trierarchus fusti caput eius adflixit: nam in mortem centurioni ferrum destringenti protendens uterum „ventrem „feri" exclamavit, multisque vulneribus confecta est.

IX. Haec consensu produntur. Aspexeritne matrem exanimem Nero et formam corporis eius laudaverit, sunt qui tradiderint, sunt qui abnuant. Cremata est

imperatum. MS. Guelf. *impetratum.*

parricidium. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Put. M. et V. Ald. et edd. recentt. — *paricidium* edd. Spir. Beroald. Alc. Rhen.

fusti caput eius adflixit. Sic edd. Spir. et Lips. Pich. sqq. et sic MS. Flor. (test. Vict.), nisi quod dat *capud* pro *caput.* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *fuste caput eius afflixit.* Etiam Guelf. scribit *capud.*

nam in mortem. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. et sic MSS. Flor. (sec. I. Gronov. collat.) Bud. Guelf. Agr. Tacet Broterius de suis MSS. Sed Faërno, Groslotio, Ursino auctoribus edd. Bipont. Oberl. sqq. dedere *iam in mortem.* Acidalius volebat: *caput eius afflixit non in mortem*, quod probatum Ernestio. Adfirmant *iam* respondere vocabulo *prior.* Id tamen si Noster voluisset, puto scripturum fuisse *tum* vel *dein.* Iam vero *nam* genuinum est. Indicatur causa, cur trierarchus caput mulieris fusti adflixerit. Nam ut fustibus illam necarent, percussores accessisse ne credas. Immo ferrum centurio destringit, ut uno vulnere Agrippinam in mortem adficiat. Sed illa centurionem impedit ac percussores inritat protendendo uterum et *ventrem feri* exclamans. Hinc centurioni opem ferunt alii et prior trierarchus fusti adflixit eius caput; deinde sequuntur reliqui, ut ita multis vulneribus conficeretur. Non enim persuadebis mihi Agrippinae post fustem capite expertum satis animi superfuisse, ut uterum protenderet atque exclamaret: *ventrem feri.* cf. Ryckius ad h. l. Ceterum ed. Spir. pro *in mortem* dat *morte.*

destringenti. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Ryck. Iac. Gronov. sqq. *distringenti* MSS. Bud. Guelf. edd. vett. cf. not. ad 1, 32. — Post verbum *exclamavit* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. usque ad Lipsium addunt ex Octavia tragoedia (v. 368 sqq.) excerpta haec: *rogans ministrum ut utero dirum ensem conderet: adiiciens hic est, hic est fodiendus ferro, monstrum qui tale tulit. Post hanc vocem cum supremo mixtam gemitu animam tandem post fera tristem vulnera reddidit. Ictibus enim et multis* (vel *multisque*) etc. Sed absunt haec ornamenta a MSS. Flor. (test. Vict.) Vatic. Reg. Corb. ed. Spir., quare Lipsius delevit, nec persuadebit nobis Strombeckius ea esse genuina. MS. Agr. locum habet sic: *Hunc, exclamavit, hunc feri, monstrum qui tale tulit.* Nota illa *ê* in MS. Guelf. post *adiiciens hic* non significat *en*, ut vult Strombeckius, sed vulgare compendium est verbi *est.*

Cap. 9. *produntur.* Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gron.) Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. et Iac. Gronov. sqq. — *traduntur* edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. ad Iac. Gronov. De MS. Agr. silentium est; Ryckius edidit tum vulgatum *traduntur.*

sunt qui tradiderint. cf. Xiphilin. 61, 14. Sueton. Ner. c. 34.

nocte eadem convivali lecto et exsequiis vilibus, neque, dum Nero rerum potiebatur, congesta aut clausa humus. mox domesticorum cura levem tumulum accepit viam Miseni propter et villam Caesaris dictatoris, quae subiectos sinus editissima prospectat. Accenso rogo libertus eius cognomento Mnester ipse ferro se transegit, incertum caritate in patronam an metu exitii. Hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina contempseratque. nam consulenti super Nerone responderunt Chaldaei fore ut imperaret matremque occideret: atque illa, „Occidat" inquit „dum imperet."

X. Sed a Caesare perfecto demum scelere magnitudo eius intellecta est. reliquo noctis modo per silentium defixus, saepius pavore exsurgens et mentis inops lucem opperiebatur tanquam exitium adlaturam. atque eum auctore Burro prima centurionum tribunorumque adulatio ad spem firmavit prensantium manum gratan-

Boethius carm. 2, 6. Paulo ante vocabulum *eius* apud *laudaverit* deest in MS. Agr. Ceterum structura loci offert anacoluthon.

nocte eadem. Sic Puteolan. sqq. cum MS. Guelf. — *eadem nocte* ed. Spir. Eadem mox *patiebatur* pro *potiebatur*.

humus. Sic MS. Flor. edd. Spir. Beroald. Pichen. sqq. *humo* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. In MS. Flor. litterae *us* etiam deletae sunt ac supra adpositum *o* a recentiore manu. Mox Guelf. pro *propter* fert *pp* h. e. prope; nam ita ibi est in margine. Idem omittit *et* ante *villam*.

rogo. Sic MSS. Flor. Guelf. et ceteri libri vett. *regno* ed. Beroald. vitiose.

Mnester. MS. Reg. *Timester.* Ed. Spir. *Ninester.*

ipse ferro se transegit. Sic MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Puteol. sqq. — *Se* omittitur in MSS. Flor. Corb. Reg. ed. Spir. Iidem libri excepto MS. Flor. pro *ipse* ferunt *ipso*. Ernestius optime coniecit legendum *ipse se f.* Mox Guelf. *patrona* pro *patronam*.

super Nerone. MS. Reg. ed. Spir. *super Neronem.* — Pro *imperaret* MS. Agr. dat *imperitaret*.

Cap. 10. *reliquo noctis.* Sic MS. Bud. et inde edd. Rhenan. sqq. et pridem ed. Spir. — *reliquum noctis* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Utrumque latinitati convenit.

opperiebatur. Ed. Spir., uti solet, *operiebatur.* Eadem ab initio capitis ante *intellecta* addit *et*, non video cui bono. Mox ea habet *actore* pro *auctore*.

prensantium. Sic edd. Ernest. sqq. cf. Hist. 1, 36 et 66. 2, 46. 3, 28. An. 1, 21. 68. — *prehensantium* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Ernestium. — *pressantium* MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. Bud. ed. Spir.

manum. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. Guelf. edd. Put. sqq. Pich. sqq. — *manu* MSS. Reg. Corb. Agr. edd. Spir. et quaedam (Lips. Grut.) ante Pichenam et dein edd. Ernest. sqq. Sed *prensare*

tiumque quod discrimen improvisum et matris facinus evasisset. Amici dehinc adire templa et coepto exemplo proxima Campaniae municipia victimis et legationibus laetitiam testari: ipse diversa simulatione maestus et quasi incolumitati suae infensus ac morti parentis inlacrimans. Quia tamen non ut hominum vultus ita locorum facies mutantur obversabaturque maris illius et litorum gravis aspectus (et erant qui crederent sonitum tubae collibus circum editis planctusque tumulo matris audiri), Neapolim concessit litterasque ad senatum misit, quarum summa erat:

XI. Repertum cum ferro percussorem Agerinum ex intimis Agrippinae libertis et luisse eam poenam conscientia, qua scelus paravisset. Adiiciebat crimina longius repetita, quod consortium imperii iuraturasque in feminae verba praetorias cohortes idemque dedecus senatus et populi speravisset: ac posteaquam frustra optata

manu est *mit der Hand erfassen.* Sic Hist. 1, 36. *prensare manum, jemanden bei der Hand fassen.* Hist. 1, 66, *genua prensando.* Hist. 2, 46. 3, 28. An. 1, 21. Nemo non videt huic loco convenire posterius.

adire. Hoc verbum deest in ed. Spir.

ac morti parentis. MSS. et vett. edd. omnes *morte;* recentiores editores (inde a Lips. prima) substituerunt *morti*, et sic Cic. de N. D. 3, 33. *Quid dicam de Socrate? cuius morti illacrimari soleo Platonem legens.* Potest tamen ablativus exprimere causam, ob quam illacrimabat, ut ita verbum absolute accipiatur. cf. Sueton. Oct. c. 66. *ceterum et illacrimavit .... quod* etc.

ut hominum vultus, ita locorum facies. Sic edd. Spir. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. At in MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. *vultus* omittitur. Codex Guelf. vocabulum *hominum* habet in fine versus, ultra quem additum est *vultus.* Iac. Gronovius contra testatur in MS. Oxon. suo non esse *facies*, idque abesse posse indicant viri docti. Nego. Nam oppositio non solum spectat ad vocabula *hominum* et *locorum*, sed etiam ad *vultus* et *facies.* Namque *vultus* est aliquid mutabile, *facies* constans. Alius est vultus locorum vernus, alius hibernus; sed facies eadem.

obversabaturque. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. al.) edd. Pichen. sqq. Copulam omittunt MSS. Harl. Bodl. Ies. Reg. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. et ed. Spir. pro *obversabatur* dat *observabatur.* Eadem mox copulam iterum omittit in *planctusque.* In MS. Guelf. *circum* deest post *collibus.*

Cap. 11. *conscientia.* MS. Bud. et inde edd. Rhen. sqq. *ea conscientia.* Pichena pronomen delevit auctoritate MS. Flor., cum quo consentiunt MS. Guelf. edd. vett.

ac posteaquam frustra optata sint. Sic MSS. Vatic. (test. Lipsio) Agr. edd. Bernegg., Gronoviorum,

sint, infensa militi patribusque et plebi dissuasisset donativum et congiarium periculaque viris inlustribus instruxisset. quanto suo labore perpetratum, ne inrumperet curiam, ne gentibus externis responsa daret? Temporum quoque Claudianorum obliqua insectatione cuncta eius dominationis flagitia in matrem transtulit, publica fortuna exstinctam referens. namque et naufragium narrabat: quod fortuitum fuisse, quis adeo hebes inveniretur, ut crederet? aut a muliere naufraga missum cum telo unum, qui cohortes et classes imperatoris perfringeret? Ergo non iam Nero, cuius immanitas omnium

Ryck. sqq. — *ac postquam frustra oblata sit* ed. Spir. — *ac posteaquam frustra oblata sint* MSS. Harl. Bodl. Ies. Reg. Guelf. (hic *postquam*) Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. At sec. collat. Iac. Gronovii e MS. Flor. sicut e Farnes. et Corb. adferunt *ablata*, et si fides Iacobo, in Flor. est *sit* pro *sint*. Accessere virorum doctorum coniecturae. Rhenan. *frustrata sit*. Lips. *frustra ab illa tentata sint*. Danes. *posteaquam frustrata, ut infensa* etc. Muretus *hinc postquam frustra habita sit*. Acidalius *captata sint*. I. Fr. Gronov. *frustra tentasset*. Heins. *frustra coeptata sint*. Frustra omnia. *Optata* etiam et *ablata* esse ab emendandi studio facile tibi persuadebis. Verissime, ut mihi videtur, ed. Spir. *oblata sit* pro *se obtulerit* sc. militi patribusque et plebi ut consortem imperii; vel *oblata sit* per ministros suos et amicos. Sic Suet. Domit. c. 22. *oblatam in matrimonium sibi*. Putabam etiam omisso dubio verbo legi posse: *ac posteaquam frustra* (sc. fuerit. cf. Hist. 1, 75. *utrisque frustra fuit*, vel intellecto *speraverit* e praecedd.), *infensa* etc. Ernestius ex ed. Spir. attulit *oblatu*; ne credas.

militi. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gron.) Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Ernest. sqq. — *militibus* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

inlustribus. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *illustribus* edd. vett. c. Guelf.

obliqua insectatione. Sic MS. Agr. edd. Lips. sqq. — *oblita ins.* MSS. Flor. Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. vett. Emendatio Lipsiana certissima est. cf. 2, 55. *oblique perstringere*; 3, 35. *castigatis oblique*. Suet. Dom. c. 2. *obliquis orationibus et edictis*. Lipsius mendum derivat ex prisca ratione scribendi *oblica*. Rectissime, et hic iterum est vulgaris illa litterarum *t* et *c* permutatio, de qua diximus ad c. 8.

publica. MS. Flor. (test. Vict.) *puplica*, uti solet. cf. not. ad 11, 3.

namque. Eo respicit, quod illam fortuna publica exstinctam dixerat.

quod fortuitum fuisse. Sic Rhenanus ex ingenio; secuti sunt dein omnes editores. Libri vett. *fuisset*. Ed. Spir. addit etiam *et* ante *quod*, unde apparet veteres locum ita accepisse, ut *quod* tanquam coniunctio penderet e *narrabat*. Pro *hebes* ed. Spir. dat *ebes*, omissa aspiratione.

questus anteibat, sed Seneca adverso rumore erat, quod oratione tali confessionem scripsisset.

XII. Miro tamen certamine procerum decernuntur supplicationes apud omnia pulvinaria utque Quinquatrus, quibus apertae insidiae essent, ludis annuis celebrarentur: aureum Minervae simulacrum in curia et iuxta principis imago statueretur: dies natalis Agrippinae inter nefastos esset. Thrasea Paetus silentio vel brevi adsensu priores adulationes transmittere solitus exiit tum senatu ac sibi causam periculi fecit, ceteris libertatis initium non praebuit. Prodigia quoque crebra et inrita intercessere. anguem enixa mulier et alia in concubitu mariti fulmine exanimata. iam sol repente obscuratus et tactae de coelo quattuordecim urbis regiones. quae adeo sine cura deum eveniebant, ut multos post annos Nero imperium et scelera continuaverit. Ceterum quo gravaret invidiam matris eaque demota au-

sed Seneca adverso rumore erat. Sic MSS. Harl. Bodl. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Alio ordine Rhenanus sqq. sic: *sed adverso rumore Seneca erat.* De ceteris MSS. silentium est.

confessionem. Ed. Spir. *confessiones.*

Cap. 12. *pulvinaria.* Ed. Spir. *palunaria.*

Quinquatrus. Sic edd. recentiores inde a Lips. prima, et sic fere MS. Flor. qui test. Vict. dat *quinquatruus*, ex quo per contractionem fit *quinquatrus.* cf. Sueton. Ner. c. 34. *solemnia Quinquatruum.* Id. Octav. c. 71. *Quinquatrus satis iucunde egimus.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. (sec. m.) edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. *quinquatria.* cf. Sueton. Dom. c. 4. *Quinquatria Minervae.* MS. Bud. (pr. m.) *quinquatrium.* MS. Corb. *quinquatriis*, quod ortum est e *quinquatrus.* Ed. Spir. *quinquatrii.*

quibus apertae insidiae essent. Sic MSS. Flor. (t. V.) cum Iac. Gron.) Guelf. et ed. Spir. — *quibus apertae essent insidiae* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

ludis annuis. Intellige scenicis aut circensibus.

iuxta. MS. Flor. (test. Iac. Gron.) *iusta* vulgari litterarum confusione. In Guelf. saepius *iusta* scribitur pro *iuxta.* cf. not. ad Hist. 4, 22.

adsensu. Sic MS. Flor. (test. Vict.). — *assensu* edd. vett.

exiit tum senatu. Ex emendatione Lipsii, quae nititur locis 16, 21. et Xiphilin. 61, 15. qui refert: *ὁ Πούπλιος δὲ Θρασέας Παῖτος ἦλθε μὲν ἐς τὸ συνέδριον καὶ τῆς ἐπιστολῆς ἐπήκουσεν· ἀναγνωσθείσης δὲ αὐτῆς ἐξανέστη τε εὐθὺς, πρὶν καὶ ὁτιοῦν ἀποφήνασθαι καὶ ἐξῆλθε· διότι ἃ μὲν ἤθελεν εἰπεῖν οὐκ ἠδύνατο, ἃ δὲ ἠδύνατο, οὐκ ἤθελε.* MSS. et edd. vett. *exitium senatui.*

inrita. Sic MS. Flor. (test. Vict.); *irrita* edd. vett. Ante *alia in concubitu* ed. Spir. omittit *et;* addit vero *est* post *exanimata.*

tactae. MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *tactas.* Rectius MS.

ctam lenitatem suam testificaretur, feminas inlustres Iuniam et Calpurniam, praefectura functos Valerium Capitonem et Licinium Gabolum sedibus patriis reddidit ab Agrippina olim pulsos. etiam Lolliae Paullinae cineres reportari sepulcrumque exstrui permisit: quosque ipse nuper relegaverat Iturium et Calvisium poena exsolvit. Nam Silana fato functa erat, longinquo ab exsilio Tarentum regressa labante iam Agrippina, cuius inimicitiis conciderat, vel tum mitigata.

XIII. Cunctanti in oppidis Campaniae, quonam modo urbem ingrederetur, an obsequium senatus, an studia plebis reperiret anxio, contra deterrimus quisque,

Guelf. edd. Puteol. sqq. *tactae.* Nam praecedentia etiam per nominativum exhibentur.

lenitatem. Ed. Spir. *levitatem.*

inlustres. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *illustres* edd. vett.

Iuniam. cf. 12, 4. et 8. Ed. Spir. *Liviam.*

Calpurniam. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et edd. Lips. sqq. cf. 12, 22. Edd. vett. c. Guelf. exhibent *Calphurniam.*

praefectura functos. Lipsius volebat *praetura f.*, quod probant multi interque eos nuper Ricklefs. Incerta tamen emendatio est. *Praefectura* est plerumque dignitas equestris et varium eius genus, ut praefectura Aegypti, classium, alarum, urbis, annonae. cf. 13, 22.

Licinium. Ed. Spir. *Licinum.*

Lolliae. cf. 12, 22. De Iturio, Calvisio, Silana vid. 13, 22.

sepulcrumque. Sic MS. Flor. (test. Vict.) *sepulchrumque* edd. vett. c. Guelf.

Iturium. Cod. Ursin. MSS. Agr. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. *Titurium.* Rhenanus induxit *Iturium.* Illud verum puto. Nam *Titurius* est nomen familiae Romanae. cf. Caes. B. G. 5, 24 sqq. Sueton. Iul. c. 25. In loco 13, 22. littera *T* facile potuit absorberi a praecedenti copula *et.* De *Ituriis* nil audivi.

Silana. Sic edd. Spir. Lips. sqq. — *Syllana* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. Ald.

longinquo. MS. Guelf. *longinco*, quae scriptura frequens est in vett. libris. cf. not. sup. ad c. 11. sub verb. *obliqua.*

regressa. Ed. Spir. *reversa.* Eadem *ceciderat* pro *conciderat.* MS. Agr. *ceciderat maxime.*

vel tum. MS. Flor. (test. Vict.) *vel tamen*, quod fortasse reponendum est, quanquam vulgata per omnes edd. scriptura non displicet. De frequenti utriusque particulae confusione vid. not. ad 13, 42.

Cap. 13. *reperiret.* MS. Bud. et inde edd. Rhen. sqq. *repeteret.* Pichena e MS. Flor. restituit *reperiret*, quae est cod. Guelf. et veterum edd. omnium scriptura. Paulo ante MS. Corb. dat *in urbem* pro *urbem.*

anxio. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *anxius* ed. Spir. — *ansius* MS. Flor. (test. Vict.), vulgari litterarum *s* et *x* permutatione. Scilicet *anxius* referebant ad verbum *ingrederetur.* De constructione: *cunctanti . . . disserunt* cf. not. ad 11, 3.

quorum non alia regia fecundior exstitit, invisum Agrippinae nomen et morte eius accensum populi favorem disserunt: iret intrepidus et venerationem sui coram experiretur: simul praegredi exposcunt. et promptiora quam promiserant inveniunt: obvias tribus, festo cultu senatum, coniugum ac liberorum agmina per sexum et aetatem disposita, exstructos qua incederet spectaculorum gradus, quo modo triumphi visuntur. Hinc superbus ac publici servitii victor capitolium adiit, grates exsolvit, seque in omnes libidines effudit, quas male coercitas qualiscunque matris reverentia tardaverat.

XIV. Vetus illi cura erat curriculo quadrigarum insistere, nec minus foedum studium cithara ludicrum in modum canere, cum coenaret, quod is regium et antiquis ducibus factitatum memorabat, idque vatum lau-

regia. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) Bud. Harl. Bodl. Guelf. edd. Rhenan. sqq. — *regio* MSS. Agr. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. et nuper Weisii.

exstitit. Sic MS. Flor. t. Vict. — *extitit* edd. vett. c. Guelf.

disserunt. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Ita et MS. Harl., sed in margine *dixerunt*, quod praeferunt MS. Reg. et ed. Spir.

praegredi. Sic MSS. Flor. (test. Pichena) Bodl. edd. Gronov. sqq. Victorius tamen intactum reliquit *progredi*, quod est in MSS. Harl. Ies. Reg. Bud. Guelf. edd. vett. Ea quoque confusio compendio scripturae debetur. cf. not. ad 15, 66. 3, 5. Hist. 2, 4. 5, 23. et 25.

senatum. Ed. Spir. *senatu.*

Cap. 14. *vetus illi cura erat.* Sic edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Ernest. Oberl. sqq. — Sed MSS. Flor. (test. Vict. c. Ryck.) Bud. Agr. Guelf. aliique (nam tacet Broterius de suis, dum edit *copia*) edd. Spir. Lips. sqq. pro *cura* exhibent *copia*, quod an pro vi et facultate hic accipi possit, nondum satis constat. Sallust. Cat. c. 17. *quibus in otio vel magnifice vel molliter vivere copia erat.* Plin. epp. 2, 3. *Summa est facultas, copia, ubertas* (de oratore). Id. 1, 20. *adsunt huic opinioni meae leges, quae longissima tempora largiuntur, nec brevitatem dicentibus, sed copiam, hoc est diligentiam, suadent.* Alia tamen horum exemplorum ratio est. Nec *cura* satis placet. Hinc Lipsius malebat *cupido;* Hillerus *culpa.* Ryckius vocabulum *copia* male accipit de licentia, permissu praeceptorum et matris.

cum coenaret. Ed. Spir. *cum celaret*, vitiose. Hottevillius coniecit *in scena*, quod placet Oberlino, non mihi.

quod is regium et a. d. f. memorabat. Ita locum legendum esse nihil dubito. Nam MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) dat *ꝗs regium* (non *quis*, uti nonnulli putant). *Is* sc. Nero. Qui compendium illud scripturae non intelligerent, dedere *quis regum*, uti

dibus celebre et deorum honori datum. enimvero cantus Apollini sacros, talique ornatu adstare non modo Graecis in urbibus, sed Romana apud templa numen praecipuum et praescium. Nec iam sisti poterat, cum Senecae ac Burro visum, ne utraque pervinceret, alterum concedere. clausumque valle Vaticana spatium, in quo equos regeret haud promiscuo spectaculo. mox ultro vocari populus Romanus laudibusque extollere, ut est vulgus cupiens voluptatum et, si eodem princeps trahat, laetum. Ceterum evulgatus pudor non satietatem, ut rebantur, sed incitamentum attulit. ratusque dedecus molliri, si plures foedasset, nobilium

est in MSS. Guelf. Bud. (pr. m.) Harl. Ies. Bodl. (in margine). — *quis regibus* MS. Reg. ed. Spir. — *quod regibus* MS. Bodl. in contextu, edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Iac. Gronovius malebat *quasi regium* et mox *memorans*. Ernestius: *antiquis regum et ducibus*. Kiesslingius de scriptura, quam recepi, consentit. Pro *memorabat* ed. Spir. dat *memoret*. E MS. Flor. adferunt *memorat*, quod ita defendi potest, ut Tacitum putemus hausisse ex autographo quodam Neronis vel monimento qualicunque, fortassis e carminibus, quae c. 16. dicit. Victorius tamen intactum reliquit vulgatum. MS. Guelf. *factum* pro *factitatum*.

Apollini. Ed. Spir. *Apollinis*. Adhaesit littera postrema e voce sequenti.

numen praecipuum. Sic edd. Rhenan. sqq. — *nomen praecipuum* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. eadem confusione, quam vidimus 1, 73. — *nomen principum* MS. Guelf. Idem mox *viso* pro *visum*.

utraque. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Harl. (sec. m.) edd. Spir. Pichen. sqq. Victorius tamen intactum reliquit *utroque*, quod est in MSS. Bodl. Ies. Harl. (pr. m.) Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. In MS. Bud. sec. m. dedit *utrumque*, quod volebat Lipsius. Vocabulum *utraque* accipe pro accusativo graece posito, aut cum Oberlino intellige *parte*. Nam quod volunt Bipontini, *utraque* sc. libido, nihili est. Ceterum neque *utroque* ineptum esse videtur. Heinsius emendabat: *ne utraque pervincerent*.

promiscuo. MS. Flor. (t. Vict.) *promisco*, uti solet. Ed. Spir. *promiscuos*, attracta ultima littera e vocabulo sequenti.

laudibusque. Sic MSS. Flor. (test. Pichena) Harl. Guelf. (a sec. m.) edd. Spir. Beroald. (c. silent. Vict.) Pichen. sqq. Copulam *que* omittunt MS. Bud. edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq.

eodem. MS. Bud. et edd. Rhen. sqq. *eo*. Pichena revocavit *eodem* e MS. Flor., cum quo MS. Guelf. et edd. ante Rhenanum omnes consentiunt.

evulgatus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. — *vulgatus* edd. Put. Ber. Alc.

molliri. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichen.) Bud. Agr. Bodl. Harl. (sec. m.) edd. Spir. et Broterii. — MSS. Guelf. Reg. Ies. Harl. (pr. m.) *moliri*, neglecta, ut fit, altera littera *l*, qua alterius lit-

familiarum posteros egestate venales in scenam deduxit, quos fato perfunctos ne nominatim tradam, maioribus eorum tribuendum puto. nam et eius flagitium est, qui pecuniam ob delicta potius dedit quam ne delinquerent. Notos quoque equites Romanos operas arenae promittere subegit donis ingentibus, nisi quod merces ab eo, qui iubere potest, vim necessitatis adfert.

XV. Ne tamen adhuc publico theatro dehonestaretur, instituit ludos iuvenalium vocabulo, in quos passim nomina data: non nobilitas cuiquam, non aetas aut acti honores impedimento, quo minus Graeci Latinive histrionis artem exercerent usque ad gestus modosque haud viriles. quin et feminae inlustres deformia medi-

terae omissione nihil in MS. Guelf. et ed. Spir. frequentius est. Sed haec librorum auctoritas nondum valuit in detrimentum scripturae *amoliri*, quae est in edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Puteolanus dederat *amolliri*. Sed quis unquam scripsit: *ratusque dedecus amoliri?* Immo post *ratus* in tali contextu sequitur infinitivus passivi. Igitur cum veterum librorum causa, tum ob elegantiam reponendum *molliri*. cf. 11, 25. *ignominiam mollire*. Consentiunt pro hac scriptura Lipsius, Freinshemius et Iac. Gronovius. Eandem Kiesslingio receptam video.

familiarum. Ed. Spir. *familiarium*, et ita fuit in Guelf., sed sec. m. correxit *familiarum*. Idem mox *senam* pro *scenam*.

nam et eius flagitium est. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. De aliis MSS. viri docti ita tacent, ut in hac scriptura videantur conspirare. At ed. Spir. omittit *nam*, eaque auctoritate et suadente Ernestio Bekkerus locum edidit sic: *puto. et eius fl. est*, etc. Sed particula *nam* non caret sua vi poniturque hic elliptice, ut saepe. Etenim post verba: *tribuendum puto* supplendum est: idque recte putare mihi videor, vel simile quid: *Nam* etc. Simile exemplum exstat infr. 16, 18. *Nam illi dies* etc. Vid. ibi not. cf. Ramshorn. Gr. § 187. p. 563.

ob delicta potius. Ed. Spir. *potius ob delicta*. Eadem mox: *donis subegit ingentibus*, et ita MSS. Reg. et Agr.

nisi quod. cf. not. ad 1, 33.

Cap. 15. *publico*. MS. Flor. (test. Vict.) *puplico*. Vocabulum *theatro* abest a MS. Ies., qui idem est cod. Oxon. Iac. Gronovii, non diversus, ut videtur Kiesslingio. Pro *adhuc* MS. Guelf. *haec*.

iuvenalium. MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Spir. *iuvenilium*. Sed cf. 15, 33. Sueton. Ner. c. 11.

usque ad gestus modosque haud viriles. Heinsius volebat *motusque* pro *modosque* ob locum 15, 37. et Horat. Od. 3, 6. quae mutatio non displicet Ernestio. Ryckius vulgatum defendit adlatis locis Quintil. I, 17. *Numeros musice duplices habet in vocibus et in corpore. Utriusque enim rei aptus quidam modus desideratur*. Et paulo post: *Quamvis satis iam ex ipsis quibus sum modo usus exem-*

tari: exstructaque apud nemus, quod navali stagno circumposuit Augustus, conventicula et cauponae et posita veno inritamenta luxui, dabanturque stipes, quas boni necessitate, intemperantes gloria consumerent. Inde gliscere flagitia et infamia, nec ulla moribus olim corruptis plus libidinum circumdedit quam illa colluvies. Vix artibus honestis pudor retinetur, nedum inter certamina vitiorum pudicitia aut modestia aut quidquam probi moris reservaretur. Postremus ipse scenam incedit multa cura tentans citharam et praemedi-

plis credam esse manifestum, quae mihi et quatenus musice placeat, apertius tamen profitendum puto, non hanc a me praecipi, quae nunc in scenis effeminata et impudicis modis fracta, non ex parte minima, si quid in nobis virilis roboris manebat, excidit. Ed. Spir. pro *gestus* dat *gestos.*

navali stagno. cf. 12, 56. Suet. Oct. c. 43. Mox Guelf. *caupona* pro *cauponae.*

et posita veno. Operarum vitio in ed. Put. V. inrepserat *vero* pro *veno*, quod vitium dein in alias edd. venit, ètiam in ed. Alc. Correxit Rhenanus e MS. Bud. cum quo Guelf. consentit. Apud Beroaldum inveni *veno.*

inritamenta luxui. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. et ed. Spir. Sic *decora feminis* 2, 55.; *plures seditioni duces* 1, 22.; *finem bello* 2, 21.; *modum argento* 2, 33. ubi vid. not. — *irritamenta luxus* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *irritamenta luxuriae* MSS. Vatic. Agr.

dabanturque. Sic Put. sqq. c. MS. Guelf. — Ed. Spir. omittit *que.*

nec ulla. Ernestius delendum censet *ulla* intelligendumque *quid, quidquam.* Putat similia exempla se repperisse. Utinam addidisset.

olim corruptis. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Ernest. sqq. — *corruptis olim* edd. Rhen. sqq.

reservaretur. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. cum silentio Victorii. Ed. Spir. *reservatur*, unde Ernestius suspicatur legendum *reservetur*, cui tamen formae hic locus nullus; immo optativo opus est. Paulo ante Guelf. fert *quicqd* pro *quidquam.*

postremus ipse. Sic edd. vett. cum silentio Victorii; sic et MSS. Bud. Guelf. et alii, nisi fallor. Inde a Lipsio edunt *postremo.* Perperam. *Postremus* ut graecum τελευταῖος ponitur adverbii loco, quoniam ad ipsum subiectum refertur. cf. Matthiae Gr. § 446. 8. Prius Nero alios viros nobiles invitaverat ad histrionum partes in scena agendas; postremus ipse scenam incedit.

scenam. Sic MSS. Flor. Reg. Vatic. (Lipsii) Agr. edd. Spir. Beroald. Lips. sqq. — *scenas* MSS. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. Ald.

incedit. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Bud. Guelf. Agr. edd. Spir. Rhenan. Ald. Ernest. Brot. Oberlin. sqq. — *ascendit* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *inscendit* edd. Lipsii sqq. ad Ernestium, ut videtur, e MS. Vatic. Nam Lipsius profitetur e libris ita se restituisse. Sed cf. 1, 61. *incedunt locos maestos.* Infr. c. 22. *fontem*

tans adsistentibus. facies accesserat cohors militum, centuriones tribunique et maerens Burrus ac laudans. tuncque primum conscripti sunt equites Romani cognomento Augustanorum, aetate ac robore conspicui et pars ingenio procaces, alii in spe potentiae. hi dies ac noctes plausibus personare formam principis vocemque deum vocabulis appellantes: quasi per virtutem clari honoratique agere.

XVI. Ne tamen ludicrae tantum imperatoris artes notescerent, carminum quoque studium adfectavit, contractis quibus aliqua pangendi facultas.

... *nando incesserat.* Etenim *incedere* per cognationem dicitur pro *intrare.* cf. Roth. Quaest. Gr. (*Neues Archiv f. Philol. u. Päd.* 1830. p. 27.).

tentans. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. *temptans* ed. Spir.

adsistentibus. facies etc. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Farnes. Guelf. Bud. edd. Bip. Oberl. sqq., nisi quod veteres libri scribunt et coniungunt *assistentibus facies.* — MS. Vatic. (Lips.) ed. Spir. *absistentibus facies.* MS. Agr. *assistentibus ceteris.* Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *assistentibus familiaribus.* Deinde *accesserat* dedit Lipsius pro *abscesserat*, quod est in MS. Guelf. et vett. edd. cum silentio Victorii. A Bipontinis locus concinnatus est uti nunc legitur. *Adsistentibus* est ablativus absolutus eiusdem generis, de quo dictum est ad 1, 29. sub v. *orantibus.* Intellige *cum adsisterent* sc. homines (quod vocabulum in MS. Flor. supra adscriptum esse dicitur. Victorius de hac re tacet.). *Facies*, ut Hist. 2, 89. *decora facies*, de pompa speciosa. Alii alias emendandi loci vias incessere. Lipsius coniiciebat: *assistentibus facibus*, quia mox sequitur *dies ac noctes.* Rhenanus: *Absistentium facie abscesserat cohors m.* Muretus: *assistentibus fonascis* s. *phonascis.* Iac. Gronovius: *assistenti histrionum aciei.* Heinsius: *assistentibus amicis.* Hillerus: *avertentibus facies omnibus*, vel *accendentibus faces familiaribus.* Woltmannus: *multa cura t. c. et p. adsistentibus facies. Accesserat* etc. Convertit: *mit vieler Sorgfalt die Cither versuchend und den Nebenstehenden die Mienen vorübend.* Rupertius: *praemeditans adsistentibus fides* s. *vocem*; vel *accinentibus voce* s. *voce aliis*; vel *et praemeditans. Flagitantibus* vel *efflagitantibus* vel *admirantibus vocem accessere et cohors* etc. vel denique *admirantibus faciem.*

centuriones. Ed. Spir. *centurionesque.* Eadem mox cum MS. Guelf. *cognomentum* pro *cognomento.*

Augustanorum. cf. Suet. Ner. c. 20. et 25. Xiphilin 61, 20.

in spe potentiae. Sc. procaces; opponuntur iis, qui procaces *ingenio.* Muretus malebat *spe*, Acidalius *in spem*, Bip. *et spe.* Sed intelliguntur *in spe* ὄντες. Mox MS. Guelf. *Hii dies et noctes* etc.

personare formam. MS. Agr. *formam personare.*

honoratique. MS. Guelf. *honorati* sine *que.*

Cap. 16. *Ne tamen.* Ed. Spir. *nec tamen.*

necdum insignis aetatis nati considere simul et adlatos vel ibidem repertos versus connectere atque ipsius verba quoquo modo prolata supplere. quod species ipsa carminum docet non impetu et instinctu nec ore uno fluens. Etiam sapientiae doctoribus tempus impartiebat post epulas, ut, quae contraria adseverant, cum

necdum insignis aetatis nati. Sic MSS. et vett. edd. Sed corruptum esse locum plerique interpretes consentiunt; quare accessere virorum doctorum coniecturae. Lips. *facultas, necdum insignis. Ii alternatim considere simul* etc. Muret. *facultas, necdum insignis erat. Ii considere simul, et natos* etc. Danes. *facultas, nedum insignis aetatis vatibus considere.* Acidal. *facultas, necdum insignis erat. Ii varii cons. s. et natos repente ibidem* etc. Pichena: *facultas, necdum insignis erat. Ii iussi considere* s. etc. Grotius pro *nati* substituit *noti.* Heinsius: *nedum insignitae artis noti.* I. Fr. Gronov. *necdum insignis erat. hi acciti cons. s.* etc. Iac. Gronov. *necdum insignis erat laus. Ii cons. s.* etc. Broterius: *necdum insignis. Aetate pares cons. s.* etc. Triller. obss. cr. 2, 21. *nec tam insignis artis gnari*, vel: *nec dum insignis arte: ii gnari cons. s.* etc. Hiller. *nati* vertit in *vates.* Oberlin. *nec dum insignis artis vatibus, cons. s.* etc. Bip. *necdum insignia arte conati.* Rupertius: *nec tamen insignis artis foetus nati.* Infeliciter omnes.

adlatos. MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. *ablatos*, et ita Bud. pr. m., unde sec. m. ibi fecit *adlatos.* Victorius intactum reliquit *allatos*, quod est in vett. edd. et MS. Guelf.

non impetu. MS. Agr. *inani impetu.*

tempus. Hoc vocabulum deest in ed. Spir.

impartiebat. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. vett. cum silentio Victorii, et nuper ed. Bekker. cf. not. ad 13, 37. Vulgo edd. recentt. Brot. Oberl. sqq. *impertiebat.*

ut, quae contraria adseverant, cum discordia eruerentur. Edd. Put. M. et V. *utque contraria asseverantium discordiae eruerentur.* Edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. *utque .... eruebantur.* Bipontini repetiere *eruerentur*, et Oberlinus dedit *ut contraria ... eruerentur*, suadente Hillero. Variant etiam MSS.: *utque* est in Flor. Reg. Bodl. (pr. m.) Agr. Bud. (sec. m.); *atque* Bud. (pr. m.) Bodl. (sec. m.) Harl. Ies. Guelf. — *eruerentur* MS. Ies. (pr. m.); *eruebantur* MS. Guelf. Ies. (sec. m.); *discordias erueret* MS. Agr.; *ruerent* MS. Reg. ed. Spir.; *ruerentur* MS. Bud.; *rueretur* MS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio). Pichena inde adfert *rueret.* — Pro *adseverantium* MS. Flor. (test. Vict. et Pichena) habet *asseverant tum;* secundum collat. Iac. Gronovii *asseverant cum.* Non enim semel accidit, ut Iac. Gron. e Flor. adferat *c*, ubi Vict. et Pich. habent *t.* Ed. Spir. *asseverant tum.* In qua loci confusione non defuere virorum doctorum coniecturae. Rhenanus: *ut contraria asseverantium discordiae quaererentur.* D. de Lamalle: *quaerebantur.* Freinshemius: *ut, quae contraria asseverantium discordia, erueret.* Ernestius: *utque ... riderentur.* Bipontini: *ut qui c. asseverarent, in discordias ruerent.* Alii alia. Sed vehementiore medicina non est opus, ut locus in sanitatem restituatur. *Utque*, quod optimis libris inest, legendum erit pro *ut quae. Adseverant*, quod praebent MS. Flor. et ed. pr., et tempore et modo optime huic loco convenit ex Taciti loquendi usu. Sic

discordia eruerentur. nec deerant qui ore vultuque tristi inter oblectamenta regia spectari cuperent.

XVII. Sub idem tempus levi contentione atrox caedes orta inter colonos Nucerinos Pompeianosque gladiatorio spectaculo, quod Livineius Regulus, quem motum senatu rettuli, edebat. quippe oppidana lascivia invicem incessentes probra, deinde saxa, postremo ferrum sumpsere, validiore Pompeianorum plebe, apud quos spectaculum edebatur. Ergo deportati sunt in urbem multi e Nucerinis trunco per vulnera corpore, ac plerique liberorum aut parentum mortes deflebant. cuius rei iudicium princeps senatui, senatus consulibus permisit. et rursus re ad patres relata prohibiti publice in

propugnant 13, 31. cf. not. ad 2, 26. sub v. *consultum est*. In MS. Flor. sitne *tum*, an *cum*, ambigua est traditio. Praefero *cum*, quanquam ne *tum* quidem absurdum esse videtur. Nam *discordia* etiam sine praepositione stare potest.

ore vultuque. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Agr. Bud. Bodl. in margine, edd. Spir. Ernest. sqq. *voce vultuque* MSS. Harl. Bodl. (in contextu) Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Ceterum *inter oblectamenta regia spectari* non est *bei den fürstlichen Ergötzungen gesehen zu werden*, uti interpretantur; sed *zu den fürstlichen Ergötzlichkeiten zu gehören* vel *in der Reihe f. E. geschaut zu werden*.

Cap. 17. *levi contentione*. Sic MS. Guelf. edd. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. Rhenan. sqq. Alii e MS. Flor. adferunt *intentione*, uti est in edd. Put. M. et V. Contra MS. Reg. ed. Spir. *intentio*, unde Ernestius coniiciebat *levi initio* vel *levi ab initio*.

Nucerinos. MS. Guelf. *Nucerionos*.

Livineius. Sic edd. recentt. inde a Lips. prima. cf. 3, 11. MS. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc Rhen. Ald. *Lividineius*. MSS. Guelf. Bud. *libidini eius*. De aliis MSS. tacetur. cf. not. infr.

rettuli. In libro deperdito.

incessentes. Ex emendatione Lipsii, quam dein cum Pichena omnes recepere. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. vett. cum silentio Vict. *incessente*, quod nescio an plane ineptum sit.

deportati sunt. Sic MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Victorii) Alc. Rhen. Ald. — *reportati sunt* edd. recentt. inde a Lips. prima sine librorum vett. auctoritate, ut videtur. Emendavit sic, qui *urbem* putaret intelligendam Nuceriam. Sed accipe Romam potius deportatos, qui Pompeianos accusarent simul cum illis, qui liberorum aut parentum mortes deflebant. Etenim *urbem* Tacitus oppidum Nuceriam haud facile dixerit.

aut parentum. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Bud. edd. Spir. Pichen. sqq. — *ac parentum* MSS. Harl. Bodl. Reg. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq.

relata. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gron.) Reg. edd. Spir. Ernest. sqq. — *delata* MSS. Bud.

decem annos eiusmodi coetu Pompeiani collegiaque, quae contra leges instituerant, dissoluta: Livineius, et qui alii seditionem conciverant, exsilio multati sunt.

XVIII. Motus senatu et Pedius Blaesus accusantibus Cyrenensibus violatum ab eo thesaurum Aesculapii delectumque militarem pretio et ambitione corruptum. Iidem Cyrenenses reum agebant Acilium Strabonem praetoria potestate usum et missum disceptatorem a Claudio agrorum, quos regis Apionis quondam avitos et populo Romano cum regno relictos proximus quisque possessor invaserant diutinaque licentia et iniuria quasi iure et aequo nitebantur. Igitur abiudicatis agris orta adversus iudicem invidia: et senatus ignota sibi esse mandata Claudii et consulendum principem respondit. Nero pro-

Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

eiusmodi coetu P. Ed. Spir. *eiusdem pompeiani cetu.* MS. Guelf. pro *eiusmodi* dat *eius.*

Livineius. Hic MS. Bud. *Lividineius*; sic et Guelf., non *Lividinerius*, ut alii prodiderunt. Ceteri libri ut supra.

conciverant. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. (c. sil. Vict.) — *concitaverant* ed. Spir.

multati sunt. Edd. vett. (cum silent. Vict.) et cod. Guelf. *mulctati sunt.* Sed cf. not. ad 1, 77. 6, 9. 13, 28. MS. Agr. omittit *sunt.*

Cap. 18. *iidem Cyrenenses.* Ed. Spir. *idem Cyrenenses,* per contractionem.

Acilium. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et edd. Spir. recentioresque inde a Lips. prima. *Attilium* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *atilium* MS. Guelf. Eadem plane librorum varietas est apud Sueton. Iul. c. 68., vulgari litterarum *c* et *t* permutatione.

quos regis Apionis quondam avitos. Libri vett. *habitos*, quod cum molestias crearet propter genitivum *regis Apionis*, plerique recentiorum editorum suadentibus Lipsio, Ryckio aliisque mutavere *regi Apioni.* Sed malui *avitos* pro *habitos* cum Heinsio. Nam iterum legimus *avitos agros* infr. c. 22. cf. Senec. ep. 88. et vulgaris est horum vocabulorum confusio. Vid. not. ad 11, 35 et 13, 34. et interprett. ad Valer. Max. 6, 2, 3. Iustin. 1, 1. *Habitos* nullo modo ferri potest, nisi legas *regi Apioni.* Verum non credo tam facile *regi Apioni* potuisse abire in *regis Apionis* quam *avitos* in *habitos.* *Aviti* autem *regis Apionis agri* non minus recte dicuntur quam *avitum Arsacidarum solium* Hist. 1, 40. Nam in *avitos* nihil est quod dativum requirat. *Apionis* MS. Flor. (test. Vict.) edd. recentt. inde a Lips. prima. *Appionis* edd. vett. c. cod. Guelf.

cum regno relictos. Ex testamento regis. cf. Eutrop. 6, 11. Iustin. 39, 5. Appian. B. C. 1, 111. Liv. epit. 70.

invaserant. Ed. Spir. c. cod. Guelf. *invaserat.* Eadem ed. Spir. mox pro *consulendum* dat *consulem dum.*

Nero probata. Sic Pichena e vestigiis MS. Flor., in quo ille invenit *ne probata.* Consentit Victorius. Pichenae emendationem dein omnes secuti sunt. Ed. Spir.

bata Strabonis sententia se nihilominus subvenire sociis et usurpata concedere scripsit.

XIX. Sequuntur virorum inlustrium mortes, Domitii Afri et M. Servilii, qui summis honoribus et multa eloquentia viguerant, ille orando causas, Servilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris et elegantia vitae, quam clariorem effecit ut par ingenio ita morum diversus.

XX. Nerone quartum, Cornelio Cosso coss. quinquennale ludicrum Romae institutum est ad morem Graeci certaminis, varia fama ut cuncta ferme nova. quippe erant qui Cn. quoque Pompeium incusatum a senioribus ferrent, quod mansuram theatri sedem posuisset. nam antea subitariis gradibus et scena in tempus structa ludos edi solitos: vel si vetustiora repetas, stan-

ne improbata. Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *princeps nec probata.* Edd. Rhenan. sqq. *princeps probata.* MSS. Bodl. Ies. Guelf. *princeps ne probata.* MS. Harl. *princeps Nero.* MS. Agr. *tum princeps non improbata.* Iac. Gronovius emendabat: *Nero rata;* Ernestius: *nec improbata*, ut principis vocabulum e praecedentibus intelligatur.

Cap. 19. *ille .... diversus. Ille* (sc. Domitius) *orando causas* (sc. celebris), *Servilius diu foro*, *mox tradendis r. R. celebris et elegantia vitae* (sc. etiam celebris), *quam* (vitam) *clariorem effecit* (eo quod) *ut par ingenio*, *ita morum diversus* (sc. a Domitio). Uterque igitur celebris, Servilius clarior, non ita ingenio, quo par tantum Afro fuisse dicitur, quam potius elegantia vitae, qua diversus erat ab Afro, non ita moribus puro. Nam Afer teste Tacito 4, 52. *prosperiore eloquentiae quam morum fama fuit.* Quae quum omnia bene fluant, nil opus esse videtur emendationibus, quis viri docti sensum loci adiuvare studuerunt. Nempe Rhenanus volebat: *quae clariorem effecit.* Sed hanc mutationem non patiuntur sequentia, ut bene vidit Acidalius. Lipsius transpositis verbis: *et quem elegantia vitae clariorem effecit.* Obstant et huic rationi sequentia. Acidalius traiectis eiectisque verbis: *ille orando c. et elegantia vitae, Servilius diu foro, mox trad. r. R. celebris, ut par ingenio, ita morum diversus.* Ernestius post *effecit* interponit *Afer.* Bipontini ex *vitae quam* faciunt *uterque eam.* Alii quanquam locum sanum putent, contortiori tamen verborum explicationi indulgent. I. Fr. Gronovio *ille ut par ingenio, ita morum diversus* non Servilius est, sed Domitius. Oberlinus: „*eloquentiam*, qua, *ut ingenio par Domitio fuit Servilius*, hic *elegantia vitae clariorem effecit*, *quippe morum* ab Afro *diversus.*" Ceterum ed. Spir. pro *tradendis* habet *trudendis.* MS. Agr. non habet *celebris.*

Cap. 20. *Nerone quartum.* MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *Nerone quarto.* cf. not. ad 13, 31 et 34.

Romae institutum est. Vocabulum *Romae* deest in ed. Spir. Eadem mox *et cuncta* pro *ut cuncta.* Deinde *mensuram* pro *mansuram.*

tem populum spectavisse. si consideret theatro, dies totos ignavia continuaret. ne spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens praetor sederet, nulla cuiquam civium necessitate certandi. Ceterum abolitos

spectavisse. si consideret theatro, dies totos ignavia continuaret. ne spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens praetor sederet, nulla cuiquam civium necessitate certandi. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Victorii). Cum vett. edd. consentiunt MSS. nisi quod unus cod. Agr. pro *si consideret* dat *ne si consideret.* Locum mendo laborare censuere omnes fere interpretes. Et Rhenanus quidem emendavit ediditque: *spectavisse: si consideret, theatro d. t. i. continuaret: Ne sp. q. a. s., quoties P. R. sederet, nulla cuiquam c. n. spectandi.* Lipsius maluit: *quotiens praetores ederent*, restituitque e MSS. *certandi.* Iam Lipsii contextus valuit usque ad Ryckium, qui suadentibus Danesio, Grotio aliisque e MS. Agr. dedit: *ne, si consideret*, omisso *ne* ante *spectaculorum.* Hinc locus vulgo editur sic: *spectavisse, ne, si consideret, theatro dies totos ignavia continuaret. Spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens praetores ederent, nulla cuiquam civium necessitate certandi.* Concedo haec bonam sententiam fundere usque ad *continuaret;* quid sibi velint sequentia: *spectaculorum . . . . . certandi*, non satis intelligo. Interpretantur: *zwar würde der Spiele alter Gebrauch beachtet, so oft sie von den Praetoren gegeben würden, daſs niemand verpflichtet aufzutreten.* Sic Strombeckius; eadem sententia, verbis paulum immutatis, Ricklefs. Sed haec non insunt. Nam ut inessent, debuisset scribi: *Spectaculorum quidem antiquitatem servari* etc. *Servaretur* autem significat: *zwar möchte* vel *würde . . . . beobachtet werden.* Quae tamen plane praeter contextum sunt, et quocunque dictionem torqueas, nil sani elici potest. Non enim apparet, quo consilio aut quo effectu illa verba dicantur. Quare locum e MS. Agr. non emendatum, sed corruptum esse persuasum habeo. Malui igitur reponere veterem scripturam, veram egregiamque. *Si consideret theatro, dies totos ignavia continuaret.* Haec sunt verba seniorum illorum Pompeium incusantium, quod mansuram theatri sedem posuisset, et laudantium veterem spectandi rationem, cum stans populus spectaret. Increpant novam rationem ut nocituram publicis moribus. Iidem pergunt: *ne spectaculorum* etc. h. e. novam rationem non solum publicis moribus nocere, sed etiam spectaculorum antiquitati (h. e. antiquae caritati, aestimationi), quae esset, quotiens praetor sederet. Antiquam nempe aestimationem illam perituram, quia desit necessitas certandi inter magistratus. Nam *certandi* verbum hic spectat ad studium magistratuum illud antiquum quo inter se contendebant in ornandis populo ludis exstruendisque theatris. Hunc verum loci sensum esse egregie docent ea, quae c. 21. contra antiquitatis admiratores ab aliis adferuntur. Ibi enim, ut singula quaeque ad praecedentem orationem respiciunt eamque refutant, ita et verba: *nec perinde magistratus rem familiarem exhausturos* etc. exacte respondent iis, quae hic dicuntur de peritura spectaculorum antiquitate civiumque certamine. Verba: *quotiens praetor sederet* intelligenda esse de praetore sedente ad spectacula satis patet; nam de spectaculis nunc sermo est. Sic 11, 11. *Sedente Claudio Circensibus ludis* etc. De re cf. Liv. epit. 48. Valer. Max. 2, 4, 3. — Mox *ceterum* ut saepe est pro *sed*, *ve-*

paulatim patrios mores funditus everti per accitam lasciviam, ut, quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in urbe visatur degeneretque studiis externis iuventus gymnasia et otia et turpes amores exercendo principe et senatu auctoribus, qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant: proceres Romani specie orationum et carminum scena polluantur. quid superesse, nisi ut corpora quoque nudent et caestus adsumant easque pugnas pro militia et armis meditentur? An iustitiam augurii et decurias equitum, egregium iudicandi

rum, aber. Hist. 3, 66. cf. Baumgarten-Crus. in clave Sueton. sub h. v.

funditus everti. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *funditus eunti* MS. Agr. ed. Spir. vitiose. A Lipsii libris aberat verbum *everti*, putabatque ille id verbum abesse posse. Sed recte animadvertit Ernestius nihili esse *abolitos paulatim funditus.* In MS. Bud. *everti* legi testatur Oberlinus. De aliis MSS. silentium est.

amores Ed. Spir. *amore.* Mox eadem *principes* pro *principe.*

scena. MS. Guelf. *scenae.*

quid superesse. MS. Flor. (test. Vict.) *quis superesse.*

adsumant. Sic MS. Flor. (test. V.) ed. Spir. — *assumant* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. cum cod. Guelf.

an iustitiam ... audissent. Quae interpretes ad hunc locum protulere, minime sufficiunt ad tenebras dispellendas. Quare accuratius haec verba erunt explicanda. Sermo est de proceribus Romanis, qui specie orationum et carminum scena pollui dicebantur. Iam cavillantur eosdem verbis: *an iustitiam ... audissent?* Verbum *expleturos* pertinet ad *proceres* paulo ante dictos. *Iustitia* in universum significat omnium legum omnisque iuris complementum. Igitur intra iustitiam alicuius rei continetur, quidquid ad eam rem pertinet, τὰ δίκαια. Hinc iusta pax, iustus exercitus, iusta acies aliaque iusta dicuntur, quae habent, quidquid ad complementum suum pertineat. Secundum haec *iustitia augurii* innuit omnia, quae ad augurium rite capiendum pertinent. Augurium vero esse apud magistratus, quis nescit? Iam *iustitiam augurii explere*, quid erit nisi cuncta rite perficere, quae ad augurium h. e. ad auspicandos magistratus ineundosque honores requiruntur. cf. An. 3, 59. *auspicia saltem gentile apud solum inciperet;* 4, 36. *auspicandi gratia tribunal ingressum.* Ita licet probabiliter loci sensus explicari possit, magis tamen eo inclino, ut legam: *an iusta etiam augurii* etc. eadem plane sententia, meliore dictione. cf. infr. c. 37. *iusta ducis.* Kiesslingius vult *ius etiam augurii.* *Decurias equitum* quas et quo sensu dicat, scriptor ipse explicat adpositione: *egregium iudicandi munus.* cf. Sueton. Oct. c. 32. Verba magnifica et splendida, quis simplex sententia inest haec. An magistratus etiam et iudicia aliquando bene capessituros esse tales adolescentulos, qui nunc ludis tractandis potius tempus terant, quam rebus agendis animum advertant. Germanice: *Ob sie auch den Erfordernissen der hohen Aemter und den Decurien der Ritter, dem herrlichen Richterberufe, genügen würden, wenn sie* etc. *Fractos sonos, wiederhallende Töne.* cf. Germ. c. 3. Avien.

munus, expleturos, si fractos sonos et dulcedinem vocum perite audissent? Noctes quoque dedecori adiectas, ne quod tempus pudori relinquatur, sed coetu promiscuo, quod perditissimus quisque per diem concupiverit, per tenebras audeat.

XXI. Pluribus ipsa licentia placebat, ac tamen honesta nomina praetendebant: Maiores quoque non abhorruisse spectaculorum oblectamentis pro fortuna, quae tum erat, eoque a Tuscis accitos histriones, a Thuriis equorum certamina: et possessa Achaia Asiaque ludos curatius editos: nec quemquam Romae honesto loco ortum ad theatrales artes degeneravisse ducentis iam annis a L. Mummii triumpho, qui primus id genus spectaculi in urbe praebuerit. Sed et consultum parcimoniae, quod perpetua sedes theatro locata sit potius quam immenso sumptu singulos per annos consurgeret ac strue-

fabul. 17. Virg. Georg. 4, 72. Plin. ep. 2, 14. Quintil. 1, 11, 7.

dulcedinem. Guelf. *dulcedine.*

pudori. Ed. Spir. *pudoris.*

promiscuo. MS. Flor. (test. Vict.) *promisco*, uti solet.

CAP. 21. *ac tamen.* Ed. Spir. *attamen.* Eadem permutatio est Hist. 5, 16.

oblectamentis. Sic MS. Guelf. edd. vett. (cum sil. Vict.) et recentt. omnes. — *oblectamenta* MSS. Farnes. Corb. quod Lipsio verum videbatur. Sed cf. 1, 54. *neque ipse abhorrebat talibus studiis.* Suet. Ner. c. 43. Domit. c. 9. — *abhorrere aliquid* est aversari diciturque de rebus turpibus et obscoenis. cf. Suet. Oct. c. 83. Galb. c. 4. Vit. c. 10.

quae tum erat. Ed. Spir. *quantum erat.* Pro *Thuriis* MS. Corb. *Tyriis.*

curatius. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. Guelf. edd. Spir. Lips. sqq. — *accuratius* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. cf. not. ad 1, 13.

nec quemquam. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Guelf. edd. Put. Pichen. sqq. — *neque quemquam* edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Namque Beroaldus usus ed. Spir., ubi est *neque*, omisso *quemquam*, putavit scribendum *neque quemquam.*

theatrales. MS. Guelf. a pr. manu *theatralis*: sec. m. fecit — *es.*

Mummii. Sic MS. Flor. (test. Ryck. sec. collat. I. Gronov.) edd. Spir. Beroald. (c. sil. Vict.) Ryck. sqq. *Mumii* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq.

id genus spectaculi. Intellige *ludos theatrales.*

parcimoniae. Sic edd. recentt. inde a Lips. prima, praeter unam Pich. — *parsimoniae* Guelf. edd. vett. (*persimoniae* ed. Put. M.). Etiam Victorius *parsimoniae* intactum reliquit.

consurgeret ac strueretur. Ernestius male intellexerat brevitatis laudem, quae Nostro debetur, quum verbum *strueretur* damnaret. Amat Tacitus coniungere synonyma emphasis causa. Namque verbo *consurgeret* inest quod dicimus *errichtet werden*; *strueretur* significat

retur. Nec perinde magistratus rem familiarem exhausturos aut populo efflagitandi Graeca certamina magistratibus causam fore, cum eo sumptu res publica fungatur. oratorum ac vatum victorias incitamentum ingeniis adlaturas: nec cuiquam iudici grave aures studiis honestis et voluptatibus concessis impartire. laetitiae magis quam lasciviae dari paucas totius quinquennii noctes, quibus tanta luce ignium nihil inlicitum occultari queat. Sane nullo insigni dehonestamento id spectaculum transiit. ac ne modica quidem studia plebis exarsere, quia redditi quanquam scenae pantomimi certaminibus sacris prohibebantur. Eloquentiae primas nemo tulit, sed victorem esse Caesarem pronuntiatum. Graeci amictus,

eingerichtet werden. Male igitur Lünemannus cum Strombeckio praetulit *destrueretur*, scripturam obscuram et ignobilem, quam *I. Ad. Nodell.* (crit. observv. Campae 1781) invenit in libro quodam.

efflagitandi. Sic edd. Rhenan. sqq. — *efflagitanti* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc.

magistratibus. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. — *a magistratibus* edd. Rhenan. sqq. Sed *efflagitare gr. certamina magistratibus* est iusta locutio *(den Magistraten gr. Wettspiele abfordern.)*

impartire. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *impartiri* ed. Spir. ob sequens *dari*. Nam iste liber legit coniungitque: *et vol. conc. impartiri laeticiae magis quam lasciviae dari. Paucas potius quinquennii noctes: quibus* etc. Eandem interpunctionem praeferunt MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc.; meliorem induxit Rhenanus.

totius quinquennii. Sic edd. recentiores ex emendatione Lipsii. Edd. vett. (c. sil. Vict.) et MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. *potius quinquennii.*

ignium. Ed. Spir. *ingenium.*

transiit. Sic edd. recentt. ex emendatione Lipsii. *transit* per contractionem MS. Guelf. edd. vett. (c. sil. Vict.).

studia plebis. Haec spectant ad ludicram licentiam et fautores histrionum. cf. 13, 35. Quum pantomimi in scenam rediissent, timendum erat, ne iterum licentia theatralis inrumperet, quod non evenit, quoniam pantomimi certaminibus sacris prohibebantur.

redditi quanquam etc. Ed. Spir. *redditi nequaquam scenae pantominii certantibus sacris prohibebantur.* Ed. Beroald. *prohibebatur;* Victorius e MS. Flor. correxit *prohibebantur.* MS. Guelf. *prohibebant.*

eloquentiae primas. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Farnes. Bud. edd. Spir. Pichen. sqq. — *el. primas partes* MSS. Bodl. Ies. Guelf. (hic *partis*) edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *eloquentiae primitias* MSS. Agr. Corb.

Graeci amictus. Sic MSS. Flor. (test. Ryck. sec. collat. I. Gronov.) Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. At MS. Farnes. *Ciraetiam iactum;* MS. Vatic. Lips. *Graeciam iactus ta.* Ed. Spir. *graeciam iactus.* Broterius e MSS. etiam adfert *Graeciam ictus.*

quis per eos dies plerique incesserant, tum exoleverant.

XXII. Inter quae et sidus cometes effulsit, de quo vulgi opinio est, tanquam mutationem regis portendat. Igitur quasi iam depulso Nerone, quisnam deligeretur, anquirebant. et omnium ore Rubellius Plautus celebra-

quis per e. d. p. incesserant. Pro *quis* legitur *quo* in MSS. Flor. (ibi *q*° test. Pichen.) Bud. Farnes. Vatic. Agr. ed. Spir. Victorius tamen intactum reliquit *quos*, quod praebent MS. Guelf. (fortasse et Oxonienses; nam Broterius de his tacet ediditque *quos*) edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. Gronov. Ryck. Broter. aliique. Pichena coniecerat *quomodo*, quod recepit Bernegger. Groslotio suasore Bipontini, Oberl. sqq. edidere *quis*. Verum fortasse vidit Ernestius, qui dicit, in *quo* nihil impedire quo minus intelligatur *amictu*, etsi pluralis praecedat, cuius formae exempla sint apud Graecos et Latinos. Etenim *graeci amictus* (*griechische Kleidungen*) in universum dicuntur, quippe qui in multis plures sunt. Sed qui incedunt, *graeco amictu* quidem (*in griechischer Kleidung*) incedere, nec vero *graecis amictibus* (*in griechischen Kleidungen*) recte dici possunt; nam de forma vestimenti cogitamus, quae in uno quoque eadem est. Secus Germ. 17. *lineis amictibus velantur.* Exemplum plane simile exstat Hist. 3, 80. *raptis, quod cuique obvium, telis.* Nempe ab omnibus rapiuntur *tela*, ab unoquoque telum. Editores, qui praeferunt *quos*, verbum *incesserant* accipiunt pro *incessiverant*, intellecto *conviciis.* Vix credo eam rationem huic loco convenire.

tum exoleverant. Ed. Spir. *tamen exoluerant.* Etiam MS. Bud. *exoluerant.* Sed cf. 6, 25. *nondum is dolor exoleverat.* Etiam in Guelf. est *tamen* pro *tum.* De frequenti vocularum *tum* et *tamen* confusione adnotatum est ad 13, 42. Heinsius malebat *exoleverunt.* Sed plusquamperfectum hic ponitur pro imperfecto h. e. indicat id, quod tum erat (*sie waren aus der Mode*). Sic *coeperant*, *meminerant*, *sueverat* (c. 4.) aliaque.

Cap. 22. *Inter quae.* Ed. Spir. *intra quae.* Dein *et sidus* (vel *sydus*) edd. vett. omnes cum MS. Guelf. Ne igitur credas Broterio, qui tradidit Puteolanum *et* omisisse.

regis portendat. Sic libri vett. nisi quod ed. Spir. omittit *regis*, MS. Guelf. dat *portendant* pro *portendat.* Sed e Bentleii (ad Lucan. 1, 529.) correctione Broterius, Bipontini, Oberlinus sqq. edidere *regnis* pro *regis*. Cur? num displicet *regis* vocabulum de Nerone usurpatum? Non est cur displiceat. Nam vulgi opinio hic in universum describitur: credunt cometen mutationem regis portendere sc. in eo regno, ubi effulgeat. Hinc cometa Romae visus debebat referri ad principem Romanum. Ceterum saepe Noster *regis* vocabulo utitur de principe Romano loquens. cf. c. 13. *quorum non alia regia fecundior;* c. 59. *ministrum regium.* Mutationem *regnis* portendi latius patet; nam variae sunt mutationes, quae regnis accidere possint. Hic vero mutatio stricte intelligenda est de alius regis successione.

anquirebant. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. al.) edd. Iac. Gronov. Ernest. sqq. cf. not. ad 13, 6. — *perquirebant* MSS. Reg. Agr. ed. Spir. — *inquirebant* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. sec. m. (a pr. m. Bud. *anquirebant*) edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

celebratur. Sic MSS. et edd.

tur, cui nobilitas per matrem ex Iulia familia. Ipse placita maiorum colebat habitu severo, casta et secreta domo, quantoque metu occultior, tanto plus famae adeptus. Auxit rumorem pari vanitate orta interpretatio fulguris. nam quia discumbentis Neronis apud Simbruina stagna, cui Sublaqueum nomen est, ictae dapes mensaque disiecta erat idque finibus Tiburtum acciderat, unde paterna Plauto origo, hunc illum numine deum destinari credebant, fovebantque multi, quibus nova et ancipitia praecolere avida et plerumque fallax ambitio est. Ergo permotus his Nero componit ad Plautum litteras, consuleret quieti urbis seque prava diffamanti-

vett. E MS. Flor. Iac. Gronovius attulit atque edidit *celebratus;* Victorius tamen et Pichena eam varietatem ignorant, quanquam hic auctore Mureto dedit *celebrabatur*, quod dein omnes edidere. Sed nulla erat mutandi causa et saepius Noster tempus praesens posuit, ubi interpretes vellent imperfectum. cf. not. ad 2, 23. sub v. *praecipitantur*, et Hist. 3, 10. sub v. *aspernantur.*

orta interpretatio fulguris. Ed. Spir. *orta inter ea et actio fulguris.* Ante *orta* illa punctum ponit.

Simbruina. Ed. Spir. *simbruma.*

cui Sublaqueum nomen est. Interpretibus inconcinna sunt visa Taciti verba scribentis: *Simbruina stagna, cui.* Hinc varie mutabant. Alii cum Lipsio inserunt *villa, cui;* vel *loco, cui.* Alii cum Gronovio legunt: *loco Sublaqueum nomen est.* Alii volunt *quibus* pro *cui.* Et hi quidem pessime. Nam *Sublaqueum* (villa) et *Simbruina stagna* diversa sunt. Plin. 3, 12. *Anio lacus tres amoenitate nobiles, qui nomen dedere Sublaqueo, defert in Tiberim.* Sequitur tamen Strombeckius mendacem emendationem. At si quid recte video, ipsa verba *apud Simbruina stagna* significant villam ibi sitam. Nam si Nero dicitur discubuisse apud Simbruina stagna, per se intelligitur illum non discubuisse aperto campo et stagnorum litore, sed in aedibus quibusdam, quae ibi essent. Similiter aliquis dici posset Romae discubuisse inter duos lucos (cf. Liv. 1, 8.), ut cogites de aedibus in illo loco sitis. Ita si locum accipis, commode post *apud Simbr. stagna* sequitur *cui* sc. loco s. villae.

hunc illum. Groslotius, Rhenanus et Grotius volunt *hinc* pro *hunc.* Perperam. Verba usque ad *origo* pendent e superiore *quia,* nec satis elegans esse videtur, ut sese excipiant *quia — hinc.* Immo *hunc illum* dictum est ut 12, 36. *quis ille.* Virgil. Aen. 4, 675. *Hoc illud.*

permotus his. Sic ed. Spir. MSS. Harl. Bodl. Ies. Corb. Guelf. Victorius intactum reliquit *iis*, quod est in edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Sed *his* praeferendum puto. cf. 1, 74. *permotus his.*

quieti urbis. Ex emendatione Pichenae, quam hausit e scriptura cod. Flor. *consuleret q̃ et urbis.* Victorio intactum mansit *sibi et turbis*, quod vulgo est in MSS. et edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. In MS. Corb. et ed. Spir. reperitur *sibi e turbis.*

prava diffamantibus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. Bud. ed. Spir. Bene et graeca structura. cf. Ramshorn. Gram. §. 152. p. 302.

bus subtraheret. esse illi per Asiam avitos agros, in quibus tuta et inturbida iuventa frueretur. Ita illuc cum coniuge Antistia et paucis familiarium concessit. Iisdem diebus nimia luxus cupido infamiam et periculum Neroni tulit, quia fontem aquae Marciae ad urbem deductae nando incesserat: videbaturque potus sacros et caerimoniam loci corpore loto polluisse. secutaque anceps valetudo iram deum adfirmavit.

XXIII. At Corbulo post deleta Artaxata utendum recenti terrore ratus ad occupanda Tigranocerta, quibus excisis metum hostium intenderet vel, si pepercisset, clementiae famam adipisceretur, illuc pergit non infenso exercitu, ne spem veniae auferret, neque tamen remissa cura, gnarus facilem mutatu gentem, ut segnem ad pericula ita infidam ad occasiones. Barbari pro ingenio quisque alii preces offerre, quidam deserere vicos et in avia digredi: ac fuere qui se speluncis et carissima

c. not. Sententia: *pravam famam dispergentibus*. Sic Xiphil. 61, 13. λαμπρότατα κοσμεῖν. cf. not. ad c. 5. Vulgo editur *prave diffamantibus*, uti est in MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Mox MS. Agr. *iuventate* pro *iuventa*.

iisdem diebus. Ed. Spir. *hisdem diebus*. MS. Bud. *isdem d.*

Neroni tulit. Ed. Spir. cum cod. Guelf. *Neronis tulit.*

aquae Marciae. Sic edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq., nisi quod veteres illi dant *Martiae*. Ed. Spir. *aquae morgio*. MS. Flor. (test. Vict.) *aquae Margio*. MS. Guelf. pr. m. *Marsiae*; sec. m. *Marsyae*. Lipsius in libris etiam *marginae* invenit.

incesserat. MS. Agr. *incestarat*. Vulgatum tuentur MSS. Flor. Guelf. et edd. vett.

corpore loto. Ex emendatione Lipsii, quam recepere Bip. Oberlin. sqq. Prius editi et manu scripti libri *corpore toto*. De huius generis caerimoniis cf. Plin. ep. 8, 8. et 20. Senec. ep. 41.

Cap. 23. *At Corbulo*. Ed. Spir. *Ac Corbulo*. De re cf. 13, 41.

ad occupanda. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Bodl. Ies. Corb. Bud. Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. — *ad occupandum* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

intenderet. Ed. Spir. *intendere*; sed mox *adipisceretur.*

offerre. MS. Guelf. *efferre.*

ac fuere. Ed. Beroald. vitiose *ac fruere*; Victorius delevit litteram superfluam.

et carissima. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. et recentt. inde a Pich. — *ac carissima* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Lips. Gruter. — *ac charissima* edd. Alc. Rhenan. Ald. Mox ed. Spir. verba refert hoc ordine: *adversus profugos celeritate: misericordia adversus supplices.* Bene et Taciti usui convenienter. Eadem mox *his* pro *iis*, uti solet.

secum abderent. Igitur dux Romanus diversis artibus misericordia adversus supplices, celeritate adversus profugos, immitis iis, qui latebras insederant, ora et exitus specuum sarmentis virgultisque completos igni exurit. Atque illum fines suos praegredientem incursavere Mardi latrociniis exerciti contraque inrumpentem montibus defensi. quos Corbulo immissis Iberis vastavit hostilemque audaciam externo sanguine ultus est.

XXIV. Ipse exercitusque ut nullis ex proelio damnis ita per inopiam et labores fatiscebant carne pecudum propulsare famem adacti. Ad hoc penuria aquae, fervida aestas, longinqua itinera sola ducis patientia mitigabantur, eadem plura quam gregario milite toleranti. Ventum dehinc in locos cultos demessaeque segetes et ex duobus castellis, in quae confugerant Ar-

abderent. MS. Guelf. *adderent.*

virgultisque completos. MS. Guelf. *virgulasque completas*, neque tamen sine alterius manus correctione.

praegredientem. Sic MSS. Flor. (sec. lac. Gronov. collat.) Corb. Bud. edd. Ernest. Brot. sqq. Simili modo Noster scribit *praevehi* An. 2, 6. Hist. 4, 71. *praefestinare* An. 5, 10. Quare ex emendandi studio profectum puta *praetergredientem* in edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq., quanquam Victorius eam scripturam intactam reliquit. MSS. Harl. Ies. Guelf. ed. Spir. *progredientem*, vulgari syllabarum *pro* et *prae* confusione. Non intelligo, qua tandem oculorum fraude Ernestius in Guelf. viderit *praetergredientem* et syllabas *praeter* in litura: nam pura scriptura ibi legitur *progredientem.* MS. Agr. *in fines suos progredientem.*

Iberis. Ita rescripsi cum Bekkero. cf. 12, 44. et alibi. Edd. vett. et MSS. *Hiberis* vel *Hyberis.* Mira inconstantia editores recentt. hoc loco retinent *Hiberis*, quum alibi praeferant *Iberos.*

externo. MS. Reg. *extremo.*

Cap. 24. *carne pecudum.* Sc. deficiente frumento. cf. Caes. B. G. 7, 17.

ad hoc. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. ed. Spir. cf. 12, 20. 13, 34. — *ad haec* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. c. MS. Guelf.

penuria aquae. Ed. Spir. *penuria atque.*

eadem plura quam gregario milite toleranti. Sic MS. Flor. test. Vict. — *eodem plura gregario milite toleranti* MS. Reg. et ed. Spir. — *eodem plura quam gregario milite tolerante* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. In *toleranti* MS. Bud. consentit cum Flor. etc. Iam Ernestius viderat, *eodem* de duce hic non satis bene dici pro *ipso*, quod debuisset scribi. Quare duce ed. Spirensi emendabat: *eadem plura gregario milite tolerantis.* Sed ibi *eadem* supervacaneum est. Potior scriptura Flor. hac sententia: quum eadem (ducis patientia) plura quam gregarius miles toleraret, vel: quae eadem plura quam gregarius miles toleraret.

menii, alterum impetu captum: qui primam vim depulerant, obsidione coguntur. Unde in regionem Taurannitium transgressus improvisum periculum vitavit. nam haud procul tentorio eius non ignobilis barbarus cum telo repertus ordinem insidiarum seque auctorem et socios per tormenta edidit, convictique et puniti sunt qui specie amicitiae dolum parabant. Nec multo post legati Tigranocerta missi patere moenia adferunt, intentos popularis ad iussa. simul hospitale donum, coronam auream, tradebant. accepitque cum honore: nec quidquam urbi detractum, quo promptius obsequium integri retinerent.

XXV. At praesidium regium, quod ferox iuventus clauserat, non sine certamine expugnatum est. nam et proelium pro muris ausi erant et pulsi intra muni-

impetu captum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Vatic. (Lipsii) Reg. Guelf. (hic *captum* habet additum in marg.) Corb. edd. Spir. Lips. sqq. — *impetu* omisso *captum*, MSS. Bodl. Harl. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. In marg. MS. Harl. additur *captum.* MS. Ies. omittit *impetu captum.*

Taurannitium. Sic ed. Spir. — *tauranitium* MS. Guelf. a sec. m. *Taurannicium* MS. Reg. *Tauraunitium* MS. Flor. edd. Iac. Gronov. Ernest. Hic tamen recte suspicatur veriorem esse scripturam ed. Spir. etc. Namque a *Tauro* et *amne* id vocabulum videtur derivatum, et fortasse verissime MS. Agr. *Tauramnitium*, quod per assimilationem litterarum alteri scripturae originem dedit. Quod in MS. Flor. invenerunt *u* pro *n*, parvi est momenti, quia utraque littera sexcenties permutatur et saepe in MSS. vix discerni potest. MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. *Taurauntium*, et sic fortasse in Guelf. fuit a pr. m. — Edd. Gryph. Lips. sqq. et Oberl. sqq. *Taurantium*, uti est in MS. Bud.

vitavit. Acidalius vult *vix vitavit*, coniectura speciosa, neque tamen necessaria. De re cf. Frontin. 2, 9. unde noscitur *non ignobilem* illum barbarum fuisse unum e Megistanibus.

specie. Ed. Spir. *spẽ*, uti solet. Eadem mox *Tigranocreta*, et deinde *quanquam* pro *quidquam.*

popularis. In Guelf. e *popularis* sec. m., ut saepe, fecit *populares.*

Cap. 25. *at praesidium regium.* Sic edd. Put. M. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Pro *at* ed. Put. V. vitiose habet *ad.* MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. Corb. ed. Spir. pro *regium* ferunt *legerat*, MS. Agr. *inerat*, in quo aliud latere quam quod Puteolanus dedit, quis infitiabitur? *Praesidium* accipe de arce sive castello, ut An. 3, 21.

clauserat. Haec scriptura, quam vett. libri omnes ferunt, nescio quo pacto Mureto et Heinsio mendosa videri potuerit. Ille emendat: *quo f. i. clausa erat*; hic *quo f. i. evaserat.*

pro muris. cf. not. ad 2, 81. Hic non dubium est formulam *pro muris* indicare locum extra munimenta ante muros.

menta aggeris demum et inrumpentium armis cessere. Quae facilius proveniebant, quia Parthi Hyrcano bello distinebantur. miserantque Hyrcani ad principem Romanum societatem oratum, attineri a se Vologesem pro pignore amicitiae ostentantes. eos regredientes Corbulo, ne Euphratem transgressi hostium custodiis circumvenirentur, dato praesidio ad litora maris rubri deduxit, unde vitatis Parthorum finibus patrias in sedes remeavere.

XXVI. Quin et Tiridatem per Medos extrema Armeniae intrantem praemisso cum auxiliis Verulano legato atque ipse legionibus citis abire procul ac spem belli

aggeris demum et inrumpentium. Sic libri vett. MSS. et edd. Post Rhenanum demum omiserat nescio quis copulam *et*, quam restituit Iac. Gronovius. Deest inde a Lipsii prima. Ryckio *aggeris* suspectum erat. „Quid enim, inquit, sibi volunt *munimenta aggeris?* Unde scriptum a Tacito videtur: *et pulsi intra munimenta aggeribus demum et inrumpentium armis cessere. Aggeres* enim struebantur in obsidionibus ad impediendas eruptiones. Hist. 3, 20. 82, 2. (?)" Coniectura aeque ingeniosa ac verisimilis. cf. 4, 49. de obsidione castelli: *et struebatur agger, unde saxa, hastae, ignes propinquum iam in hostem iacerentur.* Fortasse tamen genitivus *aggeris* pendet e voce *armis*, ut *aggeris arma* sint, quae mittuntur ex aggere in obsessos.

proveniebant. cf. not. ad 1, 19.

distinebantur. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *detinebantur* ed. Spir. et ita volebat Ernestius. cf. Liv. 27, 12. *Hannibalem acerrimo bello detineret.* Sed vulgatum verum est. Nam *distinere* est *entfernt halten; detinere, fest halten, abhalten.* Illud huic loco aptius. cf. not. ad Hist. 4, 55. et An. 11, 12. ubi eadem est scripturae varietas.

attineri etc. Ed. Spir. *ut timeri a se Vologese pro pignore amicitiae ostentante.*

ad litora maris rubri. Lipsius, cui incredibilis haec erat via, emendabat: *ad litora maris sui.* Ryckius vulgatam scripturam defendit persuasitque aliis neque vero Strombeckio. Sed plane non est, quod corruptelam arguat. Cogita legatos Hyrcanorum ab urbe regredientes venisse in Syriam; huc enim ducebat navigationis cursus. Quodsi admittis, non dubitabis viam e Syria ad mare rubrum h. e. sinum Persicum et mare Indicum (cf. Plin. 6, 23. et 24.), ut deinde Arare vel alio fluvio subveherentur, multo commodiorem fuisse, quam quae terrestri itinere per vastas infestasque regiones ad mare Caspium eos duxisset. Nimirum e Syria ad sinum Persicum constat fuisse iter peregrinationibus mercantium tritissimum eoque tutissimum.

Cap. 26. *cum auxiliis.* Ed. Spir. *cum auxilio.*

legionibus citis. MS. Reg. *legionibus suis.*

amittere subegit, quosque nobis ob regem aversos animis cognoverat, caedibus et incendiis perpopulatus possessionem Armeniae usurpabat, cum advenit Tigranes a Nerone ad capessendum imperium delectus, Cappadocum ex nobilitate, regis Archelai nepos, sed quod diu obses apud urbem fuerat, usque ad servilem patientiam demissus. nec consensu acceptus durante apud quosdam favore Arsacidarum. at plerique superbiam Parthorum perosi datum a Romanis regem malebant. Additum et praesidium, mille legionarii, tres sociorum

amittere. MS. Agr. *omittere,* quod volebat Acidalius. Sed cf. 2, 71. *ultionem amissuros.*

quosque nobis ob regem aversos animis cognoverat. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. eamque scripturam Victorius intactam reliquit. Contra Iac. Gronovius in MS. Flor. invenit haec: *quosque nobis ab rege animis cognoverat* (syllaba *ge* superscripta). Hinc ipse haud inepte coniecit legendum: *quosque nobis abhorrere animis cognoverat.* Cum Flor. consentiunt MSS. Reg. Corb. ed. Spir., nisi quod habent *a rege.* MS. Agr. *quosque nobis alienos animis cognoverat.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. *ob regem adversos animis.* Vulgata commodam sententiam fundunt: an vera sint firmare noluerim. Mox pro *usurpabat* MS. Bud. habet *occupabat* et in margine *exurpabat.*

ad capessendum. Edd. Spir. Ald. cum cod. Guelf. *ad capescendum,* uti solent. Eadem ed. Spir. mox *et nobilitate* pro *ex nob.*; deinde *Archeloti* pro *Archelai.*

delectus. Hoc verbum a MSS. Harl. Ies. Guelf. abest.

nec consensu. Ed. Spir. c. MS. Guelf. *ne consensu.* Scilicet littera *c* coaluit cum sequenti vocabulo.

at plerique superbiam. MS. Flor. et ed. Spir. *plerisque superbia.* Ed. Spir. fert etiam *ac* pro *at.* Mox eadem pro *perosi datum* habet *per obsidiatum,* et *mallebant* cum edd. Put. M. et V. pro *malebant.*

additum et praesidium. Sic MSS. Flor (test. Pichen.) Bud. Guelf. Corb. edd. Spir. Pich. sqq. In edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. pro *et* exstat *etiam.* Locum sequentem ed. Spir. puncto posito post *praesidium* ita continuat: *Mille .... alae: et quo facilius novum regnum tueretur pars Armenia eunt cuique finitiua pars impulique et Aristobolo atque Anthioco parere iussi sunt.* Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *praesidium: mille legionarii .... alae: et quo facilius n. r. tueretur: pars Armeniae ut cuique finitima: pars Nipolique et Aristobolo atque Antiocho parere iussae sunt.* Eadem sunt apud Rhenanum, nisi quod is punctum posuit post *alae.* E MSS. pro *tueretur* Harl. Bodl. Ies. Guelf. habent *tuerentur.* Cum ed. Spir. in *pars Armenia eunt cuique* consentiunt MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Corb. Bud. In MS. Agr. Ryckius invenit haec: *per* (m. s. *pars*) *Armeniam eunt cuique.* Pro *finitima* etiam MSS. Reg. et Corb. habent *finitiua.* Iidem libri in *impulique* et in *iussi* cum ed. Spir. consentiunt. E MS. Flor. Victorius notavit *Nipulique,* quod etiam in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. est pro *impulique.* MS. Bud. *Nipuli* sine *que.* MS. Agr. *pars manipu-*

cohortes duaeque equitum alae, quo facilius novum regnum tueretur. Pars Armeniae, ut cuique finitima, Pharasmani Polemonique et Aristobulo atque Antiocho parere iussae sunt. Corbulo in Syriam abscessit morte Ummidii legati vacuam ac sibi permissam.

XXVII. Eodem anno ex inlustribus Asiae urbibus Laodicea tremore terrae prolapsa nullo a nobis remedio propriis opibus revaluit. At in Italia vetus oppidum Puteoli ius coloniae et cognomentum a Nerone apiscuntur. veterani Tarentum et Antium adscripti:

lique. In ceteris MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. tuentur Puteolani rationem, nisi quod Guelf. pro *iussae* dat *visae* (sic *uisae*), vulgari confusione. cf. not. ad 1, 8. Iam locum in vett. libris turbatum esse facile intelligitur, et primum Freinshemius vidit *et* ante *quo* delendum novamque periodum post *tueretur* a vocabulo *pars* incipiendam esse: quam rationem secuti sunt Oberlinus sqq. In corrupta voce *Nipolique* latere nomen alicuius regis divinavit Lipsius, qui coniiciebat *Thrascypolique*. Felicius I. Fr. Gronovius in sanando loco versatus est; is enim contextum constituit, qui hodie editur. „Iberus est Pharasmanes iam dudum per filium Rhadamistum insidiatus fratris Mithridatis regno, Armeniae: unde cum absterreretur a Romanis, partim ut horum gratiam mereretur, partim proprio metu filium interfecit, et ex eo adversus Tiridatem Corbuloni militavit. Vide Nostrum 12, 44. etc. Idem 13, 37. ubi et mentio de Antiocho, quemadmodum saepius alibi. Polemo notissimus rex Ponti, Iosepho *Κιλικίας* Ant. 20, 7. et apud Nostrum Hist. 3, 47. commemoratur. Aristobulus 13, 7. Iosephus 20, 8. *Τὴν Μικρᾶς Ἀρμενίας προστασίαν Ἀριστόβουλος, Ἡρώδου τῆς Χαλκίδος Βασιλέως παῖς, ὑπὸ Νέρωνος ἐγχειρίζεται.*" Hactenus Gronovius. Recepere eius correctionem Ernestius, Broterius sqq.

abscessit. Ex emendatione Lipsii, quam ipse in marginem, Pichena in contextum recepit. MSS. et vett. edd. *accessit*.

Ummidii. MS. Guelf. *humidii*. Ed. Spir. *Inmidii*. Edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *Vinidii*. Ryckius et hic dedit *Numidii;* Iac. Gronov. *Umidii;* Ernest. sqq. *Ummidii*. cf. 12, 45. 48. 54. 13, 9.

Cap. 27. *Laodicea*. Ed. Spir. cum cod. Guelf. *Laodicia*.

a nobis. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *nobis*, omissa praepositione, MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir.

revaluit. MS. Guelf. *revelavit*.

oppidum. Edd. Spir. Lips. sqq. usque ad Ernestium *opidum* hic et alibi. Mox ed. Spir. *cognomen: tamen a Nerone* pro *cognomentum a Nerone*, ex vulgari particularum *tum* et *tamen* confusione. cf. not. ad 13, 42. De *iure coloniae* tunc Puteolanis dato cf. Lips. Ernest. Oberl. ad h. l.

apiscuntur. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. al.) edd. Ryckii et Iac. Gronov. cf. 3, 27. et 31. 4, 1. 16. et 59. 6, 3. 20. et 45. — *adipiscuntur* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. et Ernest. Oberl. sqq. et sic MS. Guelf. neque tamen sine alterius manus correctione.

et Antium. Hoc abest a MS. Bud. Habetur in edd. vett. (cum silentio Vict.) et in MS. Guelf.

non tamen infrequentiae locorum subvenere, dilapsis pluribus in provincias, in quibus stipendia expleverant: neque coniugiis suscipiendis neque alendis liberis sueti orbas sine posteris domos relinquebant. non enim ut olim universae legiones deducebantur cum tribunis et centurionibus et sui cuiusque ordinis militibus, ut consensu et caritate rem publicam efficerent: sed ignoti inter se, diversis manipulis, sine rectore, sine adfectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis quam colonia.

XXVIII. Comitia praetorum arbitrio senatus haberi solita, quod acriore ambitu exarserant, princeps composuit tris qui supra numerum petebant legioni praeficiendo. Auxitque patrum honorem statuendo, ut, qui a privatis iudicibus ad senatum provocavissent, eiusdem pecuniae periculum facerent, cuius ii qui imperatorem appellavere. nam antea vacuum id solutumque poena fuerat. Fine anni Vibius Secundus eques Roma-

infrequentiae. Ed. Spir. *infrequentia.* Eadem *delapsis* pro *dilapsis*, et *provintias* pro *provincias.* Guelf. ut saepe *improvincias.*

neque coniugiis suscipiendis. cf. Dio 60, 24. *Τοῖς στρατευομένοις ἐπειδὴ γυναῖκας οὐκ ἐδύναντο ἔκ γε τῶν νόμων ἔχειν, τὰ τῶν γεγαμηκότων δικαιώματα ἔδωκε.* Vid. Lips. ad h. l.

sui cuiusque. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Lips. Grut. et Ernest. sqq. Mediae aetatis edd. inde a Pich. *suis cuiusque.* Verum *sui* tuentur etiam MSS. Bodl. Ies. Bud. et *suis* pro *sui* videtur e vitio operarum originem traxisse. Nam Pichena tacite sic edidit.

consensu et caritate. ἓν διὰ δυοῖν secundum Roth. p. 26. Sed *consensus* hic opponitur *diversis manipulis*; *caritas* defectui *mutuorum adfectuum.* MS. Guelf. habet *et* pro *ut* ante *consensu.*

CAP. 28. *quod acriore.* Ed. Spir. cum cod. Guelf. *quo acriore*, et ita MS. Bud. pr. m. habuerat.

petebant. MS. Guelf. *patebant.*

auxitque. MS. Bud. *iussitque.* De copula *que* cf. not. ad 1, 28.

cuius ii. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — Oberlinus e MS. Bud. dedit *cum iis.* Verum MS. Bud. non est is liber, cuius auctoritate spernamus bonam aliorum librorum scripturam. Igitur cum Bekkero, Lünemanno et Kiesslingio restitui *cuius ii.*

Vibius Secundus. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *Iulius Secundus* ed. Spir. et mox *Iulii Crispi*, quae confusio saepius recurrit. MS. Bud. *nivius*; sed mox *Vibii Crispi.* Mox MS. Guelf. *damnatus* pro *damnatur.*

nus accusantibus Mauris repetundarum damnatur atque Italia exigitur, ne graviore poena adficeretur, Vibii Crispi fratris opibus enisus.

XXIX. Caesonio Paeto et Petronio Turpiliano coss. gravis clades in Britannia accepta. in qua neque A. Didius legatus, ut memoravi, nisi parta retinuerat et successor Veranius modicis excursibus Siluras populatus, quin ultra bellum proferret, morte prohibitus est, magna dum vixit severitatis fama, supremis testamenti verbis ambitionis manifestus. quippe multa in Neronem adulatione addidit subiecturum ei provinciam fuisse, si

ne graviore poena. Ut C. Silanus 3, 68. cui aqua et igni interdictum repetundarum damnato. Ceterum cf. Lips. ad h. l.

fratris opibus enisus. Sic edd. Pichen. sqq. e vestigiis MS. Flor. in quo est *fris oribus* (teste Victorio c. Pichena). Victorius corrigendum censet *precibus*. *Opibus* tamen est in MS. Corb. et in alio recentiore cod. MSto Flor., quem Pichena contulit. Eandem scripturam Lipsius in quibusdam libris invenit. MSS. Bud. Bodl. *fratri sororibus*. MS. Guelf. *fratris sororibus* (non *fratri*). Idem ante omittit *Crispi*. Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *fratris favore enixus*. Ed. Spir. *fratri* . . . . . *enisus*, spatio inter duo vocabula vacuo relicto. *Enisus* etiam MS. Flor. (test. Vict.) edd. Ernest. Brot. Oberl. — *enixus* edd. Put. sqq., quod revocavit Bekkerus, etiam Kiesslingius. — *enissus* MS. Guelf.

Cap. 29. *et Petronio.* Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. cf. 15, 23. 4, 68. In MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *et* omittitur.

A. Didius. Sic edd. Ernest. sqq. suasore Lipsio. cf. 12, 40. et Agr. c. 14. Parum a veritate absunt MSS. Reg. Bud. ed. Spir. qui libri dant *Adiutus*. At MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. *Halutus* vel *Alutus*. Edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *Avitus*. In MS. Guelf. pro *neque* legitur *nec*.

nisi parta. MS. Bud. *nisi ut parta*.

Veranius. Sic MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Pichen. sqq. Idem inesse MS. Flor. sunt qui testentur. Victorius tamen intactum reliquit *Verannius*, quod est in edd. Ber. Alc. et Rhenan. sqq. Sed cf. Agr. c. 14. An. 2, 56. 74. 3, 10. 13. 17. 19. et alibi.

Siluras. Ex emendatione Lipsii, quam in contextum Pichena recepit. cf. not. ad 12, 32. 33. 38. Hic edd. vett. *siluas* (edd. Rhen. Ald. *sylvas*). Cum edd. consentiunt MSS. Bud. Guelf. Reg. Harl. Ies. et Flor. testante Victorio per silentium.

supremis testamenti verbis. H. e. in ultima testamenti parte; uti recte explicuit Ernestius, h. e. in ea testamenti parte, quam extremo vitae tempore addiderat. Nam testamenta non uno tempore scribi solebant, sed vita durante adiiciebantur quaedam. Eodem redit scriptura ed. Spir. *supremi testamenti verbis*. Vocabulum *verbis* glossematium esse videbatur Lipsio; Acidalius etiam *testamenti* delendum censebat. Sed vana utriusque viri coniectura.

provinciam. E correctione Lipsii, quam a Pichena in contextum

biennio proximo vixisset. Sed tum Paullinus Suetonius obtinebat Britannos scientia militiae et rumore populi, qui neminem sine aemulo sinit, Corbulonis concertator receptaeque Armeniae decus aequare domitis perduellibus cupiens. Igitur Monam insulam incolis validam et receptaculum perfugarum adgredi parat navesque fabricatur plano alveo adversus breve et incertum. sic pedes: equites vado secuti aut altiores inter undas adnantes equis tramisere.

receptam auctoritate MS. Flor. confirmari ferunt. Victorius tamen intactum reliquit *provincias*, quod est in MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhenan. sqq. nec absurdum. Nam quanquam Britannia unius tantum provinciae nomine apud Romanos fuit, potuit tamen Veranius provincias Neroni polliceri, dum cogitabat de Britannia, de Caledonia, et fortasse de Hibernia. Res pendet e cod. Flor.

rumore populi. Ed. Spir. ut MS. Bud. *timore populi.* Vulgatum tuentur MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq.

Monam insulam. cf. Agr. c. 18.

adgredi. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. — *aggredi* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Paulo ante MS. Guelf. *receptaculis* pro *receptaculum.*

fabricatur. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *fabricantur* MSS. Reg. Ies. ed. Spir.

plano alveo. Sic Germanicus 2, 6. *quaedam planae carinis, ut sine noxa siderent.*

adversus breve et incertum. Sic MSS. Flor. (test. Vict. et Iac. Gronov.) Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Broterii; et sic volebant Muretus et Acidalius. Sic etiam libri a Lipsio inspecti (Vaticc. credo) et Bud. pr. m. Altera manus ibi post *breve* adiecit *litus*, quod est in MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. et Ernest. Oberl. sqq. Sed litus non est breve et incertum; brevia et incerta potius sunt in mari litus circumfluente aut in angustiis maris. Nil autem Nostro usitatius quam more Graecorum ponere adiectiva neutrius generis in num. sing. pro substantivis. Sic *egregium* 6, 24.; *bonum* 6, 36.; *canorum illud et profluens* 4, 61.; *abiectum et sordidum* 13, 46.; *triste et providum* 15, 34.; *rectum* Hist. 3, 51.

sic pedes. Sic MSS. Flor. Reg. Bud. edd. Spir. Beroald. Iac. Gronov Ernest. sqq. — *sic pedites* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq.

equites vado secuti etc. Ablativus *vado* indicat viam rationemque transmittendi; verbum *secuti* innuit equites post peditem tramisisse; particula *aut* diversas eiusdem rei rationes distinguit. cf. not. ad 1, 8. Namque inde a litore vado sequebantur equis insidentes; postquam altiores ad undas perveniebant, adnabant equis, et ita nunc vado, nunc equis adnantes tramisere. Nihili igitur est coniectura I. Fr. Gronovii *vada* pro *vado* legentis, quae tamen nuper placuit Lünemanno et Kiesslingio. Quis enim sibi persuadebit vada secutos pervenisse ad insulam Monam? Ceterum MSS. Bud. Reg. ed. Spir. *vados secuti*, duplicata littera *s* sequentis verbi. Kiesslingius tamen suspicatur legendum: *vado eos.*

tramisere. Sic MS. Flor. (sec. collat. I. Gronov.), ut saepe. Victo-

XXX. Stabat pro litore diversa acies densa armis virisque, intercursantibus feminis in modum Furiarum, quae veste ferali, crinibus deiectis faces praeferebant. Druidaeque circum preces diras sublatis ad coelum manibus fundentes novitate aspectus perculere milites, ut quasi haerentibus membris immobile corpus vulneribus praeberent. dein cohortationibus ducis et se ipsi stimulantes, ne muliebre et fanaticum agmen pavescerent, inferunt signa sternuntque obvios et igni suo involvunt. Praesidium posthac impositum victis excisique luci saevis superstitionibus sacri. nam cruore captivo adolere

rius intactum reliquit *transmisere*, quod est in aliis libris. Et sunt haud dubie loci, in quibus etiam MS. Flor. praefert *transmittere*: plerumque tamen breviorem amat formam.

Cap. 30. *quae veste ferali*. Sic MSS. Reg. Corb. edd. Spir. Ber. (cum silent. Vict.) Ernest. Broter. sqq. Ita et MS. Harl. in margine. Pronomen *quae* omittitur in MSS. Bud. Guelf. (de ceteris MSS. silentium est) edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. Bekkerus retinuit quidem *quae*, uncis tamen fatalibus inclusit. Abesse sane potest puncto posito post *Furiarum*. Paulo ante pro *intercursantibus* edd. Put. V. Beroald. Alc. ferunt *intercusantibus*. Victorius in suo exemplari litteram *r* addidit e MS. Flor., cum quo consentiunt edd. Spir. Rhen. sqq.

veste ferali. cf. Germ. c. 43. *nigra scuta, tincta corpora, atras ad proelia noctes legunt, ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt*.

faces praeferebant. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *facies praeferebant* ed. Spir. — *deiectis horrorem facies praeferebant* MS. Agr. Unde Heinsius coniecit *deiectis in ora*. Sed codex ille hic nugatur, ut saepe.

Druidaeque circum. MS. Agr. addit *frementes*. Sic Virgil. Aen. 1, 56. *circum claustra fremunt* (venti)

perculere. MS. Corb. *perpulere*, quod a manu viri docti Ernestius repperit in ed. Gryph.

milites. Sic edd. Pichenae, Gronoviorum, Ernest. sqq. ut e MS. Flor. Victorius tamen reliquit *militem*, quod est in MSS. Bud. Agr. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. et Ryck. Concinnius sane est *milites* ob sequens verbum *praeberent*; et *militem* si Noster scribit collective, tum intelligit totum militum exercitum: hic vero de multis vel plurimis militum cogitandum est.

et se ipsi. MS. Agr. *et sese ipsi*.

igni suo involvunt. Virgil. Georg. 2, 308. *et totum involvit flammis nemus*.

victis. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Reg. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. et dein Pich. sqq. — I. Fr. Gronovius tamen defendit *vicis*, quod Rhenanus ediderat e MS. Bud.

luci saevis. Ed. Spir. *lucis eius*. MS. Guelf. pro *saevis* dat *sęvis*, quod placuit Strombeckio. Sed codex ille constanter ita scribit vocabulum *saevus*. Idem mox *non* pro *nam*.

aras et hominum fibris consulere deos fas habebant. Haec agenti Suetonio repentina defectio provinciae nuntiatur.

XXXI. Rex Icenorum Prasutagus longa opulentia clarus Caesarem haeredem duasque filias scripserat, tali obsequio ratus regnumque et domum suam procul iniuria fore: quod contra vertit, adeo ut regnum per centuriones, domus per servos velut capta vastarentur. Iam primum uxor eius Boudicea verberibus adfecta et filiae stupro violatae sunt. praecipui quique Icenorum, quasi cunctam regionem muneri accepissent, avitis bonis exuuntur et propinqui regis inter mancipia habebantur. Qua contumelia et metu graviorum (quando in

Cap. 31. *Icenorum.* Sic edd. Rhenan. sqq. cf. 12, 31. et 32. Hic MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. *Igenorum.* Ed. Spir. *Tigenorum*, quod Lipsius et Broterius etiam in libris scriptis invenerunt. Infra MS. Guelf. *igenuorum.*

Prasutagus. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *phrasuragus* MS. Reg. ed. Spir. *Phrasucagus* MS. Corb.

longa. H. e. diuturna, antiqua. Lipsius frustra coniecit *longe.*

regnumque et domum. Sic MSS. Flor. (sec. collat. Iac. Gron.) Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. Agr. edd. Spir. Ernest. sqq. — *regnum et domum* edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq.

uxor eius. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Corb. edd. Spir. et recentiores. A MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. abest pronomen *eius*, quod in MS. Guelf. recentior manus addidit.

Boudicea. *Boodicia* MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. — *Booditia* MSS. Harl. Bodl. Ies. — *Bouducca* MS. Vat. 1863. *Bonducca* MS. Vat. 1864. *Boudicca* MS. Vatic. 1958. *Bondicia* MS. Agr. *Booicia* MS. Guelf. Sed libri non constant sibi. Nam infr. c. 35. MS. Flor. (test. Vict.) dat *Bouducea;* ed. Spir. *Bouduca;* MSS. Harl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *Boudicea*; c. 35 et 37. MS. Bodl. *Boodicea.* Et cap. 37. MS. Flor. (test. Vict.) *Boudicca;* ed. Spir. *Bondicca.* Denique in vita Agricolae c. 16. libri variant inter *Voadicca*, *Voaducu*, *Voadicu.* Dioni 62. 2. eadem femina dicitur *Βουνδουΐκα*, nulla librorum varietate. In nummo quodam, cuius fit mentio apud *Spanhem.* de U. et Pr. N. I, p. 557., inventa est inscriptio *Βοοτικα.* Alius nummus apud *Pellerin.* Recueil de Méd. etc. I. p. 34. fert *Pooctika.* In tanta librorum inconstantia aliorumque monimentorum penuria adrogantis esset certi quid statuere. Sequor igitur scripturam in plerisque edd. recentt. repertam, quae nuper etiam Walchio placuit. Oberlinus cum Bipont. et Rapino in Hist. Angl. dederat *Boadicea*, quod a libris nullam habet auctoritatem.

praecipui quique. Ed. Spir. *precipui quisque.*

formam provinciae cesserant) rapiunt arma commotis ad rebellationem Trinobantibus et qui alii nondum servitio fracti resumere libertatem occultis coniurationibus pepigerant, acerrimo in veteranos odio. quippe in coloniam Camulodunum recens deducti pellebant domibus, exturbabant agris, captivos, servos appellando, foventibus impotentiam veteranorum militibus similitudine vitae et spe eiusdem licentiae. Ad hoc templum divo Claudio constitutum quasi arx aeternae dominationis aspiciebatur, delectique sacerdotes specie religionis omnes fortunas effundebant. nec arduum videbatur exscindere coloniam nullis munimentis septam: quod

rebellationem. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Bud. Guelf. edd. Spir. Pich. sqq. — *rebellionem* MSS. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

Trinobantibus. Sic edd. recentt. inde a Lips. prima. cf. Caes. B. G. 5, 20. *Trinouantibus* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V Beroald. (c. sileut. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Mox edd. Put. M. et V. *nundum* pro *nondum*, ut supra aliquoties.

servitio fracti. Sic MS. Agr. edd. Oberl. sqq. — *servitio facti* MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. edd. Spir. Pich. sqq. eandemque scripturam Lipsius in MSS. invenit commendavitque. — *servitio assuefacti* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Et scripturam e MS. Agr. receptam loco aptissimam esse quis infitiabitur? Bonum vero etiam *facti.* Nam quod Ernestius adfirmat, *factum esse ad aliquid* referri ad naturam et ingenium potius, quam ad consuetudinem, vana est viri opinio. Mox ed. Spir. *Camulodinum.* cf. not. ad 12, 32.

impotentiam veteranorum. cf. not. ad 5, 1. sub voc. *mater impotens.*

ad hoc. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Vulgo edunt *ad haec* quod est in edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

quasi arx aeternae dominationis. Sic e coniectura Acidalii et Freinshemii edd. recentiores inde a Bernegg. cf. Hist. 3, 13. e coniectura Lipsii *classem arcem commeatuum.* Hist. 3, 70. *palatium ipsam imperii arcem.* MSS. et edd. vett. pro *arx* habent *ara,* quod non omnino absurdum esse videtur. Nam *ara* non stricte significat locum sacris faciundis consecratum (*Altar*); sed monimentum etiam in memoriam alicuius rei vel hominis positum, sive sit lapis vel caespes vel alia quaedam materia. Sic *arae Philaenorum* Sallust. Iug. c. 79. cf. *Heeren,* Ideen II, p. 61. Noster in Germ. c. 3. *aram Ulixi consecratam.* Vid. ibi not. Similiter Sueton. Oct. c. 1. *ara Octavio posita* est lapis nomine Octavii inscriptus et in memoriam rei gestae, quam ibi auctor exponit, positus. Hinc *ara aeternae dominationis* est *ein Denkmal ewiger Tyrannei.* Magis tamen rei convenit vocabulum *arx.*

omnes fortunas. MS. Bud. *omnis fortunas.* Sed Guelf. et edd. vett. (c. silent. Vict.) tuentur vulgatum.

exscindere. Ed. Spir. *excidere.* Ceterae vett. cum MS. Guelf. *excindere.*

ducibus nostris parum provisum erat, dum amoenitati prius quam usui consulitur.

XXXII. Inter quae nulla palam causa delapsum Camuloduni simulacrum Victoriae ac retro conversum, quasi cederet hostibus. et feminae in furore turbatae adesse exitium canebant. externosque fremitus in curia eorum auditos, consonuisse ululatibus theatrum visamque speciem in aestuario Tamesae subversae coloniae: iam Oceanum cruento aspectu, dilabente aestu humanorum corporum effigies relictas ut Britanni ad spem ita veterani ad metum trahebant. Sed quia procul Sueto-

Cap. 32. *Camuloduni.* Ed. Spir. cum cod. Guelf. *Camulodũ.*

cederet. MS. Agr. et ed. Spir. *cedens.*

feminae in furore turbatae. Sic MSS. et edd. vett., nisi quod MS. Agr. omittit *in.* Sed ob pleonasmum, qui videtur esse in verbis, hodie ex Faërni emendatione edunt: *in furorem turbatae.* Manet tamen idem pleonasmus. Nam unum sufficit, *in furore* vel *turbatae.* Verum si quis docebit alium quendam elegantium scriptorum usum formula: *in furorem turbare*, mihi quoque Faërni emendatio accepta erit. Interim retinebo veterem scripturam. Praepositio *in*, ut graecum ἐν, indicat causam, unde aliquid sit derivandum. Germanice: *und Weiber in der Verwirrung des Wahnsinns.* Etenim mente turbari variis causis aliquis potest, in metu, in gandio, in ira, tum et in furore. Video et Kiesslingium veterem scripturam reposuisse. Mox MS. Guelf. *ululantibus* pro *ululatibus.*

externosque . . . theatrum. cf. Dio 62, 1.

in aestuario Tamesae. MS. Flor. (test. Pichen.) *in aestuario tam esae*, unde ipso Pichena auctore facta sunt hodie vulgata. Victorius tamen intactam reliquit scripturam: *in aestuario notam esse*, quam ferunt MSS. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Broterius ad hunc locum adnotat: „Corrupte in MSS. Harl. Bodl. Ies. Reg. *in aestuario notam esse subversae coloniae*, vel *in esturnootam ese sub ver coloniae.*" Posterius est in ed. Spir. quae plerumque consentit cum MS. Reg., uti Harl. Bodl. Ies. cum Guelf.

iam Oceanum ..... trahebant. Sic edd. recentt. inde a Lips. prima. Ed. Spir. *Iam oceanus cruento aspectu sic labente estu humanorum corporum effigies relictae: ut Britanni ad spem ita veterani ad metum trahebantur.* Cum ed. Spir. conspirat Puteolanus, nisi quod scribit *occeanus* (sic et Guelf.), et *moetum*, puncto posito ante *sic.* Eandem loci rationem praeferunt MSS. Flor. (testantibus Victorio per silentium et Iac. Gronovio disertis verbis) Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. At Rhenanus tacite dedit: *Iam Oceanum cruento aspectu. Sic labente aestu, humanorum corporum effigies relictae. Ut Britanni ad spem, ita veterani ad metum trahebantur.* An secutus sit MStum Bud, nescio. Oberlinus sane prodidit ibi esse *trahebantur.* Quae si contueearis, patet veterum librorum scripturam esse corruptam; hodie vulgatam quanquam sano sensu nec inepta constructione nimis tamen recedere a veterum librorum vestigiis, qui omnes con-

nius aberat, petivere a Cato Deciano procuratore auxilium. ille haud amplius quam ducentos sine iustis armis misit: et inerat modica militum manus. Tutela templi freti et impedientibus, qui occulti rebellionis conscii consilia turbabant, neque fossam aut vallum praeduxerunt, neque motis senibus et feminis iuventus sola restitit: quasi media pace incauti multitudine barbarorum circumveniuntur. et cetera quidem impetu direpta aut incensa sunt: templum, in quo se miles conglobaverat, biduo obsessum expugnatumque. Et victor Britannus Petilio Ceriali legato legionis nonae in sub-

spirant in *Oceanus ..., sic labente ... relictae ... trahebantur.* Quare legendum censeo: *iam Oceanus cruento aspectu, dilabente aestu humanorum corporum effigies relictae ut Britannis ad spem, ita veteranis ad metum trahebantur.* Vix enim credibile est formam nominativorum pro accusativis fortuito in omnes libros venisse. Membra ante *iam* per constructionem accusativi cum infinitivo enuntiata aeque possunt trahi ad verbum *trahebantur* atque nominativi, qui dein sequuntur. *Iam* inservit successioni membrorum et rerum, ut saepissime. Quid si vocc. *Britanni* et *veterani* accipias pro genitivis?

Deciano. Ed. Spir. *cletiano.*

procuratore. MS. Bud. *imperatore.*

impedientibus. MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *inobedientibus.*

qui occulti rebellionis conscii c. t. Sic MS. Flor. (test. Pichena) edd. Spir. Pichen. sqq. — *occultae* MSS. Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *occulte* MS. Bud. edd. Lips. Broter. Oberlin. sqq. Sed cf. 3, 29. *occulti inludebant;* 4, 12. *occulti laetabantur;* 4, 40. *non occulti ferunt.* Nimirum consilia turbari non occultum erat; sed illi erant occulti, qui turbabant, h. e., ignorabantur, qui turbarent. Ernestii auribus durum erat: *qui occulti conscii*, quia male coniungebat verba. Ceterum Ernestius vocabulum *conscii* delendum censebat, quod vix admitti potest in tanto librorum consensu. Ricklefs omisit vocem *occulti.* Kiesslingius reddidit *occulti.*

praeduxerunt. Sic edd. Rhen. sqq. e MS. Bud. qui dat *preduxerunt.* MS. Guelf. per compendium *p̃duxerunt* h. e. *praed.* Ed. Spir. *praeduxere.* Edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. *produxerunt*, vulgari syllabarum *pro* et *prae* confusione. cf. not. ad 3, 5. 14, 13. et 23. 15, 66. et alibi.

motis senibus. Sic c. 60. *movetur* pro *amovetur* vel *removetur.* MS. Guelf. pro *senibus* dat *seminibus.*

expugnatumque. Ed. Spir. *obsignatumque.*

Petilio Ceriali. Ex emendatione Lipsii edd. Pichen. sqq. Nam edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. habent *Peto Ceriali;* ed. Spir. cum MSS. Bud. Guelf. *petioceriali.* Edd. Lips. Grut. *Paeto.* Sed iidem libri c. 33. *Petilii.*

nonae. Ed. Spir. *novae.* Eadem mox *interficit*, et *avaritiae.* Pro *transiit*, quod in MS. Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. est, edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *transit.*

sidium adventanti obvius fudit legionem et quod peditum interfecit. Cerialis cum equitibus evasit in castra et munimentis defensus est. qua clade et odiis provinciae, quam avaritia in bellum egerat, trepidus procurator Catus in Galliam transiit.

XXXIII. At Suetonius mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit cognomento quidem coloniae non insigne, sed copia negotiatorum et commeatuum maxime celebre. ibi ambiguus an illam sedem bello deligeret, circumspecta infrequentia militis satisque magnis documentis temeritatem Petilii coercitam, unius oppidi damno servare universa statuit. neque fletu et lacrimis auxilium eius orantium flexus est, quin daret profectionis signum et comitantes in partem agminis acciperet. si quos imbellis sexus aut fessa aetas vel loci dulcedo attinuerat, ab hoste oppressi sunt. Eadem clades municipio Verulamio fuit, quia barbari omissis castellis praesidiisque militarium quod uberrimum spolianti

Cap. 33. *medios.* Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *medius* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

commeatuum. Sic MSS. Flor. (test. Pichen.) Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Pichen. sqq. — *commeatu* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Scilicet litteram *m* absorpsit sequens vocabulum.

deligeret. Ed. Spir. *delegeret.* Mox ante *satisque* ex praecedentibus intellige: *et circumspecto.* Plane sic 1, 15. ex *decreta* ad sequentia intelligi vidimus *decretum est.*

acciperet. Ex Acidalii coniectura edd. Oberlin. sqq. dederant *acceperat.* Bekkerus veterem formam restituit. Recte. Nulla enim est mutationis necessitas. Saepius in Tacito talia mutant interpretes, quam ut fidem iis habeamus. cf. not. ad 11, 2. sub verbis: *atque ille functum fato responderet.*

Verulamio. Ed. Spir. *verulamio.*

praesidiisque militarium. Sic libri vett. Pichena malebat *militaribus.* Probant alii ob c. 45. *omne iter militaribus praesidiis sepsit.* Sed ibi *praesidia militaria* sunt ipsi milites praesidii causa locati. Hic *praesidia militarium* sunt loca, quibus milites insunt (*Militärplätze*). cf. Hist. 3, 61. *amissi praesidii.* Quare Muretus volebat *militum* pro *militarium.* Sed militares sunt viri militares, quos Noster dicit 15, 10. Nil igitur opus est emendatione, quanquam MS. Agr. habet *militum.*

spolianti. Ex emendatione Merceri, quam recepere Gronovii, Ryckius sqq. — *spoliant* MSS. et edd. vett. I. Gronovius tentabat *spoliatu.*

et defendentibus intutum laeti praeda et aliorum segnes petebant. Ad septuaginta millia civium et sociorum iis quae memoravi locis cecidisse constitit. neque enim capere aut venundare aliudve quod belli commercium, sed caedes, patibula, ignes, cruces tanquam reddituri supplicium ac praerepta interim ultione festinabant.

XXXIV. Iam Suetonio quarta decuma legio cum vexillariis vicesimariis et e proximis auxiliares decem

defendentibus intutum. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. (pr. m.) Corb. Agr. edd. Spir. Lips. Pichen. sqq. — *deferentes in tutum* MSS. Harl. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *deferentibus in tutum* MS. Guelf.

laeti praeda. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. — *laeti praedas* MSS. Guelf. Harl. Bodl. edd. Put. Beroald. Alc.

et aliorum segnes. Ex emendatione Merceri, quam recepere Freinshemius, Gronovii sqq. — *et aliorum insignes* MSS. et vett. edd. in qua scriptura syllaba *in* nata est e praecedenti littera *m.* cf. 16, 14. *occasionum non segnis.* MS. Agr. totum locum constituit sic: *Quod uberrimum et defendentibus in tutum spoliant laeti et gloria insignes petebant.*

ad septuaginta. Ed. Spir. *at septuaginta.* Mox eadem *his* pro *iis*, uti solet.

cecidisse. Sic MSS. Flor. (test. Pichena) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. edd. Spir. Bernegg. Gronov. sqq. Victorius intactum reliquit *occidisse*, quod est in edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

commercium. Sic edd. Alciat. Rhenan. sqq. — *commertium* edd. Spir. Beroald. — *comertium* MS. Guelf. edd. Put. M. et V.

ac praerepta. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. cf. 15, 59. *si vita praeriperetur.* MS. Bud. omittit *ac.* MS. Ies. pro *praerepta* habet *praecepta.* MS. Corb. *praetexta.* MS. Vat. 1864. *praetenta.* Interpretationes nostratium veram loci sententiam non adsecuti sunt. Strombeck.: *als wollten sie die Hinrichtungen vergelten und die künftigen zum voraus rächen.* Ricklefs: *als wollten sie die Strafe vergelten, und bisweilen die Rache vorausgenommen.* Immo festinabant, tanquam per illud tempus, quod foret usque ad venundationem captivorum, ultio praeriperetur. Solent enim in bello ultionem caede festinare, quotiens timent, ne interim ulciscendi occasio amittatur.

Cap. 34. *quarta decuma.* Sic MS. Flor. test. Vict. cf. not. ad 1, 37. Edd. vett. et recentt. cum MS. Guelf. *quarta decima.*

vexillariis. Sic MSS Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Alc. Rhen. sqq. — *vexiliariis* edd. Put. M. et V. — *vexilliariis* ed. Beroald.

vicesimariis. Sic MSS. et edd. vett. Sed lac. Gronovius et Ernest. sqq. ex Acidalii coniectura dederunt *vicesimanis.* Perperam. *Vicesimani* sunt milites vicesimae legionis. Sic c. 37. et 1, 51. *vexillarii vicesimarii* autem sunt vexillarii vicesimanorum seu vicesimae legionis, non ipsi vicesimani seu vicesima legio. *Vexillarii vicesimani* non exstitere; nam *vicesimani* non sunt vexillarii, sed habent vexillarios. Ceterum non credo Tacitum ab homoeoteleutis ita abhorruisse, ut usum loquendi potius neglexerit.

et e proximis auxiliares. Ed. Spir. *et proximis auxiliariis.*

ferme millia armatorum erant, cum omittere cunctationem et congredi acie parat. deligitque locum artis faucibus et a tergo silva clausum, satis cognito nihil hostium nisi in fronte et apertam planitiem esse sine metu insidiarum. igitur legionarius frequens ordinibus, levis circum armatura, conglobatus pro cornibus eques adstitit. At Britannorum copiae passim per catervas et turmas exsultabant, quanta non alias multitudo et animo adeo fero, ut coniuges quoque testes victoriae secum traherent plaustrisque imponerent, quae super extremum ambitum campi posuerant.

XXXV. Boudicea curru filias prae se vehens, ut quamque nationem accesserat, solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare testabatur: sed tunc non ut tantis maioribus ortam regnum et opes, verum ut unam e vulgo libertatem amissam, confectum verberibus corpus, contrectatam filiarum pudicitiam ulcisci. eo pro-

levis circum armatura. Sic MSS. Flor. (sec. collat. Iac. Gronovii) Reg. Agr. edd. Spir. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Ryck. sqq. — *levi* pro *levis* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put M. et V. Rhenan. sqq. In MS. Guelf. exstat etiam *arma cura* pro *armatura.* Nimirum edd. ante Ryckium vocabulum *conglobatus* trahunt ad praecedentia.

quanta non alias. cf. Dio 62, 8.

adeo fero. Ed. Spir. *fero adeo.* MS. Guelf. *adeo ferro.*

plaustrisque imponerent. MS. Bud. *pl. super imponerent.*

Cap. 35. *Boudicea.* cf. not. ad c. 31.

quamque. Ed. Spir. *quanquam.* Eadem mox cum MS. Flor. (test. Vict.) *dictu* pro *ductu*, bene, ut mihi videtur. Nam *ductu* feminarum certe non bellabant. Longiorem illius reginae orationem tradidit Dio 62, 3. sqq.

sed tunc non. Ursinus et Boxhornius corrigebant: *Se tunc non;* Acidalius: *sed se.* Verum illa emendatione non est opus; nam *se* commode hic intelligi potest. cf. not. ad 4, 52. sub verbo *intelligere.* Ricklefs pro *tunc* vult *nunc.* Male. cf. not. ad 2, 26. sub verbis: *nullo tum alio hoste.* MS. Guelf. *sed ut tunc non ut tantis* etc. Prius *ut* tamen punctis subscriptis notatur.

ortam. Edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. *orta.* Ed. Spir. *ortum*, et sic MS. Guelf. a sec. m. Vulgatum induxit Rhenanus.

ut unam. Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. *ut una.*

confectum. Sic MSS. Flor. (test. Ernest. et Brot. nescio qua fide; nam Pich. tacet et Iac. Gronovius e MS. Flor. nil se notasse fatetur) Bud. Guelf. Reg. edd. Spir. et Pich. sqq. praeter Iac. Gronov., qui praetulit *consectum*, quod est in MSS. Corb. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. cf. Horat. epod. 4, 11. *sectus flagellis.*

contrectatam. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *contrectam*, media

vectas Romanorum cupidines, ut non corpora, nec senectam quidem aut virginitatem impollutam relinquant. Adesse tamen deos iustae vindictae. cecidisse legionem, quae proelium ausa sit: ceteros castris occultari aut fugam circumspicere. Ne strepitum quidem et clamorem tot millium, nedum impetus et manus perlaturos. Si copias armatorum, si causas belli secum expenderent, vincendum illa acie vel cadendum esse. id mulieri destinatum: viverent viri et servirent.

XXXVI. Ne Suetonius quidem in tanto discrimine silebat: qui quanquam confideret virtuti, tamen exhortationes et preces miscebat, ut spernerent sonores barbarorum et inanes minas. plus illic feminarum quam iuventutis aspici. imbelles, inermes, cessuros statim, ubi ferrum virtutemque vincentium totiens fusi agnovissent. etiam in multis legionibus paucos qui proelia profligarent: gloriaeque eorum accessurum quod modica manus universi exercitus famam adipiscerentur.

syllaba omissa, ut saepe. cf. not. ad 1, 20. MS. Corb. *contactam.* Mox MS. Guelf. *et* pro *eo.*

nec senectam quidem. Sic edd. vett., quod reponendum censui. cf. not. ad 4, 35. Edd. Ernest. Broter. sqq. *ne senectam quidem,* nulla ut videtur librorum auctoritate. MS. Guelf. *non senectam.*

tot millium. Sic edd. Lips. sqq. Namque Dio 62, 2. *δώδεκα μυριάδας* fuisse adnotavit. Edd. vett. (c. silent. Vict.) et MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. *tot militum.*

cadendum. MS. Guelf. *cavendum.*

Cap. 36. *qui quanquam.* MSS. Reg. Bud. Corb. ed. Spir. omittunt *qui*, quod tamen tuentur edd. Put. sqq. cum silentio Victorii. Sed Iac. Gronovius testatur in MS. Flor. esse *quam* pro *qui quanquam.* Quae confusio quomodo sit orta docet Guelf. qui compendio habet: *q q̃ q̃* h. e. *qui quanquam.* Mox ed. Beroald. vitiose pro *preces* dat *preceps.* Correctum a Victorio e MS. Flor.

sonores. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Vatic. (Lips.) Reg. Bud. edd. Spir. Pichen. Grut. sqq. cf. 4, 48. *sonorem alterius proelii;* 1, 65. *truci sonore.* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *sonoras.*

plus illic. Ed. Spir. et MS. Reg. omittunt *illic.*

vincentium. MS. Guelf. *vicentium.* Idem mox *et* pro *etiam.*

paucos qui. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) Reg. Corb. Bud. ed. Spir. — *paucos esse qui* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

accessurum. Ed. Spir. *accesserunt.*

modica manus. Sic MSS. Flor. (scilicet ibi est *man;* sec. collat. Iac. Gronov.) Reg. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Spir. Ryck. Ernest. sqq. — *modica manu* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Etiam in Guelf. nunc

conferti tantum et pilis emissis, post umbonibus et gladiis stragem caedemque continuarent praedae immemores: parta victoria cuncta ipsis cessura. Is ardor verba ducis sequebatur, ita se ad intorquenda pila expedierat vetus miles et multa proeliorum experientia, ut certus eventus Suetonius daret pugnae signum.

XXXVII. Ac primum legio gradu immota et angustias loci pro munimento retinens, postquam propius suggressus hostis certo iactu tela exhauserat, velut cuneo erupit. Idem auxiliarium impetus: et eques protentis hastis perfringit, quod obvium et validum erat. ceteri terga praebuere difficili effugio, quia circumiecta vehicula sepserant abitus. et miles ne mulierum quidem neci temperabat, confixaque telis etiam iumenta corpo-

legitur *manu:* sed littera ultima post *u* est erasa. Mox ed. Beroald. (c. silent. Vict.) *adipisceretur* pro *adipiscerentur*, quod est in MS. Guelf. edd. Spir. Put. Alc. Rhen. sqq.

tantum. MS. Guelf. *tamen.*

post umbonibus. Ed. Spir. *post Bombonibus.* Eadem mox *caedem stragemque* pro *stragem caedemque.* Ceterum haec esse synonyma docuit Roth. p. 8. Mox MS. Agr. *expedierant* pro *expedierat.*

certus eventus. Sic edd. Ber. (c. silent. Vict.) Rhenan. sqq. — *certus eventu* MSS. Reg. Agr. Bodl. Corb. edd. Spir. Put. M. et V. Alc. Litteram *s* sequens vocabulum absorpsit. In Guelf. nunc legitur *certus euentu.* Verum in fine vocabuli *eventu* est rasura, et ultima littera in *certus* a rec. m. MS. Bud. *certo eventu.* Ferretus et Heinsius malebant *eventi*, quod vix tolerari poterit. Mox ed. Spir. habet *clarae* pro *daret.*

Cap. 37. *certo iactu.* Haerent interpretes, quoniam verbum *exhauserat* cum *certo iactu* ita coniungunt, ut per certum iactum tela exhausisse hostis dicatur. At *certo iactu* est ablativus absolutus denotans locum, ubi certus iactus esset. Nempe Romani intra angustias immoti se tenuere ad id usque tempus, ubi hostis propius suggressus, quum ad certum iactum pervenisset, tela exhauserat; tunc illi prorupere. Talis ablativus explicandus est intellecto participio verbi substantivi. Dio de eadem re 62, 12. *μέχρις οὗ ἐς ἀκοντίου βολὴν ἀφίκοντο.* Igitur nec Lipsii coniectura: *suggressis hostibus*, nec Pichenae: *incerto iactu*, opus esse censeo. Kiessling. mecum consentit.

velut cuneo. Sic libri vett. praeter MS. Bud. et edd. Rhen. Ald., qui libri ferunt *velut cuneus.* Sed ablativus exprimit vim adverbii. Sic Hist. 3, 29. *nituntur cuneis.* An. 4, 51. *catervis decurrentes.* Bene igitur Pichena e MS. Flor. restituit *cuneo.* In edd. Lips. prioribus est *cuneis;* dein idem recepit *cuneo* e MS. Vat.

perfringit. Ed. Spir. *perfringunt*, uti est in MSS. Reg. Agr. et Ies.

abitus. MSS. Bud. Guelf. ed. Spir. *ambitus.* Eadem ed. Spir. mox *nec mulierum quidem;* dein *anxerant* pro *auxerant.* MS. Agr. omittit *etiam.*

rum cumulum auxerant. Clara et antiquis victoriis par ea die laus parta: quippe sunt qui paulo minus quam octoginta millia Britannorum cecidisse tradant, militum quadringentis ferme interfectis nec multo amplius vulneratis. Boudicea vitam veneno finivit. Et Poenius Postumus praefectus castrorum secundae legionis cognitis quartadecumanorum vicesimanorumque prosperis rebus, quia pari gloria legionem suam fraudaverat abnueratque contra ritum militiae iussa ducis, se ipsum gladio transegit.

XXXVIII. Contractus deinde omnis exercitus sub pellibus habitus est ad reliqua belli perpetranda. Auxitque copias Caesar missis e Germania duobus legionariorum millibus, octo auxiliarium cohortibus ac mille equitibus, quorum adventu nonani legionario milite suppleti sunt: cohortes alaeque novis hibernaculis locatae, quodque nationum ambiguum aut adversum fuerat, igni atque ferro vastatur. Sed nihil aeque quam fames adfligebat serendis frugibus incuriosos et omni aetate ad bellum versa, dum nostros commeatus sibi destinant: gentesque praeferoces tardius ad pacem inclinant, quia

octoginta. Sic ed. Spir. et recentt. inde à Lips. prima. — *octoaginta* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. — *octuaginta* MS. Guelf. non sine alterius manus correctione. — *octingenta* MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Bodl. Ies. Corb., qui numerus an sit credibilis dubito.

cecidisse. Sic edd. Spir. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *occidisse* MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. cf. not. ad c. 33.

Boudicea. cf. not. ad c. 31.

vitam veneno finivit. Dio 62, 12. ἀποθανούσης δὲ ἐν τούτῳ τῆς Βουνδουΐκης νόσῳ, ἐκείνην μὲν δεινῶς ἐπένθησαν κ. τ. λ.

Poenius. Ed. Spir. *poemus.*

Cap. 38. *e Germania.* MS. Guelf. *ex Germania.*

auxiliarium. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) Bud. Agr. Reg. edd. Spir. Iac. Gronov. Ernest. sqq. — *auxiliariorum* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

nonani. Ed. Spir. *nonam.* Eadem mox *aliaeque* pro *alaeque.*

versa. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *versos* ed. Spir. cum MS. Reg. unde Ernestius volebat: *omni aestate ad bellum versos.* Sed significantius est *omni aetate*; nempe ne mulieres et senes quidem domi manserunt, ut sererent. cf. cap. 34.

Iulius Classicianus successor Cato missus et Suetonio discors bonum publicum privatis simultatibus impediebat. disperseratque novum legatum opperiendum esse sine hostili ira et superbia victoris clementer deditis consulturum. Simul in urbem mandabat, nullum proelio finem exspectarent, nisi succederetur Suetonio: cuius adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam rei publicae referebat.

XXXIX. Igitur ad spectandum Britanniae statum missus est ex libertis Polycletus, magna Neronis spe posse auctoritate eius non modo inter legatum procuratoremque concordiam gigni, sed et rebelles barbarorum animos pace componi. Nec defuit Polycletus, quo minus ingenti agmine Italiae Galliaeque gravis, postquam Oceanum transmiserat, militibus quoque nostris terribilis incederet. sed hostibus inrisui fuit, apud quos flagrante etiam tum libertate nondum cognita libertorum

et Suetonio discors. MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *et Suetior discors.*

simultatibus. Ed. Spir. *simulationibus.* Eadem mox *nouoni* pro *novum.*

opperiendum. MS. Guelf. *opprimendum.*

in urbem. Sic Rhenanus ex ingenio. Edd. vett. cum silentio Victorii et MSS. Bud. Guelf. Ies. *in urbe.* An *in urbem* sit in aliquo MS. nemo prodidit. Ceterum littera *m* ut saepe absorpta est a sequenti vocabulo.

prospera ad fortunam rei publicae referebat. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Contra MS. Reg. ed. Spir. *prospera autem fortunae ipsius referebant.* MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. *prospera ad fortunam ipsius referebat.* Et Guelf. quidem post *pravitati* non habet *ipsius*, sed *istius.* Sunt tamen qui de MS. Flor. ita loquantur, ut *ad* ibi deesse videatur. Victorius *ad* intactum reliquit. MS. Agr. *prospera fortunae referebant.* Aptissima videtur scriptura Puteolani et praestantior coniecturis, quas viri docti protulerunt. Iac. Gronovius vult *imperii* pro *rei publicae;* Ernestius, ut omisso vocabulo *rei publicae* intelligatur *ipsius* e praecedentibus. Heinsius emendat: *prospera fortuitis accepta referebant.*

Cap. 39. *ex libertis.* Ed. Spir. *e libertis*, quod mollius gratiusque est.

Polycletus. MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. *Polyclitus*, hic et infr.; ed. Spir. *Policlitus.* Dio 63, 12. Πολύκλειτος. cf. not. ad Hist. 1, 37. 2, 95.

Neronis. Ed. Spir. *Neroni*, littera *s* absorpta per sequens vocabulum. Mox MS. Guelf. *concordia gnigni.*

postquam. MS. Bud. *posteaquam.* Mox MS. Guelf. *occeanum*, uti solet: edd. Put. *nundum* pro *nondum.*

libertorum. Sic edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *libertinorum*

potentia erat: mirabanturque, quod dux et exercitus tanti belli confector servitiis obedirent. Cuncta tamen ad imperatorem in mollius relata: detentusque rebus gerundis Suetonius, quod post paucas naves in litore remigiumque in iis amiserat, tanquam durante bello tradere exercitum Petronio Turpiliano, qui iam consulatu abierat, iubetur. is non inritato hoste neque lacessitus honestum pacis nomen segni otio imposuit.

XL. Eodem anno Romae insignia scelera, alterum senatoris, servili alterum audacia, admissa sunt. Do-

MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. „Sed vulgatum rectum, intellectu Caesaris, de cuius solis libertis sermo." Ernest. Quod commentum non satis verum esse videtur. Nam sententia in universum spectat, ut Britannos in hac re similes accipias Germanis. cf. German. c. 25. Itaque fortasse bene se habet scriptura *libertinorum*.

mirabanturque quod. MS. Guelf. omittit *quod*. Idem *non mollius* pro *in mollius*.

detentusque rebus gerundis Suetonius, quod post paucas etc. Sic MSS. Flor. (test. Ryck. sec. collat. Iac. Gronov.) Reg. Corb. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Lips. Gruter. Pichen. Ryck. sqq. Prima Lips. ed. omittit *paucas*. Ante *quod* additur *qui* in edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alciat. — MS. Bud. et inde edd. Rhen. Ald. Gryph. *quod perpaucas*. MS. Agr. *post quod paucas*. Parum interest; sed optimos sequimur libros. *Detentus* significat continuatum Suetonio imperium adiecta notione falsi. Nempe retinebatur quidem in imperio, ita tamen, ut oblata alia occasione removeretur. *Quod* indicat causam, cur Suetonius sit postea remotus, quum prius Polycleti ad imperatorem relatione facta mansisset in imperio. Quae cuncta ita sunt plana, ut frustra de emendando loco videantur quidam cogitasse. Faërnus volebat *demotusque rebus gerundis*, quod etiam Ernestio placet. Sed verba praecedentia potius innuunt Suetonium non statim demotum. Io. Fr. Gronovius emendat: *postquam paucas*, non video, cui bono. Edd. Gronoviorum *qui post paucas* etc. Heinsius: *dein intentus aeque*, et mox *ubi* post *paucas*.

in iis. MSS. Bud. Guelf. et ed. Spir. *in his*, vulgari permutatione. Mox eadem ed. Spir. *amiserant* pro *amiserat*.

tanquam durante bello. Id vero iam profligatum erat. Igitur in honorem Petronii et in Suetonii dehonestamentum simulabatur ad bellum profligandum alium ducem esse mittendum. Mureti coniectura *quanquam* pro *tanquam* legentis genuinam sententiam plane turbat. In ed. Spir. deest verbum *durante*. Eadem cum MS. Guelf. pro *iubetur* habet *iuberetur*.

inritato. Sic MS. Flor. test. Vict. — *irritato* edd. vett. cum cod. Guelf.

pacis. MS. Guelf. *paucis*.

Cap. 40. *alterum senatoris.* Sic libri vett. quantum constat omnes, eamque scripturam restituit Ernestius, quum ante eum (inde a Lips. ed. 1598.) vulgaretur *alterum senatoria*.

mitius Balbus erat praetorius, simul longa senecta simul orbitate et pecunia insidiis obnoxius. ei propinquus Valerius Fabianus capessendis honoribus destinatus subdidit testamentum adscitis Vinicio Rufino et Terentio Lentino equitibus Romanis. illi Antonium Primum et Asinium Marcellum sociaverant. Antonius audacia promptus: Marcellus Asinio Pollione proavo clarus neque morum spernendus habebatur, nisi quod paupertatem praecipuum malorum credebat. Igitur Fabianus tabulas iis quos memoravi et aliis minus inlustribus obsignat. quod apud patres convictum: et Fabianus Antoniusque cum Rufino et Terentio lege Cornelia damnantur. Marcellum memoria maiorum et preces Caesaris poenae magis quam infamiae exemere.

Balbus. Ed. Spir. *Calvus.* Apud Sueton. Iul. c. 36. legitur *Domitius Calvinus.* *Balbos* fuisse *Domitios* non invenio.

ei propinquus. E coniectura Rhenani, quam recepere Ryck. Iac. Gronovius, Ernestius sqq. Codd. MSS. quantum constat omnes *et propinquus* (etiam Flor. test. Vict.), et sic ed. Spir. — *eius propinquus* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Falsus est Broterius, qui ad h. l. tradit in MSS. Flor. Guelf. Bud. Agr. esse *ei.*

Vinicio Rufino. Sic suadentibus Rhenano, Faerno, Mercero edidere Bipont. Oberlin. sqq. Nam docent inscriptiones *Rufinus* esse cognomen *Viniciorum.* MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Guelf. et quantum constat omnes cum edd. Spir. Put. M. et V. ferunt *Vincio*, et sic edd. Ryck. Broter. *Vicio* dedere Beroald. Alc. Rhenan. sqq. et Iac. Gronov.

Antonium Primum. Ed. Spir. *Antonio primum.*

tabulas iis. Sic Lipsius locum restituit e cod. Vatic., qui: *tabulasiis.* Idem habetur in MS. Flor. (test. Pichena), nisi quod ibi littera *s*, quae prius fuit, erasa et a rec. m. rescriptum est *r.* Victorio tamen intactum mansit *tabulariis,* quod reperitur in MSS. Bud. aliisque, edd. Spir. Put. sqq. — *tabellariis* MS. Guelf. Sententia est, viros illos obsignatores fuisse tabulasque obsignasse; quod quia fecerunt iubente Fabiano, hic dicitur obsignasse illis sc. obsignatoribus *(er nahm die Besieglung vor mittelst jener Personen).* Kiesslingius vult *tabulas ascitis quos* etc. quae mihi egregia videtur esse coniectura.

lege Cornelia. Paullus Sent. 5, 15. *Hi qui falsum vel alia testimonia dixerunt, aut in exsilium aguntur aut in insulam relegantur aut curia submoventur.* Id. Sent. 4, 7. — Antonium tunc ordine motum docet Tacitus Hist. 2, 82.

damnantur. Ed. Spir. *damnatur.*

XLI. Perculit is dies Pompeium quoque Aelianum iuvenem quaestorium, tanquam flagitiorum Fabiani gnarum, eique Italia et Hispania, in qua ortus erat, interdictum est. Pari ignominia Valerius Ponticus adficitur, quod reos, ne apud praefectum urbis arguerentur, ad praetorem detulisset interim specie legum, mox praevaricando ultionem elusurus. additur senatus consulto: qui talem operam emptitasset vendidissetve, perinde poena teneretur ac si publico iudicio calumniae condemnatus.

XLII. Haud multo post praefectum urbis Pedanium Secundum servus ipsius interfecit, seu negata libertate, cui pretium pepigerat, sive amore exoleti infensus et dominum aemulum non tolerans. Ceterum

Cap. 41. *is dies.* Sic MS. Guelf. edd. Spir. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *id dies* edd. Put. M. et V. An voluit dare *idem dies?*

Pompeium. Sic MSS. edd. vett. et Pichen. sqq. Ante Pichenam vulgabatur *Pompeianum*, et sic edd. Lips. priores et Gruter.

Aelianum. Sic edd. Lips. sqq. *Helianum* MS. Guelf. edd. Puteol. sqq. cum Lipsii prima. *Elianum* ed. Spir.

quod reos. Edd. Put. M. et V. *qui reos.* Confusio e comp. scr. orta est.

ad praetorem. Qui constitutis quaestionibus perpetuis cognoscebat de falso. Pro *elusurus* MS. Guelf. fert *elusuris*, dum haec coniungit cum verbo *additur* etc.

senatus consulto. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) Reg. Bud. Agr. Corb. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. Ernest. sqq. Intellige additum eidem *senatus consulto, quo Ponticus damnatus est.* MS. Guelf. *Senatus .C.* Edd. Put. M. et V. Ber. Rhen. sqq. *senatus consultum.* cf. Hist. 4, 45.

vendidissetve. MS. Agr. ed. Ryck. *venditassetve.* Ed. Spir. *vendidisset ne.* In MS. Bud. sec. m. delevit *ve.*

perinde poena. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichena) Corb. Reg. edd. Spir. Pich. sqq. — *ut perinde poena* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *Ut* abundat, quum sint ipsa senatus consulti verba obliqua oratione enuntiata.

ac si publico iud. Si omittitur in MSS. Corb. Reg. Agr. edd. Spir. Ernest. sqq. — *ac si publico i.* MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. ac nuper Bekker. et Kiessl. — Pichen. et Iac. Gronov. tacite retinent *si.*

Cap. 42. *interfecit.* Ed. Spir. *interficit.*

amore. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. aliique et edd. Spir. Rhen. sqq. — *amori* edd. Put. M. et V. Beroald. Riv. Alc. Sed *amore* hic dicitur ut *aemulatione* 3, 58.

infensus. Pichena malebat *incensus*, idque Oberlinus adfirmat esse in MS. Agr. Sed neque Ryckius neque Heinsius tale quid inde prodidit. Consentit autem Heinsius scribendum esse *incensus.* Perperam.

cum vetere ex more familiam omnem, quae sub eodem tecto mansitaverat, ad supplicium agi oporteret, concursu plebis, quae tot innoxios protegebat, usque ad seditionem ventum est: senatuque in ipso erant studia nimiam severitatem aspernantium, pluribus nihil mutandum censentibus. ex quis C. Cassius sententiae loco in hunc modum disseruit.

XLIII. „Saepenumero .P. C. in hoc ordine interfui, cum contra instituta et leges maiorum nova senatus decreta postularentur, neque sum adversatus, non quia dubitarem super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum et, quae converterentur, in deterius mutari, sed ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer. Simul quidquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam, ut maneret integrum, si quando res publica consiliis eguisset. quod hodie

vetere ex more. cf. Cic. epp. 4, 12. Tacit. An. 13, 32.

senatuque in ipso. Sic edd. Bernegg. Gronov. Ryck. sqq. ex emendatione Lipsii. MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. Guelf. ceterique *senatusque in quo ipso.* Ed. Spir. *senatusque in quo ipse.* MS. Agr. *senatusque in quo ipsa.* Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *senatus in quo ipso.* Edd. Rhen. sqq. *senatusque (in quo ipso erant st. n. s. asp.) pluribus* etc. ut ita coniungas *senatusque pluribus* et voculam *que* accipias pro *quoque.* cf. not. ad 1, 28. Sed ne sic quidem salva est vetus scriptura et melior haud dubie Lipsii emendatio, licet de eius veritate dubitari adhuc possit. Nam ni omnia me fallunt, verbum aliquod excidit inter *aspernantium* et *pluribus* vel alibi. Heinsius coniecit: *senatus quin et eo ipse ferebatur in studia.*

mutandum. MS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) ed. Spir. *multandum.* Vulgatum tuentur MSS. Bud. Guelf. edd. Puteol. sqq.

ex quis. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Corb. Agr. edd. Spir. Ryck. sqq. — *ex quibus* MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

Cap. 43. *melius atque rectius.* MS. Bud. *melius ac rectius.*

in deterius. MS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) omittit *in.* cf. not. ad 3, 34. ubi vel sine praepositione talia dici posse docuimus.

nimio amore. MS. Corb. et ed. Spir. *uno amore.* Eadem ed. Spir. mox *iuris* pro *moris.*

viderer. Ed. Beroald. vitiose *videret;* idque Victorius e MS. Flor. correxit in *viderer*, quae et aliorum librorum est scriptura.

quidquid. Ed. Spir *quicq̃* h. e *quicquam.*

maneret. MS. Flor. (test. Vict.) *manaret.* — Mox *evenit* MS. Guelf. edd. Spir. Rhenan. sqq. *venit* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Victorii) Alc.

„evenit consulari viro domi suae interfecto per insidias „serviles, quas nemo prohibuit aut prodidit quamvis „nondum concusso senatus consulto, quod supplicium „toti familiae minitabatur. decernite hercule impuni-„tatem, ut quem dignitas sua defendat, cum praefectura „urbis non profuerit. Quem numerus servorum tuebi-„tur, cum Pedanium Secundum quadringenti non pro-„texerint? cui familia opem feret, quae ne in metu

prodidit. Ed. Spir. *prodiit.* Mox Puteolanus consentit in *nondum*, quum alibi dederit *nundum.*

ut quem dignitas sua defendat. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Reg. ed. Spir. Bene. Nam sic ironia belle continuatur, quod etiam sensit Ernestius. Pro *ut quem* MS. Guelf. fert *atque* compendio usus *atqȝ*, et dein *defendet.* MS. Corb. *et quem.* Rhenanus malebat *ecquem.* Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *At quem dignitas sua defendet*, incertum an e MSS. De Oxoniensibus Brotierius ita tacet, ut videantur cum vulgata scriptura conspirare. Verum particulam *at* huic loco non convenire recte observatum est ab Ernestio.

cum praefectura urbis non profuerit. Sic edd. Put. M. et V. Berold. Alc. Rhen. sqq. Sed pro *cum* in MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. Bud. (sec. m.) Harl. Bodl. ed. Spir. legitur *cui*, in MSS. Guelf. Ies. *vel cui.* Unus Bud. (pr. m.) habet *cum.* De MS. Agr. tacent. — Pro *praefectura* MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. edd. Spir. Iac. Gronov. dant *praefectus;* MS. Corb. *defectus.* — Pro *profuerit* MSS. Reg. Corb. Bodl. Guelf. Ies. ed. Spir. praebent *profuit.* Et primum quidem parum interesse videtur sive legas *cui*, seu malis *cum;* nam *cui* sic ponitur pro *cum alicui;* refertur enim ad indefinitum illud *quem*, quod praecedit. *Praefectus* an possit accipi pro nomine quartae declinationis, quemadmodum *adfectus*, *profectus*, *defectus*, ut ponatur pro *praefectura*, vix credibile est, quanquam potiorum librorum in ea voce consensum mireris. Denique *profuit* et *profuerit* ita differunt, ut praecedente *cum* sequi debeat *profuerit;* post *cui* utramque formam latinitas patitur. Nam Macrob. Sat. 7, 3. *Tullius in consulem, qui uno tantum die consulatum peregit: Vigilantissimus est, inquit, consul noster, qui in consulatu suo somnum non vidit!* Contra Cicer. Fam. 7, 30. *Caninius fuit mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnium non viderit.* Nempe coniunctivus per nexum causalem rem effert, indicativus omisso illo vinculo explicandi tantum habet vim.

opem feret. MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. ed. Spir. *ferat.* — *feret* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq., scilicet ob praecedens *tuebitur.* Sed Tacitus variandae dictionis amans est. MS. Guelf. *ferret.*

quae ne in metu quidem. *In metu* h. e. in eo statu, quo nunc ex legibus imminet poena necdum impunitas decreta est. cf. 15, 45. *aurum, quod omnis pop. Rom. aetas prospere aut in metu sacraverat.* Hist. 1, 86. *quae nunc tantum in metu audiuntur.* cf. not. ad 1, 40. Ceterum MS. Agr. (test. Heinsio) *sui metu* habet pro *in metu*, ex inscitia. — Mox *avertit* MSS. Reg. Agr. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. Ryck. Ernest. sqq. — *advertit* MSS. Bud. Harl. Ies. Guelf.

„quidem pericula nostra avertit? An, ut quidam fingere non erubescunt, iniurias suas ultus est interfector? „quia de paterna pecunia transegerat aut avitum mancipium detrahebatur? Pronuntiemus ultro dominum „iure caesum videri."

XLIV. „Libet argumenta conquirere in eo, quod „sapientioribus deliberatum est? Sed et si nunc primum „statuendum haberemus, creditisne servum interficiendi „domini animum insumpsisse, ut non vox minax exci„deret? nihil per temeritatem proloqueretur? Sane „consilium occuluit, telum inter ignaros paravit: num „excubias transiret, cubiculi fores recluderet, lumen „inferret, caedem patraret omnibus nesciis? multa „sceleris indicia praeveniunt: servi si prodant, possumus

Corb. edd. Lips. Pich. Bernegger. Gronov., et recte quidem, ut mihi videtur; nam *advertere* Tacito est pro *animadvertere*. cf. 12, 51. 13, 54. 15, 30. Hist. 3, 25. I. Fr. Gronovius coniecit: *quam ne in metu quidem pericula nostra advertunt*. Sed libri veteres non ita laborant, ut emendatione opus sit. Kiesslingius mecum consentit.

an, ut quidam etc. Ironice dicta. Nam iniuriae illae in servo nihili sunt. Mox MS. Guelf. *dominum videri iure caesum*.

Cap. 44. *libet — deliberatum est?* Interrogationis signum ponunt ex Freinshemii sententia; est vero etiam in edd. Put. M. et V. Ne tamen putes iustam esse interrogationem; immo et haec ironice dicuntur: *Wir wollen wohl* etc. cf. not. ad 2, 15.

sed et si nunc. si abest a MSS. Reg. Ies. In Guelf. sec. manus adiecit *si*. — *et* omittitur in MS. Bud.

animum insumpsisse. Sic MSS. veteresque edd. praeter MS. Bud., unde olim Rhenanus, recentius Bip. et Oberl. sqq. dedere *sumpsisse*, dissuadentibus lac. Gronovio et Ryckio, qui ad defendendam veterem scripturam aptissime adfert locum Statii Theb. 12, 643. *dignas insumite mentes coeptibus*. Quod Ernestius animadvertit aliud esse *mentem insumere coeptibus*, aliud *mentem insumere* simpliciter, nihili est. *Insumi* dicuntur, quae sunt gravia, periculosa, atrocia. cf. not. ad 6, 32.

occuluit. Pichena testatur in MS. Flor. legi *occultavit*. Verum Victorius intactum reliquit *occuluit*, quod praeferunt MS. Guelf. vett. edd. Utrumque verbum bonum et Nostro in tali locutione usitatum est. Sed homoteleuta *occultavit, paravit*, non omnibus auribus placebunt.

transiret — recluderet etc. MSS. Reg. Corb. Agr. ed. Spir. *transire — recludere — inferre — patrare*. cf. Ramshorn. Gr. § 168. p. 435. 6). Elegantius tamen haec per optativum enuntiantur, uti est in vulgata scriptura. Ante *excubias* MS. Guelf. fert *non* pro *num*.

praeveniunt: servi etc. Sic edd. Spir. Put. Ber. Alc. et dein Ernest. sqq. — *praeveniunt servi, si prodant. Possumus* etc. edd. Rhenan. (e MS. Bud.) Ald. Gryph. — *praeveniunt servi. Si prodant, possumus* etc. edd. Lips. Pich. sqq.

possumus. MS. Agr. *non possumus*.

„singuli inter plures, tuti inter anxios, postremo, si „pereundem sit, non inulti inter nocentes agere. Su„specta maioribus nostris fuerunt ingenia servorum, „etiam cum in agris aut domibus iisdem nascerentur ca„ritatemque dominorum statim acciperent. postquam „vero nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, „externa sacra aut nulla sunt, colluviem istam non nisi „metu coercueris. At quidam insontes peribunt. nam „et ex fuso exercitu, cum decimus quisque fusti feritur, „etiam strenui sortiuntur. Habet aliquid ex iniquo omne „magnum exemplum, quod contra singulos utilitate pu„blica rependitur."

singuli inter plures, tuti inter anxios. Ernestius haerebat suspicabaturque hic vitium latere; nam verba *singuli inter plures tuti* aeque coniunctim legenda censebat, ac mox *inter nocentes non inulti.* Tum nesciebat, quid sibi vellent verba *inter anxios.* At enim vero dum ille dicit: *possumus singuli inter plures . . . agere*, per se intelligitur illum sibi velle: *possumus agere sine metu exitii*, nec opus est, ut *tuti* ad praecedentia trahatur. *Tuti inter anxios* h. e. ita ut ne tum quidem domino quidquam timendum sit, si vel ira et severitate adversus servos utatur. Nam *anxii* intelligendi sunt servi metu domini perculsi. Ceterum voc. *anxios* deest in ed. Spir. Eadem dat *non multi* pro *non inulti*, vulgari confusione. cf. not. ad 16, 23. Hist. 3, 77.

fuerunt ingenia. Sic MS. Guelf. vett. edd. cum silentio Victorii. — *fuere ingenia* edd. recentt. inde a Lipsii prima. — Mox MS. Flor. (test. Iac. Gron.) pro *iisdem* habet *iidem* vel *idem.* Victorius reliquit *iisdem.*

nationes. cf. 3, 53. *familiarum numerum et nationes.*

in familiis. Ed. Spir. *in familias.* Eadem mox omittit *quidam* ante *insontes.*

nam et ex fuso etc. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Guelf. Corb. Bodl. Bud. edd. Spir. (quae tamen omittit *et*) Rhen. Ald. Lips. Grut. Ryck. Iac. Gronov. Ernest. sqq. — *Num et ex f.* etc. et deinde *non* ante *sortiuntur* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Pichen. sqq. usque ad Ryckium. Perperam et ex malo emendandi studio. *Nam*, ut graecum *γάρ*, rationem reddit antecedentis sententiae aut diserte expressae aut facile intelligendae. cf. interprett. ad Viger. idiot. c. 8. sect. 5. — *At quidam insontes peribunt.* Intellige: Concedo, peribunt. *Nam et* etc. (*Ja, denn* etc.)

decimus. Ed. Spir. *decinius.*

fusti. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Bud. edd. Spir. Pich. sqq. — *fuste* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. cf. not. ad c. 8.

feritur. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *veritur.* MS. Guelf. *uerritur.*

etiam strenui. MS. Guelf. *et strenui.*

aliquid. Ed. Spir. *aliquis.*

XLV. Sententiae Cassii, ut nemo unus contra ire ausus est, ita dissonae voces respondebant numerum aut aetatem aut sexum ac plurimorum indubiam innocentiam miserantium. Praevaluit tamen pars, quae supplicium decernebat. sed obtemperari non poterat conglobata multitudine et saxa ac faces minitante. Tum Caesar populum edicto increpuit atque omne iter, quo damnati ad poenam ducebantur, militaribus praesidiis sepsit. Censuerat Cingonius Varro, ut liberti quoque, qui sub eodem tecto fuissent, Italia deportarentur. id a principe prohibitum est, ne mos antiquus, quem misericordia non minuerat, per saevitiam incenderetur.

XLVI. Damnatus iisdem consulibus Tarquitius Priscus repetundarum Bithynis interrogantibus magno patrum gaudio, quia accusatum ab eo Statilium Tau-

Cap. 45. *nemo unus.* MS. Bud. *nemo bonus.* In MS. Guelf. hodie legitur *unus* ab sec. manu: prius fuerat *bonus.*

numerum aut aetatem aut sexum. Ed. Spir. *Numero aut aetate: aut sexu.* Mox pro *innocentiam* eadem cum MS. Flor. (test. Vict.) dat *innocentium.* MS. Guelf. *dubiam* pro *indubiam.*

et saxa ac faces. Sic MSS. Flor. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Ernest. sqq. Auctore MS. Bud. Rhenan. sqq. omiserant *et.* MS. Reg. *et saxa et faces.*

minitante. Sic MS. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *minante* MSS. Flor. Guelf. aliique, edd. Put. M. et V. Ber. Alc. — Kiesslingius de Flor. et Guelf. falsus est.

Cingonius Varro. Sic Rhenan. sqq. — Ed. Spir. *Cingoritus Barro,* cum qua consentiunt MSS. Reg. Corb. in *Cingoritus.* Edd. Put. et Ber. (c. silent. Vict.) Alc. *Cingontus Varro.* MS. Guelf. *Cinguntus Barro.* Sed cf. Hist. 1, 6 et 37.

deportarentur. Ed. Spir. *deportarent.*

incenderetur. Sic MSS. et vett. edd. Pichena tamen, quem dein omnes secuti sunt, recepit Rhenani et Merceri coniecturam *intenderetur.* Frustra. Nam utrumque verbum de *antiquo more* tropice valet, qui et incendi et intendi potest dici; et amat Noster hunc usum verbi *incendere.* cf. 1, 23. 2, 82. Quippe *incendere* tum est acriorem reddere aliquam rem, et flagrantiorem. Hinc *ne mos antiquus per saevitiam incenderetur* est: ne mos antiquus per se saevus et crudelis saevior etiam et crudelior redderetur.

Cap. 46. *Tarquitius.* Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. et recentt. inde a Lips. prima. cf. 12, 59. *Tarquinius* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald.

Bithynis. Ed. Spir. *Bichinis.* Edd. Put. M. et V. *Bithiniis.* MS. Guelf. *bythiniis.* Edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. *Bithynis.*

interrogantibus. cf. 16, 21. *dum Capitonem repetundarum interrogant.* MS. Guelf. *interrogationibus.*

quia accusatum. Sic MSS. et vett. edd., interque recentiores

rum proconsulem ipsius meminerant. Census per Gallias a Q. Volusio et Sextio Africano Trebellioque Maximo acti sunt, aemulis inter se per nobilitatem Volusio atque Africano: Trebellium dum uterque dedignatur, supra tulere.

XLVII. Eo anno mortem obiit Memmius Regulus auctoritate, constantia, fama, in quantum praeumbrante imperatoris fastigio datur, clarus, adeo ut Nero aeger valetudine et adulantibus circum, qui finem imperio adesse dicebant, si quid fato pateretur, responderit habere subsidium rem publicam, rogantibus dehinc, in quo potissimum? addiderit in Memmio Regulo. Vixit tamen post haec Regulus quiete defensus et quia nova generis claritudine neque invidiosis opibus erat. Gymnasium eo anno dedicatum a Nerone praebitumque oleum equiti ac senatui Graeca facilitate.

XLVIII. P. Mario, L. Asinio coss. Antistius praetor, quem in tribunatu plebis licenter egisse memoravi, probrosa adversus principem carmina factitavit vulgavitque celebri convivio, dum apud Ostorium Scapulam

Ryckius. Vulgo *qui accusatum.* Quod Oberlinus animadvertit de hiatu in *quia accusatum*, nihili est.

proconsulem. MS. Flor. (test. Pich.) ed. Iac. Gronov. *pro consule.* Victorius reliquit *proconsulem*, in qua scriptura ceteri libri consentiunt.

ipsius. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *ipsi* MSS. Reg. Corb. ed. Spir.

a Q. Volusio. Ed. Spir. *A. q. Volusino.* cf. 13, 25.

Sextio. Sic MSS. Flor. (sec. collat. Iac. Gronov.) Bud. Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Ryck. sqq. — *S.* MS. Guelf. — *Sex.* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

Cap. 47. *eo anno.* MS. Reg. *eodem anno.*

obiit. MS. Flor. (test. Vict.) *obit.*

valetudine. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. recentt. — *valitudine* MSS. Bud. Guelf. edd. vett.

addiderit. MSS. Flor. (t. Vict.) Bud. Harl. Bodl. Ies. Reg. Guelf. edd. Spir. Ernest. sqq. habent *addiderat.* Contra *addiderit* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. non e mendo typogr., sed ex vero emendandi studio. De MS. Agr. tacent. Bekkerus bene reduxit *addiderit*, virgula posita ante *rogantibus.* cf. not. ad 11, 2.

vixit tamen. Ed. Spir. *vix tamen.*

Gymnasium. Ed. Spir. *Gignasium.* Eadem mox cum MS. Agr. *oletum* pro *oleum.*

Cap. 48. *Antistius.* MS. Agr. *C. Antistius.*

memoravi. cf. 13, 28.

probrosa. Ed. Spir. *prorora.*

vulgavitque. MS. Reg. ed. Spir. *vulgatumque.*

Ostorium. MS. Guelf. *ostrium.*

epulatur. exin a Cossutiano Capitone, qui nuper senatorium ordinem precibus Tigellini soceri sui receperat, maiestatis delatus est. Tum primum revocata ea lex: credebaturque haud perinde exitium Antistio quam imperatori gloria quaesita, ut condemnatus a senatu intercessione tribunicia morti eximeretur. et cum Ostorius nihil audivisse pro testimonio dixisset, adversis testibus creditum: censuitque Iunius Marullus consul designatus adimendam reo praeturam necandumque more maiorum. Ceteris inde adsentientibus Paetus Thrasea multo cum honore Caesaris et acerrime increpito Antistio, non quidquid nocens reus pati mereretur, id egregio sub principe et nulla necessitate obstricto senatu statuendum

exin a Cossutiano. Ed. Spir. *et in a cossociano.*

Tigellini. Ed. Spir. cum cod. Guelf. *Tigilini.* Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. *Tigillini.* — *Tigellini* edd. recentt. inde a Lips. prima, et ita Dioni nominatur. cf. not. ad c. 51.

tum primum. Ed. Spir. *tunc primum.*

credebaturque . . . . . quaesita. MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *revocata ea lex credebatur, quae haud perinde exitium Antistio quam imperatori gloriam quaesivit*, in qua scriptura ceteri etiam MSS. videntur consentire. — Mox pro *ut condemnatus*, quod est in MSS. Bud. Corb. edd. Spir. Rhenan. sqq. (etiam in marg. MS. Harl.), MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. ferunt *ne condemnatus.* In MS. Guelf. coniunctio ante *condemnatus* in litura est, hodie ibi legitur *ut*; deest eadem in MS. Flor. (test. Vict. c. al.). Quae veterum librorum scriptura quum pro sana accipi nequiret, multam viri docti operam dedere emendando loco. Mercerus pro *quae* volebat *qua*, ut Capito principi gloriam quaesivisse diceretur. Muretus *quaereret.* Acidalius, cum intellexisset ineptum esse *revocata credebatur*, primus id verbum cum seqq. coniungi iussit atque legi: *credebaturque .... quaesisse.* Addidit vero posse et scribi: *gloriam quaesitam*, *gloria quaesita*, *gloriam quaeri*, *gloria quaeri.* Freinshemio et Ryckio placebat *gloria quaesita*, quam scripturam Oberlin. sqq. in contextum recepere. Bekkerus tamen maluit *gloriam quaeri.* Sed verbum *credebatur* intelligendum est de opinione populi, quae ex eventu demum oritur (cf. not. ad 4, 2.): quare aptius esse videtur *gloria quaesita.* Coaluit olim *quaesita ut* in *quaesitauit*, unde emendandi causa factum est *quaesivit*, omissa particula *ut*, quam posteriores librarii iterum addiderunt.

eximeretur. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *eximeret* MS. Flor. test. Vict.; *exponeret* MS. Reg. ed. Spir.

Marullus. Ed. Spir. *Marulus.* MS. Guelf. *marulius.* Idem mox *meretur* pro *mereretur.*

obstricto senatu. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Rhen. sqq. — *obstricto senatui* edd. Spir. Alc. Fallit igitur Ernestius, qui scribit: „Vett. edd. ante Rhenanum *senatui*;" falleba-

disseruit. carnificem et laqueum pridem abolita: et esse poenas legibus constitutas, quibus sine iudicum saevitia et temporum infamia supplicia decernerentur. quin in insula publicatis bonis, quo longius sontem vitam traxisset, eo privatim miseriorem et publicae clementiae maximum exemplum futurum.

XLIX. Libertas Thraseae servitium aliorum rupit. et postquam discessionem consul permiserat, pedibus in sententiam eius iere paucis exemptis, in quibus adulatione promptissimus fuit A. Vitellius optimum quemque iurgio lacessens et respondenti reticens, ut pavida ingenia solent. At consules perficere decretum senatus non ausi de consensu scripsere Caesari. Ille inter pudorem et iram cunctatus postremo rescripsit nulla iniuria provocatum Antistium gravissimas in principem contumelias dixisse; earum ultionem a patribus postulatam,

turque per Rhenani notam, qua is fatetur se restituisse *senatu.*

quin in insula. Sic ex ed. Riv. Pichena sqq. In MS. Flor. Pichena invenit *qui in insula.* Victorius silentio tramisit *quin in insulam*, quae est scriptura MSS. Agr. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *qui insula* MS. Bud. — *quin insula* edd. Rhen. sqq. — *qui ne insula* ed. Spir.

traxisset. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — *transisset* MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Spir.

eo privatim miseriorem. Ex emendatione Lipsii, quam Ernestius recepit. Edd. vett. cum MS. Guelf. *miserior.* MSS. Corb. Agr. *privatus* pro *privatim.*

Cap. 49. *servitium.* Sic MS. Guelf. edd. ante Rhenanum omnes (c. silent. Vict.) et edd. Pich. sqq. — *silentium* e MS. Bud. dederat Rhenanus sqq. Sic etiam in marg. MS. Bodl. Sed *servitium* opponitur *libertati*, estque quasi vinculum, quo homines tenentur; apte igitur dici potest rumpi. Mox Guelf. *dissesionem;* sed *e* medium est in litura et a sec. m.

consul. MS. Flor. (test. Vict.) per compendium *cos.* Hinc fit, ut libri quidam hariolentur. Nam ed. Spir. *consulis;* MS. Guelf. *consulibus* non sine correctione. Bene Puteolanus sqq. *consul.*

exemptis. MS. Flor. test. Pich. *exeptis*, quod Pichena accipiebat pro *exceptis.* Sed lineola ibi omissa est super altero *e;* nam et ed. Spir. et MS. Bud. scribunt *exēptis.* Victorius sapienter intactam reliquit vulgatam scripturam.

lacessens. MS. Flor. (t. Vict.) et ed. Spir. *lacescens*, ut illi libri solent. MS. Guelf. et Aldus hic maluerunt vulgatum.

decretum senatus. Sic MS. Flor. (t. Vict.) et ed. Spir. Recte. Vulgo editur *senatus decretum*, ut est in MS. Guelf. edd. Put. sqq.

a patribus. Ed. Beroald. vitiose *a partibus*, quod Victorius e MS. Flor. correxit *a patribus*, uti est in MS. Guelf. edd. Spir. Put. Alc. Rhen. sqq.

et pro magnitudine delicti poenam statui par fuisse. ceterum se, qui severitatem decernentium impediturus fuerit, moderationem non prohibere. statuerent ut vellent: datam et absolvendi licentiam. His atque talibus recitatis et offensione manifesta non ideo aut consules mutavere relationem aut Thrasea decessit sententia ceterive, quae probaverant, deseruere, pars ne principem obiecisse invidiae viderentur, plures numero tuti, Thrasea sueta firmitudine animi et ne gloria intercideret.

L. Haud dispari crimine Fabricius Veiento conflictatus est, quod multa et probrosa in patres et sacerdotes composuisset iis libris, quibus nomen Codicillorum dederat. Adiiciebat Talius Geminus accusator venditata ab eo munera principis et adipiscendorum honorum ius. quae causa Neroni fuit suscipiendi iudicii, convictumque Veientonem Italia depulit et libros exuri iussit, conquisitos lectitatosque donec cum periculo parabantur: mox licentia habendi oblivionem attulit.

datam et absolv. l. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Consentiunt MSS. Reg. Corb. Bud., nisi quod *etiam* habent pro *et*, quod tamen additum est in marg. MS. Reg. Fallunt igitur Ernestius et Broterius, qui adfirmant in MS. Flor. et edd. Spir. sqq. esse *etiam*. MSS. Harl. Bodl. Jes. *data et absolvendi licentia;* edd. Rhenan. sqq. *datâ etiam abs. licentiâ.* Pichena restituit veterem scripturam. Sed molestum illud *etiam* mansit et apud Pichenam et in edd. recentt.

invidiae viderentur. Verbum *viderentur* abest ab ed. Spir. Paulo ante libri mei omnes *ceterive*, praeter MS. Guelf. edd. Beroald. Alc., in quibus legitur *ceteri vero.*

firmitudine. Ed Spir. *formidine.* Eadem mox *intercideretur.*

Cap. 50. *Fabricius Veiento.* MS. Guelf. *uegento.* Ed. Spir. *Fabritius vegento.*

quod multa. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Pich. sqq. — *qui multa* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *Quod* Pichena restituit e MS. Flor. in quo test. Vict. exstat compendium *qđ.* In ed. Spir. est ꝙ h. e. *quod.* Mox MS. Flor. (test. Vict.) *in partes* pro *in patres.*

iis libris. Ed. Spir. cum cod. Guelf. *his libris.*

Talius Geminus. MS. Reg. *Tallius G.* Muretus malebat *T. Allius.* Sed quis in tali re certi quid adfirmabit?

venditata. MSS. Bud. Guelf. (sec. m.) ed. Spir. *vendicata.* Eadem ed. Spir. mox omittit *honorum*, et copulam in *convictumque.* Pro *iudicii* MS. Guelf. habet *indicii*, vulgari confusione.

LI. Sed gravescentibus in dies publicis malis subsidia minuebantur: concessitque vita Burrus, incertum valetudine an veneno. Valetudo ex eo coniectabatur, quod in se tumescentibus paulatim faucibus et impedito meatu spiritum finiebat. plures iussu Neronis, quasi remedium adhiberetur, inlitum palatum eius noxio medicamine adseverabant, et Burrum intellecto scelere, cum ad visendum eum princeps venisset, aspectum eius aversatum sciscitanti hactenus respondisse „Ego me „bene habeo." Civitati grande desiderium eius mansit per memoriam virtutis et successorum alterius segnem innocentiam, alterius flagrantissima flagitia et adulteria.

Cap. 51. *valetudine.* Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. et recentt. inde a Lips. prima. Iidem libri mox *valetudo.* Ceteri, uti solent.

an veneno. Sic edd. Rhen. sqq. Recte. cf. 2, 42. *sponte an fato;* 13, 12. *fato quodam, an quia praevalent inlicita.* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. sqq. *aut veneno.* Et Rhenanus quidem in castigatt. „Videtur, ait, ex scriptura regii cod. (Bud.) potius legendum *valitudine an veneno.*" Oberlinus tamen testatur in MS. Bud. luculenter legi *aut veneno.*

in se tumescentibus. Muretus corrigendum censebat *intumescentibus*, quod placet Ernestio et Broterio. *In se* vitiosum esse Ernestius audacter pronuntiavit. Hillerus tamen *in se* idem esse ac *per se* adfirmat. Nemini horum credas. *In se fauces tumescebant* h. e. tumor non visebatur externus, ut fauces extenderentur; sed internus erat, ut meatus faucium paulatim angustior fieret. Nihil planius.

spiritum. MS. Guelf. *spiritu.*

iussu Neronis. Ed. Spir. *vis Neronis*, vulgari confusione. cf. not. ad 1, 8. Mox Rhenanus *eius* post *palatum* auctore MS. Bud. omiserat; restituit Pichena e MS. Flor. et vett. edd. Habet etiam Guelf.

inlitum. Sic MS. Flor. test. Vict. *illitum* edd. vett. cum cod. Guelf.

scelere. MS. Guelf. *scellere.*

aversatum. Ed. Spir. cum cod. Guelf. *adversatum.* cf. not. ad 1, 28. Paulo ante *ad visendum eum* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. — Rhenanus auctore MS. Bud. omiserat *eum*, quod Pichena restituit e MS. Flor.

sciscitanti. Sic MSS. Flor. (sec. collat. Gronovii) Reg. Bud. edd. Spir. Ernest. sqq. Victorius tamen intactum reliquit *sciscitantique*, quod est in MSS. Bodl. les. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — MS. Guelf. *scisitantique.*

hactenus. H. e. hoc tantum, nihil ultra. Ed. Spir. *hattenus.* Eadem in sequentibus peccat ita: *successorum. Alterius segnem innocentiam: alterius fl. f. ad ultima quippe* etc.

flagitia et adulteria. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. Sunt tamen qui adfirment in MS. Flor. copulam *et* deesse. MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *flagitia ad ultima*, quod Broterio non spernendum videtur. Etiam Ernestius in vulgata scriptura offendit. „Nam *adulteria*, ait, sunt in *flagitiis.*

quippe Caesar duos praetoriis cohortibus imposuerat, Fenium Rufum ex vulgi favore, quia rem frumentariam sine quaestu tractabat, Sofonium Tigellinum, veterem impudicitiam atque infamiam in eo secutus. Atque illi pro cognitis moribus fuere, validior Tigellinus in animo principis et intimis libidinibus adsumptus, prospera populi et militum fama Rufus, quod apud Neronem adversum experiebatur.

LII. Mors Burri infregit Senecae potentiam, quia nec bonis artibus idem virium erat altero velut duce amoto, et Nero ad deteriores inclinabat. Hi variis criminationibus Senecam adoriuntur, tanquam ingentes et privatum supra modum evectas opes adhuc augeret,

Nisi vero voluit generi hanc speciem addere, ut in quam in primis flagitiosus esset." Verum distinguit Noster *flagitia* et *adulteria*, ut illa intelligantur facinora, quae nos dicimus *feige*, *niederträchtig*. cf. 1, 18. 27. 69.

Sofonium Tigellinum. Sic edd. Lips. sqq. *Offonium Tigilium* ed. Spir. — *Ofonium Tigillinum* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Sic et MS. Bud. Sed Dio 59, 23. *ὁ Τιγελλῖνος ὁ Σωφόνιος*. De vocabulo *Tigellinus* cf. not. ad c. 48.

atque illi pro cognitis moribus f. Sic MSS. Farnes. Corb. edd. Pichen. (suadente Mercero) sqq. Eandem scripturam Pichena invenit in altero MS. Flor., qui est diversus a Langobardico. Hic (sec. collat. Iac. Gronov.) cum MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. *atque illi pro cognatis moribus f.* Victorius tamen silentio tramisit: *et quae illi pro genitis m. f.*, quae sunt in edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — Rhenanus cum seqq. ex ingenio et duce MS. Bud. edidit: *ac quae illi pro cognatis m. f.* Ryckius e MS. Agr. *quae illi pro cognitis m. f.* Emendat tamen is liber MS. *pro ingenitis.* E MSS. Reg. Vatic. Broterius adfert *atque illi progenitis moribus f.* Ed. Spir. *Atque illi praegenitis moribus fuere.* Merito acquiescimus in scriptura recepta, quae et optimam et planissimam sententiam efficit.

et intimis. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gron.) Bud. edd. Iac. Gronov. Ernest. sqq. Sic etiam Rhenanus voluerat in castigationibus; in contextu tamen retinuit *ex intimis*, quod est in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. sqq. In MSS. Reg. Corb. Vatic. Agr. ed. Spir. *et in intimis.*

Cap. 52. *ad deteriores.* MS. Bud. *ad terrores*, unde sec. manus fecit *ad errores.* — Mox ed. Ber. pro *virium* vitiose dat *virum*, quod Victorius e MS. Flor. correxit in *virium.*

privatum supra modum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. (sec. m.) edd. Rhenan. Ernest. sqq. Pro *privatum* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. exhibent *privatim.* MSS. Harl. Bodl. Ies. in *supra modum* conspirant; utrum habeant *privatum*, an *privatim*, non diserte proditur. Coniicio hos libros, uti solent, conspirare cum Guelf. Broterius eos cum Puteolano ad eandem formulam revocat, tanquam habeant *privatum ultra modum*, quum apud Puteol. sit

quodque studia civium in se verteret, hortorum quoque amoenitate et villarum magnificentia quasi principem supergrederetur. Obiiciebant etiam eloquentiae laudem uni sibi adsciscere et carmina crebrius factitare, postquam Neroni amor eorum venisset. nam oblectamentis principis palam iniquum: detrectare vim eius equos regentis, inludere voces, quotiens caneret. Quem ad finem nihil in re publica clarum fore, quod non ab illo reperiri credatur? Certe finitam Neronis pueritiam et robur iuventae adesse. exueret magistrum satis amplis doctoribus instructus maioribus suis.

LIII. At Seneca criminantium non ignarus, prodentibus iis quibus aliqua honesti cura et familiaritatem

privatim. MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *in privatum modum*, quod Ernestius recte censuit positum pro *ultra privatum modum*, uti est in MS. Agr. — MS. Bud. pr. m. et edd. ante Ernestium inde a Lipsii prima praepositione omissa legunt *privatum modum evectas*, et plane sic 12, 36. *unde fama eius evecta insulas* (h. e. egressa insulas). Ne igitur puta cum Ernestio, verbo *evectas* necessario addi praepositionem, quanquam addita nihil nocet. Mox MS. Guelf. *hortorumque* pro *h. quoque*.

laudem uni sibi. Ed. Spir. *laude munia sibi.* Paulo ante *supergrederetur* MS. Bud. et edd. vett. cum silentio Victorii. *praegrederetur* MS. Bodl. — *pergrederetur* MSS. Harl. Ies. Guelf. (hic per comp. ꝑgrederetur). *congrederetur* MS. Corb.

crebrius. Ed. Spir. *saepius.*

venisset. Sic edd. recentt. inde a Lips. 1598. — *evenisset* edd. vett. cum silent. Vict. et MS. Guelf. — *evasisset* MS. Agr. et antea *eorum amor.* De aliis MSS. silentium est. Heinsius coniecit *Neronem evasisset.* Perperam. Sed an veterem scripturam *evenisset* recte mutaverint in *venisset*, valde dubito. Nam *evenire* innuit sortem divinam et quod fit ex voto, atque egregie convenit adulatorum ori.

detrectare. Sic edd. recentt. inde a Pichen. — *detractare* MS. Guelf. edd. ante Pichenam (cum silent. Vict.), quae forma vett. libris frequens est.

voces. Ursino magis placebat *vocem*, itemque Mureto et Acidalio nisi fuerit *vocei* h. e. voci. Immo *voces* hic sunt eodem sensu, quo apud Sueton. in vita Terent. c. 5. *Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti conversum expressumque latina voce Menandrum in medio populi s e d a t i s v o c i b u s effers, quidquid come loquens atque omnia dulcia dicens.* (*Ausdrucks-* vel *Vortragsweise*). Ceterum verbum *inludere* et cum accusativo et cum dativo coniungitur. cf. Ramshorn. Gr. § 122.

quem ad finem. Male interpretantur: *zu welchem Zwecke.* Immo *bis zu welchem Ziel* h. e. quousque tandem. Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. signum interrogationis ponunt post *finem.* Male. Ed. Spir. *caneret quem ad finem: nihil* etc.

exueret magistrum. Graece ἐκδύσασθαί τινα. Ceterum ed. Spir. pro *magistrum* dat *magistratum*, et mox *amplius* pro *amplis*.

Cap. 53. *iis quibus.* Ed. Spir. more suo *his quibus.* Mox *erat*

eius magis aspernante Caesare, tempus sermoni orat, et accepto ita incipit: „Quartusdecimus annus est, Cae- „sar, ex quo spei tuae admotus sum: octavus, ut impe- „rium obtines: medio temporis tantum honorum atque „opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meae desit „nisi moderatio eius. Utar magnis exemplis, nec meae „fortunae sed tuae. Abavus tuus Augustus M. Agrip- „pae Mytilenense secretum, C. Maecenati urbe in ipsa „velut peregrinum otium permisit, quorum alter bello- „rum socius, alter Romae pluribus laboribus iactatus „ampla quidem, sed pro ingentibus meritis praemia ac- „ceperant. ego quid aliud munificentiae adhibere po- „tui quam studia, ut sic dixerim, in umbra educata?

pro *orat* est in edd. Spir. Put. M. et V.; et *octavum* pro *octavus* in ed. Spir. — MS. Guelf. post *annus* omittit *est*. Mox idem habet *ni* pro *nisi*.

nec meae fortunae. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *ne meae fortunae* MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. Quod ut toleres, artius haec cum sequentibus sunt coniungenda, et tollenda plena distinctio ante *abavus*.

abavus tuus. E correctione Lipsii, quam primus recepit Ryckius et dein Ernest. sqq. cf. 13, 34. Senec. de clem. 1, 10. — MSS. et vett. edd. *atavus tuus*, quod cum Iac. Gronov. Naudetus nuper repetiit. Et potest sane in dubium vocari emendatio Lipsii. Nam *atavi* etiam dicuntur, ut in universum denotentur *maiores (Ahnen)* alicuius (cf. Horat. Od. 1, 1, 1.), nec erat huius loci, ut accurate plane gradus cognationis significaretur. Ceterum ed. Spir. dat *attavus* pro *atavus*.

Mytilenense secretum. cf. Sueton. Oct. c. 66. Dio 53, 32. Plin. 7, 45. De scriptura *Mytilenense* cf. not. ad 6, 18. Hic ed. Spir. *mitilinense*; edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) *mytilenense*; edd. Rhen. sqq. *Mitylenense*.

velut. Ed. Spir. *valde*.

quid aliud munificentiae adhibere potui. Sic edd. vett. (c. sil. Vict.) et MS. Bud. Sed MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Agr. edd. Ernest. sqq. post *munificentiae* addunt *tuae*. Bekkerus invectam voculam uncis inclusit ut suspectam. At debuisset tollere in patibulum. Nam sententiam ab hoc loco plane alienam id additamentum infert. *Munificentia* hic minime intelligenda est munificentia Neronis in Senecam; immo huius munificentia in illum. Ponitur enim eo sensu, quo est apud milites, inter quos *munifices* erant milites infimi ordinis, qui omnia militiae munia debebant obire, quibusque tribuni et centuriones in modum servorum utebantur. cf. Veget. 2, 7. et 19. Iam Seneca de Agrippae et Maecenatis *ingentibus meritis* locutus pergit: *Ego quid aliud munificentiae adhibere potui* etc. ut quasi dicat, sua merita tantopere distare ab Agrippae et Maecenatis meritis, quam munificis militis officia a summi ducis operibus.

in umbra. Ed. Spir. *in verba*.

„et quibus claritudo venit, quod iuventae tuae rudi-„mentis adfuisse videor, grande huius rei pretium. at „tu gratiam immensam, innumeram pecuniam circum-„dedisti, adeo ut plerumque intra me ipse volvam: „egone equestri et provinciali loco ortus proceribus civi-„tatis adnumeror? inter nobiles et longa decora prae-„ferentes novitas mea enituit? ubi est animus ille mo-„dicis contentus? talis hortos exstruit et per haec sub-

et quibus. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Bud. (pr. m.) edd. Ryck. Iac. Gronov. Broter. Oberl. sqq. — *e quibus* MS. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. Quippe edd. Put. signum interrogationis ponunt post *venit.* Rhenanus tamen id signum collocavit post *educata.* Ed. Spir. hac utitur interpunctione: *educata e quibus claritudo venit: quod* etc. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. *a quibus.* Verum *et* et *a* in MSS. plerumque ita scribuntur, ut vix discerni possint.

circumdedisti. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichen.) Bud. Guelf. Corb. edd. Pichen. sqq. — *dedisti*, omissa praepositione, MS. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. De MSS. Oxonn. Broterius tacet.

intra me ipse. Sic MSS. et vett. edd., nisi quod ed. Spir. pro *intra* fert *inter.* Ryckius hanc scripturam restituit auctoritate MSS. Flor. et Oxon. (Iac. Gronov.). Ante Ryckium edebatur *intra me ipsum*, uti est in Guelf., quae scriptura an sit recepta a Rhenano, uti prodidit Oberlinus, valde dubito. Nam Rhenanus in ed. 1533. sequitur priores, nec quidquam mutat in castigationibus. Invenio etiam *intra me ipse* in edd. Ald. Micyll. 1557. Sed ed. Rhen. de an. 1544. non est ad manus. In Lipsii prima est *intra me ipsum.*

ortus. MS. Guelf. *natus*, sed in marg. *ortus.* Idem mox *ciuitatibus* pro *civitatis.*

adnumeror. Sic MS. Flor. test. Victorio. — Edd. vett. *annumeror.* Pro *civitatis* edd. Put. M. et V. dant *cuntatis.*

longa decora. Sic MSS. Bud. (sec. m.) Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *longa cura* MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. ed. Spir. — *longam curam* MS. Corb. — De aliis MSS. ita tacent, ut cum vulgata scriptura videantur consentire. Iac. Gronovius tentabat *longa iura*, quod multo minus venustum est. cf. Hist. 1, 15. *Sulpiciae ac Lutatiae decora nobilitati tuae adiecisse.*

enituit. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. et sic MSS. Bud. Guelf. — *emicuit* MSS. Reg. Agr. ed. Spir. De aliis MSS. ita tacent ut cum vulgata scriptura videantur consentire.

talis hortos. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. (haec more suo *ortos*). *tales hortos* edd. Put. sqq. *tales ortos* MS. Guelf.

exstruit. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Corb. Agr. ed. Spir. — *instruit* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. Sed *exstruere* (*anlegen*) optime loco convenit et simul complectitur id quod est *instruere.* Sic *extollebat* 11, 1. Nempe quod *tales* hortos *instruit* (sc. ornamentis), minus videtur mirandum, quam quod *tales* hortos *exstruit.* MS. Guelf. dat *in-*

„urbana incedit et tantis agrorum spatiis, tam lato „fenore exuberat? Una defensio occurrit, quod mune- „ribus tuis obniti non debui."

LIV. „Sed uterque mensuram implevimus, et tu, „quantum princeps tribuere amico posset, et ego, quan- „tum amicus a principe accipere. cetera invidiam au- „gent. quae quidem ut omnia mortalia infra tuam „magnitudinem iacent, sed mihi incumbunt, mihi sub- „veniendum est. quomodo in militia aut via fessus ad- „miniculum orarem, ita in hoc itinere vitae senex et le-

struitis, *inceditis*, *exuberatis*. Verum a prima manu fuit *exuberat* et *is* a posteriore manu adiectum. Num placet: *instruit is* ... *incedit is?* Ed. Spir. pro *tuis* habet *eius*. *Spatiis* MS. Flor. (test. Vict.); *spaciis* edd. vett.

Cap. 54. *et tu*. Pronomen *tu* in MS. Flor. deest, si fides Victorio.

tribuere amico. Ed. Spir. *amico tribuere*. Eadem *possit* pro *posset*. Utrumque stare potest, diverso tamen sensu. Mox MS. Guelf. *a principe amicus*.

augent. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. cum MSS. Bud. Harl. (pr. m.) Guelf. Contra MSS. Flor. (sec. collat. Iac. Gronov.) Reg. Corb. Harl. (sec. m.) ed. Spir. *agent*, unde Iacobus coniiciebat *alent*. Victorius tamen e MS. Flor. adfert *ugent* potius. Sed quidquid ibi sit, vulgatum est aptissimum, et multiplex verborum *augere* et *agere* confusio. cf. not. ad c. 58. Hist. 4, 58. German. c. 29. Ceterum MS. Agr. longius aberrat, dum scribit: *ceterum invidia agimur*, ex emendandi studio. De aliis MSS. ita tacent, ut cum vulgata scriptura videantur consentire.

iacent .. *incumbunt*. Sic MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. edd. vett. (cum silent. Vict.) et edd. Ernest. sqq. Pro *incumbunt* MS. Corb. dat *incumbit*. De MSS. Vaticc. silentium est. Edd. mediae aetatis inde a Lips. prima *iacet* . . *incumbit*, ut ad invidiam referas, quam dicendi rationem repetiit Bekkerus ut concinniorem sine dubio. Nam quod Ernestius animadvertit, *mortalia* melius de bonis humanis quam de vitiis, velut invidia, capi, nihili est, quia *mortalia* hic non dicuntur pro caducis, sed pro humanis, ut intelligas quaecunque hominibus propria et solita. Nolui tamen a veteribus libris recedere, quoniam relativum *quae* potest referri ad totam excusationem, quae praecessit, et ad omnia offendicula, quae Senecae timebantur, vel etiam ad *cetera* sc. invidiam augentia, uti volebat Ernestius. Illud maluerim, ut ita Seneca in *quae quidem* videatur respicere ad omnes metus, quis hucusque se angi dixerat. (*Diese Bedenklichkeiten*, *wie alles Sterbliche*, *liegen unter deiner Gröfse*.) Nam in seqq. Seneca opem petit non modo contra invidiam, sed in universum, ut curis suis liberetur.

aut via. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *aut in via* ed. Spir. — *in militia labore aut via* MS. Agr. Pro *quomodo* MS. Bud. habet *quo*, sc. e compendio scripturae. Mox ed. Spir. *possum* pro *possim*. Guelf. alio ordine *ultra* locat post *sustinere*. In MSS. Bud. Guelf. deest *eas* post *iube*.

„vissimis quoque curis impar, cum opes meas ultra susti-„nere non possim, praesidium peto. Iube eas per pro-„curatores tuos administrari, in tuam fortunam recipi. „Nec me in paupertatem ipse detrudam, sed traditis „quorum fulgore praestringor, quod temporis horto-„rum aut villarum curae seponitur, in animum revo-„cabo. Superest tibi robur et tot per annos visum fasti-„gii regimen: possumus seniores amici quiete respondere.

nec me. Ed. Spir. *nec ne.* MS. Guelf. pro *nec* habet *ne.*

praestringor. Ex emendatione Cannegieteri (Diss. ad Avian. p. 320.), quam recepere Bipont. Oberl. sqq. Priores edd. et MSS. *perstringor.* cf. Cic. Vatin. c. 10. *Dignitas et splendor praestringebat oculos Vatinii*: ubi tamen similis est librorum varietas orta ut hic e compendio scripturae. Sed iudicamus hanc rem ex usu latinitatis.

et tot per annos visum fastigii regimen. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Agr. Guelf. Reg. Harl. Bodl. Ies. ed. Spir. De MSS. Vatt. Broterius cum Lipsio tacet. Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *nixum fastigii regimen*, quod e MS. quodam Puteolanus an ex ingenio hauserit, incertum est. Iam Pinellus apud Acidalium Puteolani scripturam capiebat sic: superesse Neroni robur et per tot annos iam sustinuisse imperii onus, ut et sciret et solus sufficeret. Quam tamen sententiam vix admittit verbum *nixum.* Putabam aliquando *nixum* a *niti* (σπουδάζειν cf. 1, 11. 34. 64. 2, 74. 3, 31. 4, 70.) posse accipi pro σπουδαῖον, ἐσπουδασμένον h. e. quod fit cum magno studio. Hinc *nixum fastigii regimen* esset strenua et diligentissima summae potestatis administratio. Dubito tamen, an sic *nixum* pro *enixum* poni possit. cf. Ammian. Marc. 15, 1. *diligentiâ laborabat enixâ.* Plin. 9, 8. *conscii sibi enixioris operae.* Sic *enixe* Cic. pro Sext. c. 16. Liv. 31, 11. 29, 1. Sueton. Tib. c. 50. Victorius pro *visum*, quod est in MS. Flor., vult *nisum*; Grotius *enixum fastigio* h. e. ad fastigium, quam sententiam ab h. l. alienam recte dixit Ernestius. I. Fr. Gronovius *nixum fastigio* h. e. imperio, potentia, imperatoria dignitate, quam coniecturam recepere Bipont. Oberl. sqq. Miror *nixum fastigio regimen*, et nescio quid sibi velit. Inanis enim est dictio et sententia. Hillerus coniecit: *fixum fastigii r.*; Rupertius *flexum fastigii regimen*, metaphora petita a regimine navis. cf. Ovid. Metam. 3, 593. Propius erat *nexum* (*befestigt*, vinctum) et *nexum* cum vocabulo *nixum* in libris saepe confundi docuit Drakenborch. ad Sil. 3, 33. cf. Tac. An. 16, 14. ibique not. Sed nihili sunt coniecturae, quia codd. MSS. nihil laborant. *Visum fastigii regimen* non innuit Neronem spectatorem tantum fuisse in rei publicae regimine; sed *visum* alicui est id, quod penitus inspexit, quod cognitum habet (*erkannt*), quod praesens oculis lustravit. Exquisite autem hic ponitur *visum*, ut eo verbo simul comprehendantur anni, quos Nero ante suum principatum in domo imperatoria egit, et per quos, quanquam non ipse civitatis rector, vidit tamen et cognovit fastigii regimen.

possumus seniores amici quiete respondere. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Cum his libris consentit MS. Flor., si fides habenda est silentio Victorii. At MSS. Vatic. (Lips.) Reg. Bud. Agr. ed. Spir. pro *quiete* exhibent

„Hoc quoque in tuam gloriam cedet eos ad summa „vexisse, qui et modica tolerarent."

LV. Ad quae Nero sic ferme respondit: „Quod meditatae orationi tuae statim occurram, id primum tui „muneris habeo, qui me non tantum praevisa, sed subita

quietem. E MS. Guelf., quum Ernestius tradidisset ibi esse *quiete*, Strombeckius postea attulit *quieti* et *aĩ ei* pro *amici.* Verum legitur ibi: *aĩ ei quiete.* De MSS. Oxonn. Broterius tacet. Sed quia veterum librorum scriptura plerisque obscura nec satis idonea videbatur, accessere virorum doctorum coniecturae. Rhenanus: *poscimus seniores amici quietem respondere.* Lipsius: *p. s. a. quietem iure spondere.* Ernestius: *p. s. a. quietem repetere* vel *resumere.* Broterius cum Petavio: *respicere.* Hillerus: *retinere.* Alii alia. Fuere tamen, qui veterum librorum verbis explicandis operam darent. Et Lipsius quidem *quietem respondere* dictum putat ut apud Apuleium Apol. 2. *Hascine gratias bonus filius matri respondes?* Rectius I. Fr. Gronovius in Obss. 2, 4. *quiete respondere* eo accipit sensu, quo *respondere* dicuntur citati ad delectum vel iudicium, ubi *respondere* est praesto esse, satisfacere. Cic. Verr. 1, 1. *Verrem altera actione responsurum non esse.* Gell. 11, 1. *M. Terentius citatus neque respondit neque excusatus est.* Sueton. Ner. c. 44. *mox tribus urbanas ad sacramentum citavit, ac nullo idoneo respondente* etc. Id. Oct. c. 38. Phaedr. 4, 17. *citati non respondent.* Iam nostro loco sermo est de principe, cui citanti praesto sunt amici, ut iussa accipiant aut consultati sententiam dicant. Tum *quiete* est adverbium eodem modo positum ut *prospere* 15, 45. *aurum, quod — omnis populi Romani aetas prospere aut in metu sacraverat.* Namque *prospere* ibi est pro *in prospero statu*, ita *quiete* pro *in quiete.* Germanice: *wir ältern Freunde können nun im Ruhestande dir dienen.* Quippe non omnem recusare debebat operam principi praestandam, sed tranquilliorem vitam poscebat. Praestantior haud dubie haec loci explicatio est quam Heinsii coniectura, quam adoptavere Bipont. Oberl. sqq. Legunt *quieti respondere*, ut sit *sich der Ruhe überlassen*, formula, qua nemo Latinus unquam usus est. Satis longe ab huius loci ratione absunt exempla, quis Heinsius coniecturam suam illustrat. Horat. ep. 2, 1, 9. *favor non respondet meritis.* Cic. Fam. 2, 1. *optatis fortuna respondet.* Kiesslingius *quieti* accipit pro nominativo adiectivi, ut ita explicatio eius eodem redeat, ac si *quiete* ex mea sententia legas.

tolerarent. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. (a sec. m.) edd. Spir. Rhenan. sqq. *tolerarunt* MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. A secunda manu etiam in MS. Harl. est *tolerarent.*

Cap. 55. *Ad quae.* Ed. Spir. *ad quem.*

quod meditatae. Sic edd. recentt. inde a Lipsii prima. MS. Guelf. edd. vett. cum silentio Victorii *Et quod meditatae* etc., quod non plane spernendum esse videtur. Nam *et* Neronis responsum ut non meditatum et statim additum orationi Senecae meditatae eleganter adnectit. cf. Terent. Eunuch. 5, 6, 4. *Sed estne ille noster Parmeno? Et certe ipsus est.*

occurram. cf. Sueton. Oct. c. 15. *una voce occurrens, moriendum esse.* Cic. de fato c. 18. Sic Graeci ἀπαντᾷν.

„expedire docuisti. Abavus meus Augustus Agrippae et „Maecenati usurpare otium post labores concessit, sed in „ea ipsa aetate, cuius auctoritas tueretur quidquid illud „et qualecunque tribuisset: attamen neutrum datis a se „praemiis exuit. Bello et periculis meruerant: in his „enim iuventa Augusti versata est. nec mihi tela et ma- „nus tuae defuissent in armis agenti. sed quod praesens „conditio poscebat, ratione, consilio, praeceptis pueri- „tiam, dein iuventam meam fovisti. Et tua quidem erga „me munera, dum vita suppetet, aeterna erunt: quae a „me habes, horti et fenus et villae, casibus obnoxia sunt. „ac licet multa videantur, plerique haudquaquam artibus „tuis pares plura tenuerunt. pudet referre libertinos, qui „ditiores spectantur. unde etiam rubori mihi est, quod „praecipuus caritate nondum omnes fortuna antecellis."

abavus meus. Sic edd. Ernest. Broter. sqq. suadente Lipsio. MSS. et vett. edd. *avus meus*, quod cum Ryckio censeo positum eo sensu, quo *avi* dicuntur maiores (*Ahnen*), unde quis ortus est. cf. not. ad c. 53. Quod Ernestius scribit, sic *avos* quidem dici, neque vero *avum*, nihili est. Nam si *avi* latiore sensu valent, cur non et *avus?* Et hic additur *Augustus*, ut nemo possit dubitare, quis sit intelligendus. Ceterum MS. Bodl. habet *atavus* pro *avus.*

in ea ipsa aetate. MS. Agr. *ipse.* Ernestius coniecit *ipso.* Perperam. Sententia est, Augustum tum nec minore nec grandiore aetate fuisse, quam cuius auctoritas tueretur etc. (*gerade in dem Lebensalter*).

quidquid illud. Ed. Spir. et MSS. Reg. Agr. omittunt *illud.*

attamen. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *ac tamen* MSS. Flor. (test. Pichena) Bud. quod malebant Muretus et Acidalius. Sed *at* praestat; nam membra cohaerent ita: *otium concessit, at neutrum praemiis exuit.* cf. Ramshorn. Gr. §. 181. p. 540.

bello. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. Corb. edd. Spir. Rhenan. sqq. — *bellis* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Acidalius volebat praeponi *at*, ut obiectio luculentior et robustior esset. Sed nulla hic est obiectio; concedit potius Nero, quod c. 53. Seneca dixerat: *quorum alter bellorum socius* etc. Igitur si quid ante *bello* ponendum, hoc est *sane*, quod tamen elegantius abest.

dein. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *deinde* ed. Spir.

aeterna erunt. H. e. manebunt semper, durabunt, sc. *dum vita suppetet.* cf. 3, 26. *aeternum mansere;* 15, 63. *ne aeternum susciperet* sc. dolorem.

obnoxia. Ed. Spir. *obnoxie.* Eadem mox *inferre* pro *referre.* Eadem utriusque verbi permutatio in libris est apud Sueton. Vespas. c. 22.

ditiores. Guelf. *dictiores.* Idem mox *et* pro *etiam.*

LVI. „Verum et tibi valida aetas rebusque et fructui „rerum sufficiens, et nos prima imperii spatia ingredimur, „nisi forte aut te Vitellio ter consuli aut me Claudio post- „ponis. Sed quantum Volusio longa parcimonia quaesi- „vit, tantum in te mea liberalitas explere non potest. „Quin, si qua in parte lubricum adolescentiae nostrae de- „clinat, revocas ornatumque robur subsidio impensius

Cap. 56. *Verum et tibi .... ingredimur.* Nero hoc sibi vult: posse adhuc in Senecam conferri, quae nondum acceperit; nam validam illi aetatem etc. et se prima etc. Pro *fructui* ed. Spir. dat *fructu.* Guelf. *ingrediemur* pro *ingredimur.*

postponis. Sic MSS. Flor. (sc. per compendium *p̃ponis* test. Iac. Gronovio) Reg. edd. Broter. Ernest. sqq. Victorius tamen intactum reliquit, defenditque Pichena *praeponis* quod est in MSS. Bud. Guelf. aliisque, edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Compendium scripturae et hic varietatem attulit, et in MS. Guelf. est *p̃ponis* (h. e. *praeponis*). Iam *praeponis* si legis, tum Nero dicit: Nisi forte putas te omnia satis percepisse, quae princeps in amicum cumulare possit, et plura a me percepisse quam Vitellium, qui auctore Claudio ter consul factus est, a quo fastigio tu longe abes. Sin vero *postponis*, tum sententia est: nisi forte putas te non esse idoneum aut dignum tantis praemiis et honoribus, quantis Vitellium olim ornavit Claudius; aut me non posse nec velle paria in te cumulare, ac Claudius in Vitellium. MS. Agr. dat *ante ponis.* Ceterum ante *nisi forte* etc. ex praecedentibus intelligenda est promissio maiorum praemiorum, quae Nero in Senecam collaturus sit. Kiesslingius reposuit *praeponis.*

sed quantum Volusio etc. cf. 13, 30. MS. Vatic. (Lips.) ed. Spir. *Volusino*, ut supra. — *parcimonia* edd. Ryck. sqq. *parsimonia* edd. vett. et ceterae ante Ryckium. cf. not. ad c. 21. — MS. Agr. *sed an quantum.* MSS. Guelf. Bud. (sec. m.) *sed si quantum.* Scilicet interposita particula illi libri operam dant restituendo vinclo inter haec et sequentia. Nam uti nunc leguntur verba, *quin si qua . . . regis,* vix in contextum quadrant. Nulla ibi est particulae *quin* idonea ratio et sententia a praecedentibus et sequentibus aliena. Parum absum, ut mancum esse locum censeam. Sed vide sequentia.

tantum in te mea liberalitas. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. At MSS. Flor. (secundum collat. Iac. Gronov.) Reg. ed. Spir. *tantum in me mea libertas*, quae insignis videtur esse varietas. MS. Bud. pr. m. *in me mea liberalitas.*

quin si qua etc. Interpretantur: *Ia, du rufst* etc. ut sint verba adfirmantis. Sed quaero, quomodo haec cum contextu conciliari possint? Putabam locum interrogando enuntiandum esse (ut infr. c. 59. *Quin, inquit Nero*, etc. Terent. Phorm. 2, 3, 82. *Quin, quod ferendum, fers?*), ut ita Nero videatur queri de nimia sua libertate et licentia, quae impediat parcimoniam. Sed ne ea quidem coniectura sanitatem loco reddit.

lubricum. Ed. Spir. *ludicrum* et sic Guelf (a sec. m.). Eadem ed. Spir. mox *inclinat* pro *declinat.*

ornatumque robur. Sic MSS. Flor. (t. Vict. c. al.) Reg. Agr. edd. Spir. Pichen. sqq. — *inornatumque robur* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. quae scriptura,

„regis. Non tua moderatio, si reddideris pecuniam, nec „quies, si reliqueris principem, sed mea avaritia, meae „crudelitatis metus in ore omnium versabitur. quod si „maxime continentia tua laudetur, non tamen sapienti „viro decorum fuerit, unde amico infamiam paret, inde „gloriam sibi recipere." His adiicit complexum et oscula factus natura et consuetudine exercitus velare odium fallacibus blanditiis. Seneca (qui finis omnium cum dominante sermonum) grates agit: sed instituta prioris potentiae commutat, prohibet coetus salutantium, vitat comitantes, rarus per urbem, quasi valetudine infensa aut sapientiae studiis domi attineretur.

LVII. Perculso Seneca promptum fuit Rufum Fenium imminuere Agrippinae amicitiam in eo criminantibus: validiorque in dies Tigellinus et malas artes, quibus solis pollebat, gratiores ratus, si principem societate scelerum obstringeret, metus eius rimatur, compertoque Plautum et Sullam maxime timeri, Plautum in

quum apertam mendi speciem praeferret, variis olim coniecturis originem dedit. Verba desumta sunt a re militari. In MS. Flor. Pichena ante *ornatumque* invenit ĩ a recenti manu additum.

reliqueris. Guelf. *relinqueris.*

meae crudelitatis. Ed. Spir. *et meae crudelitatis.*

paret. Sic MSS. Flor. (test. Victorio c. lac. Gron.) Agr. edd. Ryck. sqq. — *parit* MS. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. — *parat* MSS. Bud. Bodl. Ies. Guelf. edd. Rhenan. sqq. ad Ryckium.

inde. Guelf. *unde.*

adiicit. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. *adicit* MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *adiecit* MS. Agr.

factus. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et Lipsii libri et inde edd. Lips. sqq. — *facetus* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. edd. Spir. Put. sqq.

cum dominante. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *cum dominatione* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Mox *sermonum* deest in MS. Reg. et ed. Spir. omiseratque Lipsius, restituit Pichena.

comitantes. Ed. Spir. *comitantis*, antiqua scriptura.

domi attineretur. Sic MS. Guelf. edd. vett. et recentt. usque ad Oberlinum, qui tacite, an operarum vitio omisit *domi.* Oberlini editionem imitantur Weikert., Bekker., Naudetus. Lünemannus restituit *domi.* MS. Flor. (t. Vict.) *adtineretur.*

Cap. 57. *Tigellinus.* Libri variant in scriptura nominis, ut supra.

artes. Guelf. *artis.*

quibus solis. Sic MS Flor. (test. Vict.) edd. Spir. et recentt. inde a Lips. prima. *quibus solus* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald.

compertoque. Guelf. *comperitque.*

Sullam. Hic MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. dant *Sillam*; Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq., uti solent, *Syllam.*

Asiam, Sullam in Galliam Narbonensem nuper amotos, nobilitatem eorum et propinquos huic Orientis, illi Germaniae exercitus commemorat. Non se ut Burrum diversas spes, sed solam incolumitatem Neronis spectare: cui caveri utcunque ab urbanis insidiis praesentia: longinquos motus quonam modo comprimi posse? Erectas Gallias ad nomen dictatorium, nec minus suspectos Asiae populos claritudine avi Drusi. Sullam inopem, unde praecipuam audaciam, et simulatorem segnitiae, dum temeritati locum reperiret. Plautum magnis opibus ne fingere quidem cupidinem otii, sed veterum Romanorum imitamenta praeferre, adsumpta etiam Stoicorum adrogantia sectaque, quae turbidos et negotiorum adpetentes faciat. Nec ultra mora. Sulla sexto die pervectis Massiliam percussoribus ante metum et rumorem interficitur, cum epulandi causa discumberet. relatum caput eius inlusit Nero tanquam praematura canitie deforme.

non se ut. Ed. Spir. *non seum.* Mox pro *utcunque* MS. Guelf. ed. Spir. ferunt *utrumque.*

praesentia. Sic edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *praesentiora* MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Bud. Guelf. Reg. Harl. Bodl. Ies. ed. Spir. — *praesenti cura* MS. Agr. ed. Ryck. consentientibus Freinshemio et Heinsio. Lipsius corrigebat *praesenti opera.* Miror consensum librorum in *praesentiora;* sed nescio, quid inde faciam, nisi locum accipias sic: *cui caveri* (h. e. cui ut caveretur, *um solche zu schützen*) *utcunque ab urbanis insidiis praesentiora* sc. esse. Mira enim Taciti est licentia in usurpando infinitivo. cf. not. ad 11, 1. sub vocabulo *concionem.* Sed concedo audaciorem illam esse structuram, quam ut serio commendari possit. Acquiesco igitur in vulgatis.

suspectos. Lipsius malebat *suspensos*, quod recepere Bipontini. Potest tamen ablativus *claritudine* esse pro *ob claritudinem.* Sic *precibus* c. 48.

segnitiae. Ed. Spir. *segnitie.* Edd. Put. *segniciae.* Mox ed. Spir. *reperire* pro *reperiret.*

magnis MS. Guelf. *magis.*

adsumpta etiam. Ed. Spir. *assumptaque etiam.* Eadem mox *quae turpidos appetentes faciat*, omissis verbis *et negotiorum.*

adpetentes. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *appetentes* edd. vett. c. Guelf.

mora. Sulla etc. Ed. Spir. *moras Silla* etc.

relatum. Sic MSS. Bud. Reg. Guelf. edd. Spir. sqq. cum silentio Victorii. Sed teste Pichena MS. Flor. dat *praelatum.* MS. Agr. *perlatum*, quod fortasse verum est et proprium de tali re verbum. Nam caput Sullae non solum *relatum*, sed etiam Neroni *oblatum* est h. e. *perlatum.* Sed c. 59. *caput interfecti relatum.* MS. Guelf. habet *capud.*

LVIII. Plauto parari necem non perinde occultum fuit, quia pluribus salus eius curabatur et spatium itineris ac maris tempusque interiectum moverat famam: vulgoque fingebant petitum ab eo Corbulonem magnis tum exercitibus praesidentem et, si clari atque insontes interficerentur, praecipuum ad pericula. quin et Asiam favore iuvenis arma cepisse, nec milites ad scelus missos aut numero validos aut animo promptos: postquam iussa efficere nequiverint, ad spes novas transisse. Vana haec more famae credentium odio augebantur. Ceterum

Cap. 58. *parari necem.* Ed. Spir. *pari nece.*

quia pluribus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhenan. sqq. *quia a pluribus* edd. Put. M. et V. Beroald. Mox MS. Guelf. omittit *ac maris.* Idem pro *vulgoque* habet *longeque.*

moverat famam. Ed. Spir. *moverat : fama* etc.

magnis tum. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Corb. edd. Pichen. sqq. *tum magnis* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *magnis cum* ed. Spir. (non *tum*, ut Ernestius et Broterius prodidere).

et, si clari. Sic edidi e coniectura Ernestii, quae egregie confirmatur scriptura MS. Flor. qui habet *et clari* test. Victorio, quanquam alii tradunt in MS. Flor., uti in Reg. Corb. ed. Spir., esse *ut clari.* Hoc etiam est in MS. Bodl. (a pr. m.) et in margine MS. Guelf. In contextu MS. Guelf. et in Bodl. (a sec. m.) pro *ut* reperitur *ne*, quod habent MSS. Ies. Bud. (sec. m.) edd. Put. M et V. Ber. Alc. — *nec clari* MS. Harl. — *si clari* edd. Rhenan. sqq. e MS. Bud. (pr. m.) ut videtur; nam diserte hoc nemo prodidit. Verum copulam abesse aegre ferendum; quare addidi e MS. Flor.

praecipuum. MS. Guelf. *principum.*

nequiverint. MS. Corb. et ed. Spir. *nequiverunt.* Et ponitur Tacito indicativus in eiusmodi membris orationi obliquae interiectis. cf. not. ad 2, 26. Sed hic non agitur res in facto posita; refertur potius fama talia fingentium.

vana haec. Sic edd. Bip. Oberl. sqq. e coniectura Boxhornii. Ed. Spir. *transisent. Una haec*, et sic MS. Reg. Contra edd. Put. *transisse una haec.* MS. Guelf. edd. Ber. (c. s. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *transisse una. Haec* etc. Ernestius adoptaverat scripturam ed. Spir. quam recentiores recte commutavere cum Boxhornii emendatione, cuius sensus est: Quae quum per se vana essent, augebantur etiam etc.

more famae. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichena) Agr. Corb. Bud. (pr. m.) edd. Spir. Pichen. sqq. *in ore f.* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *in ore phame* MS. Guelf. Is enim liber constanter scribit: *phama.*

augebantur. Ex emendatione Modii in *Noveantiquis* ep. 15. quam Pichena in contextum recepit. MSS. et edd. vett. *agebantur*, vulgari utriusque verbi confusione. cf. not. ad Hist. 4, 58. Germ. c. 29. Hist. 4, 28. — Pro *otio*, quod est in libris vett., I. Fr. Gronovius volebat *odio*, ob locum Hist. 1, 51. *Sed plurima ad fingendum credendumque materies in ipsis castris odio, metu, et, ubi vires suas respexerant, securitate.* Quam emendationem, quum vix dubia esse possit, cum Bekkero in locum recepi.

libertus Plauti celeritate ventorum praevenit centurionem et mandata L. Antistii soceri attulit: effugeret segnem mortem, *otium suffugium, et magni nominis miserationem: reperturum bonos, consociaturum audaces. nullum interim subsidium aspernandum. si sexaginta milites (tot enim adveniebant) propulisset, dum refertur nuntius Neroni, dum manus alia permeat, multa secutura, quae ad usque bellum evalescerent. denique

otium suffugium. Edd. Spir. Put. M. et V. *effugeret segnem mortem: ocium: suffugium.* Eandem interpunctionem servat cod. Guelf. Ed. Rhen. *effugeret s. mortem: otium, suffugium.* E MSS. aliis nemo variantem scripturam attulit, nisi quod MS. Agr. dat *ocii suffugium*, quod nuper mire placuit Lünemanno. Is legit atque explicat sic: *effugeret segnem* (inultam) *mortem: otii* (i. e. hominum in otio viventium, s. procul a republica gerenda habitorum) *suffugium et* (etiam) *magni nominis miserationem* (esse): *reperturum* etc. Ut taceam de inani sententia, nemini persuadebitur *otium* esse pro hominibus in otio viventibus. Alii vulgata tuentur, e quibus tamen nemo idoneam sententiam elicere potuit. Plerisque locus emendatione iuvandus videtur. Muretus: *effugeret segnem mortem hostium suffugio.* Freinshemius: *effugeret segnem mortem: otium suffugiis et magni nominis miseratione reperturum* etc. Heinsius: *odii suffugium.* Broterius cum Petavio: *otiosum suffugium.* Bipontini: *ocius suffugium esse m. n. m.* Oberlinus locum interpunctione sanandum ratus edidit: *effugeret segnem mortem, otium: suffugium* etc. Vana haec, nec ullo adplausu digna. Vitium latet in *otium*, quod hic est nullius rei. Nisi fallor, littera *o* est caput, *tium* terminatio verbi, cuius mediae syllabae periere. Coniicio *otiantium* vel *oscitantium*. *Otiantes* sunt σχολάζοντες, *Müfsige*, *Träge*, a rebus gerendis alieni. Horum suffugium est segnis mors (h. e. quam sibi ipsi inferunt vel segniter patiuntur, ut insidiis se subtrahant). Similem plane sententiam legimus 16, 25. *Segnes et pavidos supremis suis secretum circumdare. Aspiceret populus virum morti obvium* etc. Igitur lege: *effugeret segnem mortem, otiantium suffugium, et magni nominis miserationem: reperturum* etc. Sententia: ne segniter sibi ipse manus inferret aut iugulum percussoribus praeberet, quod soleant facere ignavi et rerum gerendarum obliti, nec sineret magnum nomen esse miserationi; immo auderet aliquod facinus, reperturum bonos etc. Ceterum *miserationem* habent vett. libri omnes praeter MS. Bud., cui a sec. m. inest *miseratione*, unde Oberlinus dedit: *suffugium et magni nominis miseratione reperturum bonos* etc. Idem voluerant Rhenanus et Freinshemius.

aspernandum. Sic edd. Put. sqq. — MS. Flor. (test. Vict.) *aspernantium.* Ed. Spir. *spernantium.* MS. Guelf. *aspernantẽ*, sed *ẽ* ibi est in litura.

adveniebant. Sic MS. Corb. edd. Spir. Rhen. (ut videtur e Bud.) sqq. — *veniebant* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Quaeritur, an iure meritoque Rhenanus contextum Puteolani mutaverit.

propulisset. MS. Bud. *protulisset*, et sic ed. Beroald. cum silent. Victorii.

dum refertur .... permeat. Ernestii latinitas postulabat *referretur*, *permearet*. Sed vid. not. ad

aut salutem tali consilio quaeri aut nihil gravius audenti quam ignavo patiendum esse.

LIX. Sed Plautum ea non movere, sive nullam opem providebat inermis atque exsul seu taedio ambiguae spei, an amore coniugis et liberorum, quibus placabiliorem fore principem rebatur nulla sollicitudine turbatum. Sunt qui alios a socero nuntios venisse ferant, tanquam nihil atrox immineret, doctoresque sapientiae Coeranum Graeci, Musonium Tusci generis constantiam opperiendae mortis pro incerta et trepida vita suasisse. Repertus est certe per medium diei nudus exercitando corpori. talem eum centurio trucidavit coram Pelagone spadone, quem Nero centurioni et manipulo quasi satellitibus ministrum regium praeposuerat. Caput interfecti relatum: cuius aspectu (ipsa principis verba referam): „Cur, inquit, Nero*" et posito metu nuptias

2, 26. Mox *bellum* abest a MS. Ies.

audenti. MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *audienti*, vulgari confusione. cf. not. ad 15, 53. Hist. 1, 6. Victorius emendat *audenti*, quod est in edd. Put. sqq. Beroaldus tamen per vitium typographi habet *aduenti.*

Cap. 59. *movere, sive.* Sic edd. Rhen. et nuper Bekker. — *movere. Sive* edd. Oberl. sqq. — *movere; sive* ed. Lünemann.

an amore. Ed. Spir. *an morte.* Hillus Tacitum vituperat, quod *an* posuerit pro *sive* vel *seu.* Buhlius (p. 58.) recte respondet, *an* hic non esse disiunctivam particulam, sed dubitationis notam.

immineret. Guelf. *imminere*, neque tamen sine alterius manus correctione in fine verbi conspicua.

sapientiae. Ed. Spir. *sapientum.*

Coeranum. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Rhen. (hic e MS. Bud.) sqq. Beroaldus *Coetanum* dedit cum silentio Victorii, Alciatus *Coëtanum.* Sed neque *Coeranus* nec *Coetanus* ex illo aevo notus, nisi quod Plinius indice lib. 2. inter auctores, quos delibitavit, recenset *Ceranum.* cf. Lipsius ad h. l.

Musonium. cf. Hist. 3, 81. 4, 40. An. 15, 71. Plin. ep. 3, 11. MS. Guelf. *sapientiae: constantiam*, neglectis virorum nominibus.

opperiendae. Sic edd. Spir. Put. sqq. MS. Guelf. dat *opprimendae;* in marg. vulgatum. Heinsius malebat *oppetendae*, ut magis stoicum. cf. 2, 24. 4, 50. Plautus tamen non quaesivit mortem, sed constanter exspectavit.

coram Pelagone. Ed. Spir. *et coram P.*, haud inepte.

satellitibus. Ed. Beroald. lapsu operarum *satellibus*, quod Victorius e MS. Flor. correxit *satellitibus.*

referam. MSS. Bud. et Guelf. *referebant*, sc. ii qui praesentes audiverant. Ed. Spir. *cuius aspectum ipsa principis verba referebant.* Praestant vulgata, quae sunt in edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq.

cur, inquit, Nero? et posito metu* etc. Edd. Spir. Put. M. et V.

Poppaeae ob eiusmodi terrores dilatas maturare parat Octaviamque coniugem amoliri, quamvis modeste ageret, nomine patris et studiis populi gravem. Sed ad senatum litteras misit de caede Sullae Plautique haud confessus, verum utriusque turbidum ingenium esse et sibi incolumitatem rei publicae magna cura haberi. Decretae eo nomine supplicationes, utque Sulla et Plautus senatu moverentur, gravioribus tamen ludibriis quam malis.

Ber. *cur inquit Nero deposito metu* etc. et sic MSS., nisi quod Guelf. et Ies. pro *cur* antique scribunt *quor*, MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. pro *deposito* dant *et posito.* Sed quia contextus poscit, ut interrogatio potius cum negatione enuntietur, in MS. Bud. sec. manus fecit *non parat.* Rhenanus tamen maluit *quin* pro *cur* ediditque locum sic: *Quin, inquit, Nero deposito metu nuptias Poppaeae ob eiusmodi terrores dilatas maturare parat* etc. eaque verba dein omnes edd. repetivere, quae genuina esse nequeunt. Nam primum illud *et posito* in MSS. Flor. et Bud. satis arguit alterum *deposito* ex emendandi studio in libros venisse, quanquam utrumque verbum cum *metu* apte coniungitur. cf. Ovid. Metam. 1, 736. 3, 634. 5, 226. ubi *ponere metum*; contra *depositi metus* 5, 363. Sed quod maius est, quis sibi persuadebit verba: *Quin .... gravem?* tum e Neronis ore coram audientibus profecta? quis non sentit haec a Nerone atque tali occasione aliena non solum propter totius periodi structuram, sed etiam propter postrema eius verba: *quamvis . . . gravem*, quae Nero certe non addidit. Quare ut locus concinnior evaderet, viri docti varie mutabant. Muretus: *paras.* Hillerus: *para* et *amolire*, ut *quin* sit particula hortantis. Iac. Gronovius: *curre Nero, et .... maturare para.* Verum ne sic quidem pinguedo sententiae amovetur. Accedit quod Dio 62, 14. de eodem haud dubie Plauto loquens diversa plane ab his dicta Neronis refert. Nam scribit ille: *τὸν γοῦν Πλαῦτον ἀποκτείνας, ἔπειτα τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ προςενεχθεῖσαν οἱ ἰδὼν, Οὐκ ᾔδειν, ἔφη, ὅτι μεγάλην ῥῖνα εἶχεν, ὥςπερ φεισάμενος ἂν αὐτοῦ, εἰ τοῦτο προυπίστατο.* Quid multa? nullus dubito locum esse mutilum et deesse Neronis dicta post vocabulum *Nero;* sequentia autem, *et posito metu* etc. pertinere ad scriptoris narrationem. Quod si admittas, sana etiam erit scriptura veterum librorum in *ageret, nomine*, pro quo Rhenanus ex ingenio dedit *agat et nomine,* quia Neronis personae *ageret* non videbatur convenire. — Pro *eiusmodi* Guelf. fert *eius.*

de caede. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhenan. sqq. *de caedibus* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

Sullae. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *Syllae* Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

turbidum ingenium esse. Sic edd. Spir. Rhenan. (ut videtur e MS. Bud.) sqq. *ingenium turbidum esse* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. cum silentio Victorii.

magna cura. Heinsius corrigebat: *magnae curae.* Perperam. Oppositum est *sine cura habere* Hist. 1, 79., et *magna cura* est pro *cum m. c.*

gravioribus tamen ludibriis quam malis. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Pro *tamen* ed. Spir. exhibet *tam*, unde cod. Agr.

LX. Igitur accepto patrum consulto, postquam cuncta scelerum suorum pro egregiis accipi videt, exturbat Octaviam sterilem dictitans. exin Poppaeae coniungitur. ea diu pellex et adulteri Neronis, mox mariti potens quendam ex ministris Octaviae impulit servilem ei amorem obiicere. destinaturque reus cognomento Eucerus, natione Alexandrina, canere tibiis doctus. Actae ob id de ancillis quaestiones et vi tormentorum victis quibusdam, ut falsa adnuerent, plures perstitere sanctitatem dominae tueri. ex quibus una instanti Tigellino castiora esse muliebria Octaviae respondit quam

suum habet *iam*, quod volebat Freinshemius, ut sententia esset, graviora fuisse illa ludibria ipsis malis. I. Fr. Gronovius vulgata interpretabatur ita: „quae severa tamen adulatio non tam aggravabat augebatque mala, indignas nimirum caedes Sullae Plautique, quam mimica, vana, ludicra mala veris addebat." Sed haec contorta esse videntur. Noster simpliciter dicit: quod Sulla et Plautus senatu moverentur, fuisse rem non ita gravem malis, quae inde redundarint, quippe in defunctos, quam potius ob ludibria, quis res publica dehonestaretur.

Cap. 60. *scelerum suorum* Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichena) Bud. edd. Spir. Pichen. sqq. *suorum* omittitur in MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

adulteri Neronis. Ed. Spir. *adultera: Neronis.* Eadem mox *destinatusque* haud male pro *destinaturque.* Etiam Guelf. habet *adultera*, sed a sec. manu: prius ibi fuit *adulteri.*

Eucerus. Sic MSS. et edd. vett., nisi quod MS. Harl. dat *Euceras,* quod ibi emendatum est *Eucerus.* Edd. Gronoviorum, Ryck. al. *Eucaerus* ex emendatione Freinshemii, qui id nomen derivabat ab εὔκαιρος, *opportunus.* Recentiores veterem sequuntur scripturam.

natione Alexandrina. Sic MSS. et edd. vett. — *natione Alexandrinus* edd. recentiores inde a Lips. prima, nescio e cuius emendatione. Sed vetus scriptura aeque bona est.

canere tibiis doctus. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *c. per tibias d.* MSS. Flor. (test Vict. c. al.) Corb. Agr. ed. Spir. — *c. tibias d.* (omisso *per*) MS. Bud. Quare Lipsius coniiciebat *pares tibias;* Heinsius *c. tibias perdoctus.* Hillerus *tibiis perdoctus.* Scriptura *per tibias* in se nihil absurdi habet; deest tamen exemplum, quo id genus loquendi probetur. Infra 15, 65. *Nero cithara . . . canebat.* cf. supra c. 14. Hist. 5, 5.

victis quibusdam. Ed. Spir. *victi quibusdam.* Eadem mox *si falsa annuerent* cum MSS. Flor. (teste Victorio) Guelf. pro *ut falsa a.*, quae vera est scriptura edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Pro *perstitere sanctitatem* MS. Guelf. *persistere satietatem.*

tueri. MS. Flor. (test. Vict.) *tuere.*

muliebria Octaviae. Ed. Spir. *Octaviae muliebria.*

os eius. Movetur tamen primo civilis discidii specie, domumque Burri et praedia Plauti infausta dona accipit. mox in Campaniam pulsa est addita militari custodia. inde crebri questus nec occulti per vulgum, cui minor sapientia et ex mediocritate fortunae pauciora pericula sunt. His Nero, haudquaquam poenitentia flagitii, coniugem revocavit Octaviam.

LXI. Exin laeti Capitolium scandunt deosque tandem venerantur. effigies Poppaeae proruunt: Octaviae imagines gestant humeris, spargunt floribus foroque ac

movetur. H. e. amovetur. Sic *motis senibus* c. 32; *senatu moverentur* c. 59. Frustra igitur priorum interpretum nonnulli corrigebant *amovetur*.

discidii. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. Guelf. Agr. edd. Spir. Ryck. sqq. — *dissidii* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. cf. not. ad 2, 86. 3, 34. 12, 2 et 40. 14, 1.

specie. Ed. Spir. *spetie*, quae scriptura saepius exstat in vett. libris. MS. Guelf. ut saepissime per compendium *spê*.

et praedia. Ed. Spir. c. cod. Guelf. *praediaque*. MS. Flor. (test. Vict. c. al.) omittit copulam. Vulgatum habent edd. Put. sqq. — Mox ed. Spir. c. cod. Guelf. *in Campania* pro *in Campaniam*. Iidem libri post *sapientia* omittunt *et*.

his Nero, haud quaquam poenitentia fl. Locus mutilus fractusque, cui veteres libri adhuc inspecti nil opis attulere. Ed. Spir. *His quanquam Nero p. fl.* Consentit MS. Corb. — Edd. Put. M. et V. *His haud quaquam Nero penitentia fl.* Beroald. et Rhenanus eadem habent, uncis tamen includunt verba *haud .... flagitii*. Sed *haud quaquam* a MSS. alienum est, nisi quod invenitur in margine MS. Bodl. Victorio testante in MS. Flor. legitur: *His Nero quaquam p. fl.* Alii inde adferunt *quanquam*. MS. Bud. *His tanquam poenitentia fl.*; a pr. m. *quanquam*. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. *His motus Nero, tanquam poenit. fl.* MS. Agr. et inde ed. Ryck.: *His motus Nero, an poenitentia fl.* Accessere virorum doctorum coniecturae. Rhenanus duce MS. Bud. *His Nero tanquam poenitentia fl.* Acidalius: *His auditis, tanquam poenitentia flagitii, Nero coniugem r. O.* Ernestius: *His tanquam* vel *haud quaquam vera poen. fl.* Broterius edidit: *His motus Nero, haud quaquam p. fl.* Hillero suadente Oberlin. sqq. dedere: *His Nero, haud quaquam p. fl.* *His* accipiunt pro *propter haec*, *dieserhalb*. Provocant ad 15, 12. *His atque talibus*; 15, 25. *talibus litteris*. Quae tamen exempla non satisfaciunt. MSStorum confusio notabilioris mendi suspicionem movet. Lünemannus nuper cum Rupertio secutus est scripturam MSS. Oxoniensium, quis genuina inesse vix cuiquam persuadebitur. Illud *motus* nimium redolet manum emendatoris. Nos Oberlini rationem sequimur ut hodie vulgatam, quanquam de eius vanitate satis nobis constat. Kiesslingius repetivit quae sunt in MS. Guelf. etc.

Cap. 61. *Poppaeae*. Ed. Spir. *Pompeae* et ita Guelf. in margine. Sed eadem ed. Spir. supra *Poppeae*. Antea pro *tandem* Bipontini dant *laude*, inutili emendatione.

templis statuunt. itur etiam in principis laudes repetitum venerantium. iamque et palatium multitudine et clamoribus complebant, cum emissi militum globi verberibus et intento ferro turbam disiecere. mutataque, quae per seditionem verterant, et Poppaeae honos repositus est. Quae semper odio, tum et metu atrox, ne aut

itur etiam in principis laudes repetitum venerantium. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. Corb. edd. Spir. Rhen. sqq. — *itur etiam in principis laudes. repetitum venerantur* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *itur etiam in principis laudes, expetitur venerantibus* MS. Agr. et inde edd. Ryck. et Broterii. Quae veterum librorum verba quum viris doctis non satisfacerent, variae accessere coniecturae. Harlaeus volebat: *repetita veneratione.* Grotius: *repetitur veneratio* sc. deorum. Iac. Gronovius: *repetitu venerantium.* Iosias Nerius (Anal. 1, 5.) *repetitum venere Antium.* Heinsius: *repetitam* (sc. Octaviam) *venerantur.* Edd. Bip. et dein Oberl. *statuunt: repetitam venerantur. Itur et in principis laudes. Iamque* etc. Bekkerus revocavit scripturam cod. Flor. (nisi quod ex edd. recentt. retinet *et* pro *etiam*), quam ego quoque praeferendam censeo. *Repetere* est *wiedererlangen, wiedersuchen.* cf. 1, 8. *libertatis repetitae*; 6, 37. *repetita amicitia regis.* Igitur *repetitum* intellige principem, qui ob Octaviam revocatam redditus populo vel a populo repetitus esse videbatur. *Laudes repetitum venerantium* sunt *Lobeserhebungen, mit denen man seine Wiedererlangung feierte.* Nam sic Tacitus usurpat genitivum participii. cf. 1, 66. *Tanta inde consternatio inrupisse Germanos credentium* (*weil man glaubte*), *ut* etc. Hist. 1, 4. *Finis Neronis ut laetus primo gaudentium impetu fuerat, ita* etc.; Ibid. c. 5. *sermones senium atque avaritiam Galbae increpantium*; Ibid. c. 22. *coniectura iam et rumore senium Galbae et iuventam Othonis computantium.* Hist. 2, 21. *diversae exhortationes . . . . attollentium.* An. 2, 1. *cuncta venerantium officia.* Vid. ib. not. Wolfii. Ferretus verbum *repetitum* accipiebat de iteratis acclamationibus; de quibus videndus Casaub. ad Vulcatii Gallic. Avid. Cass. c. 13. et Heynii censura sex scriptt. hist. Aug. in Matthiae miscell. philol. T. I. P. 2. p. 212.

verberibus. MS. Guelf. *et verberibus.*

disiecere. Ed. Ber. *desiecere,* quod vitium Victorius e MS. Flor. correxit in *disiecere.* — E MSS. Reg. Corb. Bud. et ed. Spir. Oberlinus sqq. recepere *turbam*, quum ante ederetur *turbatos*, quod est in MS. Guelf. edd. Put. sqq. cum silentio Victorii.

mutataque quae. Ed. Spir. *mutata quaeque*, quod vitium in vett. libris saepius recurrit. MS. Guelf. *mutataque*, omisso *quae.*

et Poppaeae. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pichena) edd. Spir. Pichen. sqq. — MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. omittunt copulam *et.*

tum et. Sic edd. Rhenan. sqq. e MS. Bud. Consentit ed. Spir. quae dat *tumet.* Edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Victorii) *tumens.* Broterius de suis MSS. tacet. In MS. Guelf. Ernestius recte testatur legi *tumens*; Strombeckius adnotat ibi deesse *tum,* tanquam sit *odio et metu atrox.* Verum legitur ibi: *odio tumens: metu atrox.*

vulgi acrior vis ingrueret aut Nero inclinatione populi mutaretur, provoluta genibus eius: Non eo loci res suas agi, ut de matrimonio certet (quanquam id sibi vita potius), sed vitam ipsam in extremum adductam a clientelis et servitiis Octaviae, quae plebis sibi nomen indiderint ea in pace ausi, quae vix bello evenirent. arma illa adversus principem sumpta: ducem tantum defuisse, qui motis rebus facile reperiretur. omitteret modo Campaniam et in urbem ipsam pergeret, ad cuius nutum absentis tumultus cierentur. Quod alioquin suum delictum? quam cuiusquam offensionem? An, quia veram progeniem penatibus Caesarum datura sit, malle populum Romanum tibicinis Aegyptii subolem imperatorio fastigio induci? Denique, si id rebus conducat, libens quam coactus acciret dominam vel consuleret securitati iusta ultione. et modicis remediis primos motus consedisse: at si desperent uxorem Neronis fore Octaviam, illi maritum daturos.

adductam. Ed. Spir. *deductam.*

clientelis. Sic MS. Flor. (test. Vict.). edd. Spir. Lips. (inde a prima) Grut. Pichen. sqq. — *clientulis* MSS. Harl. Bodl. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. De aliis MSS. ita tacent, ut *clientelis* inesse videatur. cf. not. ad 13, 37. et 12, 36.

ausi. Sic MSS. edd. vett. et Iac. Gronov. sqq. — *ausis* edd. mediae aetatis inde a Lipsii prima usque ad Iac. Gronovium.

tantum defuisse. MS. Guelf. *tamen defuisse.*

cierentur. MS. Guelf. *cernerentur*, non *cernerentur*, uti Strombeckius prodidit.

an, quia veram . . . sit, malle populum Romanum etc. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Sed ed. Spir. *mallet populum Romanum quam tibicinis* etc. MSS. Bud. les. Guelf. *mallet populus Romanus.* MS. Harl. *malle populus Romanus.* Nimirum compendium scribendi *pop. r.* errori originem dedit, et qui interposuit *quam*, ex inscitia id fecit. Vulgata sunt vera. Brevitas dictionis Ernestio imposuit, ut quaedam hic esse mutanda suspicaretur. Plenius Tacitus scripsisset: *an propterea offendi populum Romanum, quia veram progeniem p. C. datura sit, quippe qui malit tibicinis . . . . induci.* Verum omittuntur, quae e contextu intelligi poterant. Poppaea εἰρωνικῶς haec dicit. Ceterum altera etiam forma *mallet populus Romanus* defendi potest. Intercedit tamen discrimen aliquod. *Malle* si legis, sententia est: *ob das röm. Volk lieber wolle;* sin vero *mallet*, tum dicis: *ob das röm. Volk wohl könnte lieber wollen*, cui interrogationi inest vis negandi.

primos motus consedisse. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. *primos motus consecutos consedisse* MS. Bud. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. De aliis libris silentium est. Guelf. scribit

LXII. Varius sermo et ad metum atque iram accommodatus terruit simul audientem et accendit. Sed parum valebat suspicio in servo et quaestionibus ancillarum elusa erat. ergo confessionem alicuius quaeri placet, cui rerum quoque novarum crimen adfingeretur. et visus idoneus maternae necis patrator Anicetus classi apud Misenum, ut memoravi, praefectus, levi post admissum scelus gratia, dein graviore odio, quia malorum facinorum ministri quasi exprobrantes aspiciuntur. Igitur accitum eum Caesar operae prioris admonet: solum incolumitati principis adversus insidiantem matrem subvenisse: locum haud minoris gratiae instare, si coniugem infensam depelleret. nec manu aut telo opus: fa-

consequutos, uti solet. Item *coatus* pro *coactus*.

CAP. 62. *in servo*. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Rhenan. (e MS. Bud.) sqq. — *in servitio* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. De aliis libris silentium est.

elusa erat. Ex emendatione Lectii, quam Lipsius aliique commendavere, recepit Ernestius. MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. aliique, ut videtur, cum edd. Rhenan. sqq. *eluserat*. MS. Agr. *elusa* sine *erat*. Edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. *illuserat*. De verbo *eludere* (h. e. elabi, refutare, refellere) cf. Phaedr. 3. prol. 37. *calumniam fictis elusit iocis*. cf. Schwabe ad Phaedr. 1, 12, 9. Sic Hist. 1, 26. *seditionis indicia . . . elusit*. Infr. 16, 28. et Hist. 3, 47. id verbum absolute dicitur pro *elabi*. Quaeritur an sic etiam de *suspicione* absolute dici possit *eluserat* (*sie war durch die peinliche Befragung der Mägde entschwunden*).

confessionem. Ed. Spir. *confessiones*.

ut memoravi. c. 3.

graviore. Ed. Spir. *graviori*.

malorum facinorum. Sic MSS. Flor. (test. Pichena) Reg. Corb. Agr. edd. Spir. et recentt. auctore I. Fr. Gronovio. Sed MS. Flor. secundum collationem Iac. Gronovii et teste Victorio non habet *malorum*, immo *maiorum*, uti est in MS. Bud., idque pridem voluit Gruterus, recte ut mihi videtur. Nam epitheton *malorum* abundat, quia *facinora* in tali contextu per se de malis facinoribus intelliguntur. cf. 12, 51. *facinorum non rudis*; 1, 6. *primum facinus novi principatus*. Nihil autem in vett. libris frequentius est quam litterarum *l* et *i* permutatio. cf. not. ad 2, 60. sub verbo *deiectus*. Magnorum facinorum ministros cum odio aspici quasi exprobrantes est sententia, quam alibi quoque Tacitus enuntiat. cf. 4, 18. *Nam beneficia eo usque laeta sunt, dum videntur exsolvi posse: ubi multum ante venere, pro gratia odium redditur*. Parum igitur absum, ut reponam *maiorum*. Sunt tamen *mala facinora* etiam 12, 8. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. ferunt *graviorum*, quod haud dubie debuit molestum videri ob praecedens *graviore*.

ministri. Ed. Spir. *minister*. In Guelf. a pr. m. fuit *minist*, altera manus superscripsit *i* ad finem vocabuli. Eadem ed. Spir. mox: *haud minoris. ergo instare* etc. et deinde *manus* pro *manu*, *intendat* pro

teretur Octaviae adulterium. occulta quidem ad praesens, sed magna ei praemia et secessus amoenos promittit, vel si negavisset, necem intentat. Ille insita vecordia et facilitate priorum flagitiorum plura etiam, quam iussum erat, fingit fateturque apud amicos, quos velut consilio adhibuerat princeps. Tum in Sardiniam pellitur, ubi non inops exsilium toleravit et fato obiit.

LXIII. At Nero praefectum in spem sociandae classis corruptum, et incusatae paulo ante sterilitatis oblitus abactos partus conscientia libidinum, eaque sibi comperta edicto memorat insulaque Pandateria Octaviam claudit. Non alia exsul visentium oculos maiore misericordia adfecit. meminerant adhuc quidam Agrippinae a Tiberio, recentior Iuliae memoria obversabatur a Claudio pulsae. sed illis robur aetatis adfuerat: laeta aliqua viderant et praesentem saevitiam melioris olim fortunae recordatione adlevabant. huic primum nuptiarum dies loco funeris fuit deductae in domum in qua ni-

intentat, *iudiciorum* pro *flagitiorum*, *Sardinia* (sic et Guelf.) pro *Sardiniam*.

occulta. MS. Agr. *occultum*.

Cap. 63. *at Nero*. MS. Flor. (test. Vict.) *ad Nero*.

in spem. Sic MS. Flor. (test. Pichena) edd. Spir. Pichen. sqq. Victorius tamen intactum reliquit *spe*, quod est in MS. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *in spe* MSS. Bodl. Ies. Guelf. — *in specie* MS. Corb. cf. not. ad 11, 2. sub vv. *in omni flagitio obstrictos*.

sociandae. Ed. Spir. *socianda*.

edicto. Sic MS. Flor. (test. Victorio) et suadente Lipsio edd. Pichen. sqq. *dicto* MSS. Bud. Guelf. aliique, edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Eadem confusio et alibi invenitur. cf. not. ad 15, 36. Drakenb. ad Liv. 7, 35. 8, 7. 9, 14.

Pandateria. Sic MS. Guelf. edd. Beroald. (c. silent. Vict.) Rhen. sqq. *pandecteria* MS. Vat. (Lips.) edd. Spir. Put. M. et V. *Pandatoria* ed. Alc. *Pandataria* edd. Oberl. sqq. Sed cf. not. ad 1, 53. Bekkerus etiam et Kiesslingius reposuere *Pandateria*.

quidam. Ed. Spir. *quidem*.

a Claudio pulsae. Sic libri vett. et recentt. omnes praeter edd. Oberlin. sqq. in quibus praepositio *a* omittitur. Bekkerus tamen eam restituit.

adlevabant. Sic MSS. Flor. (test. Pichena) Guelf. aliique, edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. I. Fr. et Iac. Gronn. sqq. (scilicet edd. vett. habent *allevabant*). Rhenanus e MS. Bud. ediderat *elevabant*. Edd. Lips. Grut. Pich. Berneggeri et Ryckii *levabant*, incertum qua auctoritate.

huic primum. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent Vict.) Alc. Rhen. sqq. et recentius Ernest. sqq. — *huic primus* edd. Pichen. sqq. e coniectura Lipsii. Perperam. Nam

hil nisi luctuosum haberet, erepto per venenum patre et statim fratre: tum ancilla domina validior, et Poppaea non nisi in perniciem uxoris nupta: postremo crimen omni exitio gravius.

LXIV. At puella vicesimo aetatis anno inter centuriones et milites praesagio malorum iam vita exempta nondum tamen morte acquiescebat. Paucis dehinc interiectis diebus mori iubetur, cum iam viduam se et tantum sororem testaretur communesque Germanicos et postremo Agrippinae nomen cieret, qua incolumi infelix quidem matrimonium, sed sine exitio pertulisset. Restringitur vinclis venaeque eius per omnes artus exsolvuntur: et quia pressus pavore sanguis tardius labe-

primus dies hic non opponitur secundo aut tertio; sed dies nuptiarum primum dicitur fuisse funeris loco, quum deinde alia sequerentur funesta. cf. not. ad 13, 16.

omni. Ed. Spir. *omi.*

Cap. 64. *at puella.* Sic edd. Put. M. et V. Ber. Alc. cum silentio Victorii, et sic volebat Muretus. — *ac puella* MS. Guelf. edd. Spir. Rhen. (e MS. Bud.) sqq.

iam vita exempta. Sic MSS. Flor. (test. Victorio) Agr. Reg. Corb. edd. Spir. Iac. Gronov. sqq. Iac. Gron. in MS. Flor. testatur esse *victa* pro *vita.* — *iam a vita exempta* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Iac. Gronovius receptam scripturam explicat: „cum iam vita ei nulla inesset." Recte, ut mihi videtur. Sic *eximere constantiam* 1, 32; *consilium* 11, 32. Ernestius mavult intelligi *de* vel *ex* vita. Sed cf. 3, 18. *Pisonem ignominiae exemit*; 1, 48. *se ipsos morti eximant.* Quare Heinsius volebat *vitae.*

nondum tamen morte acquiescebat. Heinsius corrigebat *morti.* Ernestius opponit exemplum Cic. Mil. c. 37. *qui morte eius acquierunt.* Addo Sueton. Cal. c. 51. *uno solatio acquiescens.* Sententia est: nondum tamen, ut quietem malorum inveniret, potuit a se impetrare, ut mortem conscisceret. Sic Nepos 23, 13. *vir fortissimus, multis variisque perfunctus laboribus, anno acquievit septuagesimo.*

communesque Germanicos. Sic MSS. Flor. (test. Pichena aliisque) Agr. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. et recentiores auctore Freinshemio. — *communeque Germanici* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Rhenan. sqq. usque ad Freinshemium.

et postremo. Ed. Spir. *ac postremo.*

cieret. MS. Guelf. *eiceret.*

infelix. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Alc Rhen. sqq. *infoelix* edd. Put. et Beroald. — MS. Guelf. negligit *matrimonium.*

vinclis. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Harl. Bodl. Ies. Guelf. — *vinculis* edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Illud Tacito proprium est. cf. not. ad 12, 47.

sanguis. Ed. Spir. *sanguinis.* Eadem mox *in urbe* pro *in urbem.*

batur, praefervidi balnei vapore enecatur. additurque atrocior saevitia, quod caput amputatum latumque in urbem Poppaea vidit. Dona ob haec templis decreta: quod ad eum finem memorabimus, ut, quicunque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus noscent, praesumptum habeant, quotiens fugas et caedes iussit princeps, totiens grates deis actas, quaeque rerum secundarum olim, tum publicae cladis insignia fuisse. neque tamen silebimus, si quod senatus consultum adulatione novum aut patientia postremum fuit.

LXV. Eodem anno libertorum potissimos veneno interfecisse creditus est, Doryphorum quasi adversatum nuptiis Poppaeae, Pallantem quod immensam pecuniam longa senecta detineret. Romanus secretis criminationibus incusaverat Senecam ut C. Pisonis socium, sed validius a Seneca eodem crimine perculsus est. unde

ob haec. MS. Guelf. et ed. Spir. *ob hoc.* Victorio intactum mansit *ob haec*, quod est in edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

decreta: quod ad eum finem m., ut, quicunque etc. Sic edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. At MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *decretaque ad finem m. Quicunque* etc. quod vitium e compendio scripturae exortum recte Puteolanus videtur correxisse. Alii e MS. Flor. et ed. Spir. adferunt *decreta quae;* sed in ed. Spir. est *decretaque*, una voce, particula *que* per compendium scripta; in MS. Flor. *q*; (test. I. Gron.). MS. Bud. (a sec. m.) habet *quae*; prius fuit *quod.* MS. Guelf. *decreta: quae ad eum* etc.

memorabimus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. aliique codd. (test. Broterio), ed. Spir. — *memoravimus* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Sed cf. not. ad 13, 20. sub verbo *trademus* et ad 11, 27. sub verbo *tradam.* Namque et hic tempori futuro inest, quod nos dicimus: *ich will* vel *ich muſs dieſs zu dem Ende erwähnen.*

noscent. Edd. Put. M. et V. *nossent.* MS. Guelf. edd. Spir. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *noscent.*

habeant. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *habebunt* ed. Spir. Broterius e MSS. etiam adfert *habebant.*

fugas et caedes. Ed. Spir. *fugas vel caedes.* Eadem mox *q̃* *rerum* pro *quaeque rerum.*

Cap. 65. *creditus est.* Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Agr. Corb. edd. Spir. Ryck. Iac. Gron. Ernest. sqq. — *creditum est* MSS. Bud. Harl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *editum est* MS. Bodl.

Doryphorum. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Rhen. sqq. — *Doriphorum* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. — *Doriforum* ed. Spir. Apud Xiphil. 61, 5. iste audit Δορύφορος.

detineret. Ed. Spir *teneret.* Eadem mox *in Nerone* pro *in Neronem*, absorpta littera *m* a sequenti vocabulo.

Pisoni timor et orta insidiarum in Neronem magna moles et improspera.

et improspera. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Ies. — *et inprospecta* MS. Guelf. (a rec. m.) ed. Spir. aliique libri teste Broterio. — *sed improspera* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — MS. Bodl. a pr. m. *sed improspera;* secunda manus correxit *et i.* Recte. cf. not. ad 1, 13. sub verbis *avidum et minorem.*

C. CORNELII TACITI

AB

EXCESSU DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIBER QUINTUS DECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. 2. Vologeses rex Parthorum bellum mente volvit instigantibus fratre Tiridate et Monobazo Adiabeno, quem Tigranes vexarat. 3. Corbulo Syriae tuendae providet. 4. Parthi Monese duce Tigranocerta obsident. 5. Vologesi Corbulo inducias offert et impetrat. 6. Caesennii Paeti Armeniae recens praefecti vanitas, 7. 8. ferocia, imperitia, iactantia. 9. Ab invadenda Syria Corbulo absterret Parthos, qui 10. Armeniae et Paeto incumbunt. hic aegre Corbulonem auxilio vocat 11. Parthis prementibus. 12. Is in Armeniam profectus fugientes obiurgat, suos hortatur. 13. Vologeses instat Paeto. 14. Disceptatio inter Romanos et Parthos, ex qua 15. Paeti foeda compositio. 16. Corbulo in Armeniam venit. 17. Paeto increpito Syriam repetit. 18. Romae inania de Parthis tropaea. Frumentum plebis. Vectigalia.

19. S. C. de simulatis adoptionibus. 20. 21. Claudius Timarchus Cretensis accusatur, quod Thrasea Paetus ad bonum publicum vertit. 22. Decretum grates praesidibus non agendas. Portenta. 23. Ob filiam Neroni natam immodica gaudia et frustranea. In Thraseam principis odium.

24. Legati Parthorum Romae inrisores. 25. Bello Armeniaco praeficitur Corbulo. Paetum Caesar facetiis insectatur. 26. Corbulo in Armeniam ducit exercitum, 27. legatos Parthorum audit, defectores Armenios ulciscitur. 28 — 30. Tiridates a Corbulone pacem petit et posito apud effigiem Caesaris insigni regio impetrat, comiterque excipitur a Corbulone. 31. Vologesis pro fratre sollicitudo.

32. Alpinos maritimos Nero in ius Latii transfert. Equitum Romanorum in circo locos sedilibus plebis anteponit. Feminae inlustres senatoresque in arena. 33. Nero ipse Neapoli scenam inscendit. 34. Theatrum ruit. Beneventi Nero munus Vatinii spectat. 35. Torquatum Silanum mori adigit. 36. Iter frustra meditatur in Orientem. 37. Convivia luxu foeda celebrat ministro Tigellino. Pythagorae nubit. 38. Clades Romae ex incendio, forte an dolo principis, qui 39. in remedium multa popularia usurpat. 40. 41. Cladis magnitudo. Novae urbis con-

dendae consilium. 42. Ex patriae ruinis immensam domum exstruit Nero. Maiora frustra molitur. 43. Novae urbis facies. 44. Petita a diis piacula frustra. Incendii invidia in Christianos devoluta misere excruciatos. 45. Italiam, socios, templa spoliat Nero: aversantem id Senecam veneno petit.

46. Gladiatorum eruptio apud Praeneste. Classis ad Misenum amissa. 47. Prodigia. 48. Coniuratio Pisonis in Neronem. 49. 50. Coniuratorum nomina, mores, odiorum in Neronem causae. Iis accedit Rufus praefectus praetorio. Subrii impetus. 51. Epicharis classem tentans proditur. 52. Coniuratorum impetus retardatus a Pisone ob sacra mensae. 53. Aliud coniuratorum consilium. 54. Scevini imprudentia. Milichus servus herum defert, qui egregie se defendit, sed muliebri astutia deprehenditur. 55. 56. Natalis coniurationem fatetur, Pisonem, Senecam nominat, Lucanus matrem. 57. Epicharis tormentis dilacerata mirum fidei exemplum praestat. 58. Nero reos audit, quos violenter urget Rufus dissimulata conscientia. 59. Piso neglectis amicorum monitis occiditur. Eius testamentum et uxor. 60. 61. Caedes Laterani et Senecae, huius defensio spreta, 62. supremi sermones, 63. amica contentio cum uxore, 64. cuius mortem inhiberi Nero imperat. Senecae cruciatus, mors, funus. 65. Ipse destinatus imperator. 66. Rufus proditur. 67. Subrii Flavii, 68. Aspri, aliorum constantes voces et exitus. Rufi mollities. 69. Nero Vestinum quamvis insontem interimit: 70. mox Lucanum, Senecionem, Quintianum, Scevinum. 71. Simulata per urbem gaudia. Indicibus praemia, suspectis militiae vacatio, aliis exsilia, 72. Turpiliano, Nervae, Tigellino triumphalia, Nymphidio consularia insignia data. 73. Nero adversum rumores se purgat. Gallionis periculum. 74. S. C. ob servatum Neronem. Pugio Scevini dicatus Iovi Vindici. Gesta haec annis paulo amplius tribus

C. MEMMIO REGULO. VERGINIO RUFO,
C. LECANIO BASSO. M. LICINIO CRASSO,
P. SILIO NERVA. C. IULIO ATTICO VESTINO COSS.

I. Interea rex Parthorum Vologeses cognitis Corbulonis rebus regemque alienigenam Tigranem Armeniae impositum, simul fratre Tiridate pulso spretum Arsacidarum fastigium ire ultum volens, magnitudine rursum Romana et continui foederis reverentia diversas ad curas trahebatur, cunctator ingenio et defectione

COMMENTARIUS.

Cap. 1. *Interea rex Parthorum* etc. De hisce rebus Parthicis cf. Xiphil. 62, 19 sqq.

Tigranem. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *Tygranem* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *Tigranen* edd. Oberlin. sqq.

rursum. Ed. Spir. *rursus.*

cunctator. MS. Guelf. *cuntatior*, sed non sine correctione.

defectione. MS. Bud. a pr. m. *defensione*, in margine ab antiqua manu *defectione*, quod praeferunt MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. et recentiores inde a Lips. prima. Rhenanus et Ald. ediderant *dissensione.* De re cf. 14, 25.

Hyrcanorum, gentis validae, multisque ex eo bellis inligatus. Atque illum ambiguum novus insuper nuntius contumeliae exstimulat: quippe egressus Armenia Tigranes Adiabenos, conterminam nationem, latius ac diutius quam per latrocinia vastaverat, idque primores gentium aegre tolerabant: Eo contemptionis descensum, ut ne duce quidem Romano incursarentur, sed temeritate obsidis tot per annos inter mancipia habiti. Accendebat dolorem eorum Monobazus, quem penes Adiabenum regimen, quod praesidium aut unde peteret, rogitans. iam de Armenia concessum, proxima trahi, et nisi defendant Parthi, levius servitium apud Romanos deditis quam captis esse. Tiridates quoque regni profugus

Hyrcanorum. Ed. Spir. *hircanorum.* Eadem mox *novis et insuper* pro *novus insuper.*

egressus Armenia. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *egressus Armeniam* MS. Agr. ed. Spir., quod placet Heinsio ob exemplum Hist. 3, 30. *altitudinem moenium egressa.* Addo 1, 30. *egredi tentoria;* 16, 10. *sexum egressa;* 15, 45. *cubiculum non egressus.* Contra 12, 68. *ne cubiculo egrederetur.* Utraque igitur dicendi ratio bona est, sensu paulum diverso. *Armeniam egressus* h. e. *Armeniens Grenzen überschreitend; Armenia egressus* h. e. *von Armenien aus.*

contemptionis. Strombeckius prodidit in MS. Guelf. esse *contemtionis* pro *contemtioni.* Sed ubi est *contemtioni?* In Guelf. legitur *contemptionis.* Broterius testatur in MSS. Reg. Ies. et ed. Spir. legi *contentionis.* In ed. Spir. tamen invenio *contẽtionis,* quod potest esse pro *contemtionis* et pro *contentionis.*

obsidis. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *obsidii* MS. Agr., quod placebat Heinsio et Ryckio.

dolorem eorum. Int. *primorum.* Male Ernestius *eorum* intelligebat *earum rerum;* Broterius ad Vologesem et primores gentium refert. Immo ad primores tantum pertinet; neque apud Vologesem querelae illae fusae, sed ita iaciebantur inter primores, ut ad Vologesis aures quidem pervenirent, neque tamen coram rege enuntiarentur. *Rogitans,* quod sequitur, non poscit, ut cogitemus a Monobazo in hunc modum rogitatum esse apud Vologesem, sed simpliciter indicat illum rogitando haec dixisse.

Monobazus. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhenan. sqq. — *Monobacus* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *Monobachus* MS. Guelf. Apud Xiphil. 62, 20. *Μονόβαζος.*

iam de Armenia .... captis esse. Interpretes elegantiam verborum, uti sunt in vett. libris, non percepere. Quare copulam *et* ante *nisi* locatam aut transponunt ad vocabulum *levius,* ut Acidalius, vel ad *proxima,* ut Ernestius, aut plane delent, ut Oberlinus aliique. Perperam. Monobazus more minitantium quaedam silentio premit et obscure tantum significat, quae intelligi quam disertis verbis dicere malebat, additis tamen unde consilium suum intelligi posset. Est

per silentium aut modice querendo gravior erat. non enim ignavia magna imperia contineri: virorum armorumque faciendum certamen. id in summa fortuna aequius quod validius. et sua retinere privatae domus, de alienis certare regiam laudem esse.

II. Igitur commotus his Vologeses concilium vocat et proximum sibi Tiridatem constituit atque ita orditur: „Hunc ego eodem mecum patre genitum, cum mihi per „aetatem summo nomine concessisset, in possessionem „Armeniae deduxi, qui tertius potentiae gradus habe„tur. nam Medos Pacorus ante ceperat. videbarque

genus euphemismi. Dicit: *et nisi defendant* sc. fore, ut potius se Romanis dedant, quam ab ipsis se vinci patiantur; nam *levius servitium apud Romanos deditis quam captis esse.* cf. Caes. B. G. 1, 36. *Quodsi Caesar denuntiaret se Aeduorum iniurias non neglecturum, neminem secum sine sua pernicie contendisse.* Ubi similis plane hiatus sententiae est ante *neminem*; intelligit ille ideo se non esse in metu, nam etc. Sed ubi talia non inveniuntur?

per silentium aut modice querendo. Sic edd. Beroald. (c. sil. Vict.) Broterii, Oberlin. sqq. — *per silentium haud modice quaerendo* edd. Spir. Put. M. et V. — *querendo* MS. Guelf edd. Rhen. sqq. Etenim edd. Spir. et Put. plerumque scribunt *quaeri* pro *queri*, *quaestus* pro *questus*, et omnino *ae* et *e* saepissime confundunt. Vulgus MSStorum cum his edd. consentit in *haud.* Sed Muretus et Acidalius pridem viderant in *haud* mendum latere. Quomodo enim per silentium et nec modice quereretur? I. Fr. Gronovius aliique tuentur quidem *haud*, dum adfirmant silentium interdum omni voce loquacius esse. Sed hic ipsius Tiridatis querentis verba adponuntur: *Non enim ignavia* etc. Num haec per silentium querebatur? Bipontini *haud modice* referunt ad *accendebat*, quod quomodo viris doctis potuerit in mentem venire, non satis intelligo. Rupertius interpungit: *per silentium haud modice* (sc. gravis erat), *querendo gravior erat*, neque sententia idonea neque dictione. Unice verum est *aut.* Comparativus *gravior*, ut saepissime habet vim minuendi (*etwas beschwerlich* h. e. *nicht unbeschwerlich*). Nam particula *quoque* haec praecedenti orationi ita adnectit, ut Tiridates regni profugus molestiis, quas creabat Monobazus, accessisse dicatur, non ut gravior quam ille, sed tantum gravis quodam modo et ipse. Sic *tristior* Hist. 1, 14. Verba: *per silentium aut modice querendo* describunt rationem, qua se tum Tiridates gessit, scilicet nunc per silentium sortem suam ferebat, nunc in modicas querelas erumpebat. Igitur: *per silentium aut modice querendo* sc. agens *gravior erat. Silentium* autem illud non ignaviae, sed irae silentium fuisse puta. cf. Hist. 1, 40. *Haud* et *aut* in vett. libris confundi videbimus ad Hist. 3, 42. et alibi.

Cap. 2. *Hunc ego.* Ed. Spir. *Nunc ego.* Eadem mox *eodem patre mecum.* Deinde: *Naniedos* pro *nam Medos.* Ceterum Victorius parenthesi circumdedit verba: *nam . . . ceperat*, tanquam verba scriptoris.

„contra vetera fratrum odia et certamina familiae „nostrae penates rite composuisse. prohibent Romani et „pacem nunquam ipsis prospere lacessitam nunc quoque „in exitium suum abrumpunt. Non ibo inficias, aequi-„tate quam sanguine, causa quam armis retinere parta „maioribus malueram. si cunctatione deliqui, virtute „corrigam. Vestra quidem vis et gloria in integro est, „addita modestiae fama, quae neque summis mortalium „spernenda est et a diis aestimatur." Simul diademate caput Tiridatis evinxit, promptam equitum manum, quae regem ex more sectatur, Monesi nobili viro tradidit adiectis Adiabenorum auxiliis, mandavitque Tigranem Armenia exturbari, dum ipse positis adversus Hyrcanos discordiis vires intimas molemque belli ciet provinciis Romanis minitans.

et certamina. Ita emendavit Rhenanus, incertum est an duce MS. Bud. Nam ipse et Oberlinus tacent. Ed. Spir. *et certamen in* corrupte pro *et certamina.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. *et certamen.*

penates. Edd. Put. *poenates,* hic et alibi.

nunquam ipsis. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. — *ipsis nunquam* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Sed illud rectius: nam opposita sunt *nunquam* et *nunc quoque.*

in exitium suum. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *in absitium suum* MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. — *per obsidium suum* MS. Agr.

in integro est. MS. Bud. a pr. m. *integra est.* Sed cf. 3, 50.

aestimatur. Ed. Spir. et MS. Guelf. *extimatur.* cf. not. ad 13, 17.

caput Tiridatis evinxit etc. Ed. Spir. *caput evinxit Tiridates promptuam aequitū mnuū.* MS. Reg. pro *evinxit* habet *cinxit;* Guelf. *capud* pro *caput.*

sectatur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) Reg. Corb. edd. Spir. Iac. Gronov. Ernest. sqq. — *sectabatur* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

Adiabenorum. Ed. Spir. *Adiebenorum.*

exturbari. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *exturbat* MSS. Reg. Corb. ed. Spir. unde Ernestio venit suspicio Tacitum scripsisse *exturbet*, aut saltem *exturbare.* Perperam.

positis. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — MS. Bud. a pr. m. *depositis*, a sec. m. *compositis*, quod Rhenanus ediderat cum seqq. Veterem scripturam Lipsius (1574.) reposuit. Sic *ponere bellum* Hist. 2, 52. et alibi.

provinciis. Ed. Spir. *provintiis.*

III. Quae ubi Corbuloni certis nuntiis audita sunt, legiones duas cum Verulano Severo et Vettio Bolano subsidium Tigrani mittit occulto praecepto, compositius cuncta quam festinantius agerent. Quippe bellum habere quam gerere malebat. scripseratque Caesari proprio duce opus esse, qui Armeniam defenderet: Syriam ingruente Vologese acriore in discrimine esse. Atque interim reliquas legiones pro ripa Euphratis locat, tumultuariam provincialium manum armat, hostiles ingressus praesidiis intercipit. et quia egena aquarum regio est, castella fontibus imposita: quosdam rivos congestu arenae abdidit.

IV. Ea dum a Corbulone tuendae Syriae parantur, acto raptim agmine Moneses, ut famam sui praeiret,

Cap. 3. *certis nuntiis.* Pro *certis* MS. Reg. et ed. Spir. ferunt *cunctis*, quod Ernestio non videbatur spernendum. cf. Cic. ad Quint. Fr. 2, 12. *omnium nuntiis perfertur.* Sed vulgatum tuentur MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Mox pro *duas* MSS. Harl. Bodl. Ies. habent *suas.*

et Vettio. Sic suadente Lipsio edd. Ryckii seqq. ex inscriptionibus. Sunt qui adfirment (Iac. Gronov.) idem inesse MS. Flor. Sed Victorius intactum reliquit *Vectio*, quod est in MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq., correxit autem *q3*, quod in ed. Beroald. est pro *et.* MS. Agr. ed. Spir. *et Vetio.* cf. not. ad Hist. 2, 65.

compositius. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *compositus* ed. Spir. Eadem mox pro *quam* habet *cum*, et totum locum constituit sic: *occulto praecepto compositus: cuncta cum festinantius agerent.* MS. Flor. (t. Vict.) pro *quam festinantius* habet *confestinantius.* Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. *festinatius.* Rhenanus e MS. Bud. restituit *festinantius*, quod idem legitur in Guelf.

bellum habere. H. e. malebat bellum sibi esse. Heinsius frustra coniecit *bellum alere* vel *trahere* vel *procul habere*; Huetius apud Broterium *trahere* vel *cavere.* Ed. Spir. pro *malebat* fert *malebant.*

ingruente. Ed. Spir. *ingrediente.* Sed cf. 1, 27. 2, 11. Hist. 3, 34.

acriore. MS. Reg. et ed. Spir. *acriori.*

tumultuariam. Ed. Spir. *Tum multo variam.*

et quia egena etc. I. Fr. Gronovius censet corrigendum: *et, quo egena aquarum regio esset, cast. f. i.* Probant Ernestius et Lallemandus. Falluntur. Immo regio iam primum aquarum egena erat, quam rem Corbulo in usum vertendam ratus paucis qui erant fontibus castella imposuit; quosdam rivos, quibus pro situ locorum hostes uti possent, congestu arenae abdidit, ut ita ingressi aquas invenirent plane nullas. MS. Agr. pro *egena* habet *egens.*

abdidit. Sic codd. MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. aliique, edd. Spir. Rhenan. sqq. — *obdidit* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. et inter recentiores Ryck. Sic et cod. Ursin. Sed vid. not. ad 13, 5.

Cap. 4. *famam sui.* Ed. Spir. *famam siti.*

non ideo nescium aut incautum Tigranem offendit. occupaverat Tigranocerta, urbem copia defensorum et magnitudine moenium validam. ad hoc Nicephorius amnis haud spernenda latitudine partem murorum ambit, et ducta ingens fossa, qua fluvio diffidebatur. inerantque milites et provisi ante commeatus: quorum subvectu pauci avidius progressi et repentinis hostibus circumventi ira magis quam metu ceteros accenderant. Sed Partho ad exsequendas obsidiones nulla cominus audacia: raris sagittis neque clausos exterret et semet frustratur. Adiabeni, cum promovere scalas et machinamenta inciperent, facile detrusi, mox erumpentibus nostris caeduntur.

V. Corbulo tamen quamvis secundis rebus suis moderandum fortunae ratus misit ad Vologesem, qui expostularent vim provinciae inlatam: socium amicumque regem cohortes Romanas circumsedere. omitteret

non ideo. MS. Guelf. *non adeo.*

occupaverat. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) Corb. Agr. edd. Spir. Ernest. sqq. — *qui occupaverat* MSS. Bud. Harl. Bodl. les. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

Tigranocerta. Sic (sive *Tygranocerta*) MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *Tigranocertam* MS. Bud. ed. Spir. Eadem varietas est c. 5. et apud Graecos scriptores. cf. 14, 24.

ad hoc. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. et ed. Spir. — *ad haec* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

Nicephorius. Sic (sive *Nycephorius*) edd. Put. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *Niceforius* MS. Guelf. — *micepharius* ed. Spir. Eadem mox *spernendam* pro *spernenda.*

inerantque. Sic MSS. (test. Pichena) Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. et deinde Pichen. sqq. Ante Pichenam Lipsius ediderat *inerant* sine copula.

provisi ante. De hac formula cf. not. ad 11, 7.

commeatus. Ed. Spir. *comeatus*, hic et alibi.

audacia: raris etc. Oberlinus et qui illum sequuntur, interpungunt: *audacia, raris sagittis: neque* etc. Veriorem veterumque librorum interpunctionem reduxit Bekkerus.

caeduntur. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. — *facile caeduntur* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. De aliis libris silentium est.

Cap. 5. *moderandum.* MS. Guelf. *moderandae.*

inlatam. Ed. Spir. *allatam.*

cohortes. MS. Guelf. a pr. m. habuit *cohortis;* sec. m. fecit *cohortes.*

circumsedere. Sic MSS. Harl. Bodl. les. Guelf. (hic e correctione) edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silentio Vict.) Alc. Rhenan. Ald. — *circumsidere* edd. Lips. sqq. usque ad Ryckium, qui e MS.

potius obsidionem aut se quoque in agro hostili castra positurum. Casperius centurio in eam legationem delectus apud oppidum Nisibin septem et triginta millibus passuum a Tigranocerta distantem adit regem et mandata ferociter edidit. Vologesi vetus et penitus infixum erat arma Romana vitandi: nec praesentia prospere fluebant. inritum obsidium: tutus manu et copiis Tigranes: fugati qui expugnationem sumpserant: missae in Armeniam legiones et aliae pro Syria paratae

Agr. recepit *circumsideri*, virgula posita ante *cohortes*. Ryckium sequuntur Ernest. Broter. Oberlin. sqq. Bekkerus revocavit *circumsidere*. Non tamen video, cur veterem scripturam spernamus, quum *circumsedere* non minus sit latinum quam *circumsidere*. At „Vologesem, ait Ryckius, appellare adhuc *socium amicumque* post hostilem in Romanos animum tam clare ostensum blandientis nimium ducis, non Corbulonis erat. Immo Corbulonem Vologesem habuisse pro hoste propter hanc ipsam obsidionem patet ex comminatione, quam adiungit, nisi omitteret obsidionem, *se quoque in agro hostili castra positurum.*" Fallitur fallitque qui eum sequuntur. Nam id ipsum quod Vologeses neglecto foedere (cf. c. 1. *continui foederis reverentia*) hostilia adversus Romanos coeperat, Corbuloni causa fuit, ut provocaret in societatem et amicitiam, obiiceretque *socium amicumque regem Romanas cohortes circumsedere.* Aptissime autem adiungitur comminatio, si rex sperneret expostulationem, se quoque Vologesis agrum pro hostili habiturum in eoque castra positurum. Ad hostem certe non mittuntur, qui expostulent; verum ad eum, qui hactenus fuit amicus, ut satisfaciat bellumque evitetur.

potius. Lipsius malebat *ocius*, Boxhornius *protinus*. Frustra. *Potius* plane sic ponitur in hortatione, ut exprimat nostrum *lieber* h. e. id esse utilius. cf. 1, 18. *mea potius caede imbuite manus.*

legationem. MS. Flor. (t. Vict.) *legionem*, mediis litteris, ut saepe, omissis.

delectus. MS. Flor. (test. Vict.) *dilectus*, uti Lipsius solet scribere. Parum interest. *Delectus* est lectio de numero aliquo, *dilectus* lectio e multis. cf. Baumgarten-Crusius in clav. Sueton. sub v. *delectus.*

Nisibin. Sic edd. Spir. Rhenan. sqq. *Nysibim* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc.

a Tigranocerta. Sic MS. Guelf. edd. vett. et recentt. omnes; et c. 6. omnes *Tigranocertis* (scil. MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. constanter scribunt *Tygran.*, ed. Spir. *Tigran.*). cf. not. ad c. 4. Nescio an haec inconstantia ferri possit in uno eodemque scriptore.

adit regem. Sic MSS. et vett. edd. praeter MS. Guelf., unde Ernest. sqq. edidere *adiit*, quia mox sequitur *edidit.* Sed cf. not. ad 1, 39. 2, 7. 14, 4. Et in Guelf. alterum *i* est a rec. m. Primum ibi quoque fuit *adit.*

vetus et penitus. Ed. Spir. *et vetus penitus.*

vitandi. cf. not. ad 2, 43. Ramshorn. Gr. § 169. p. 443. not. 4.

inritum. Sic MS. Flor. test. Vict. — *irritum* edd. vett. c. cod. Guelf..

et aliae. Ed. Spir. *et alia.* Eadem mox *irrupere* pro *inrumpere.*

ultro inrumpere: sibi imbecillum equitem, pabuli inopiam. nam exorta vis locustarum ambederat quidquid herbidum aut frondosum. Igitur metu abstruso mitiora obtendens missurum ad imperatorem Romanum legatos super petenda Armenia et firmanda pace respondet. Monesem omittere Tigranocerta iubet, ipse retro concedit.

VI. Haec plures ut formidine regis et Corbulonis minis patrata ac magnifica extollebant. alii occulte pepigisse interpretabantur, ut omisso utrimque bello et abeunte Vologese Tigranes quoque Armenia abscederet. Cur enim exercitum Romanum a Tigranocertis de-

pabuli inopiam. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Victorii) Alc. — *pabuli inopia*, omissa distinctione ante *pabuli*, edd. Spir. Rhen. (e MS. Bud., ut videtur) sqq.

exorta vis locustarum ambederat. Sic edd. Lips. Pich. sqq. incertum an veterum librorum auctoritate. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. *exorta vis l. abederat.* — MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Corb. ed. Spir. *exorta vi locustarum aberat*, quae scriptura fortassis vera est. MS. Corb. *floridum* pro *frondosum* et mox *obstruso* pro *abstruso.*

firmanda. Ed. Ber. vitiose *firmamda*, quod Victorius e MS. Flor. correxit in *firmanda.* MS. Guelf. pro *firmanda* habet *syllana.*

omittere. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *amittere* MS. Corb. ed. Spir. De utriusque verbi confusione vid. not. ad 14, 26.

Tigranocerta. Sic (sive *Tygr.*) MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *Tigranocertam* MSS. Reg. Corb. Bud. ed. Spir. cf. not. ad c. 4. et supra hoc ipso capite.

Cap. 6. *minis.* MS. Guelf. *minus.*

patrata. MS. Agr. *peracta.*

ac magnifica extollebant. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Harl. Bodl. Ies. Corb. Guelf. Bud. Agr. edd. Rhenan. sqq., nisi quod pleraeque post Rhen. edd. ferunt *et* pro *ac* (non cum Guelf., ut videtur Kiesslingio). Contra edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. et nuper Ernest. sqq. *magnifice extollebant.* MS. Reg. et ed. Spir. *patrata extollebant*, omisso additamento, quod interponitur, quae legendi ratio Ernestio videbatur optima. Ipse tamen praetulit scripturam Puteolani, ut latiniorem. Utinam addidisset, in qua re cernatur praestantior latinitas. Nam aeque latinam puto scripturam MSStorum. *Magnifica* Tacito sunt praestantia, egregia, gloriosa. cf. 2, 2. *magnificum sibi id credidit*; 12, 37. *praesens sors mea, ut mihi informis, sic tibi magnifica est.* Hist. 2, 76. Agr. c. 30.

omisso utrimque bello. Ed. Spir. *amisso utrinque bello.* cf. not. ad c. 5.

a Tigranocertis. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *Tigranocertis* ed. Spir. omissa praepositione.

ductum? cur deserta per otium quae bello defenderant? An melius hibernavisse in extrema Cappadocia raptim erectis tuguriis quam in sede regni modo retenti? dilata prorsus arma, ut Vologeses cum alio quam cum Corbulone certaret, Corbulo meritae tot per annos gloriae non ultra periculum faceret. Nam, ut rettuli, proprium ducem tuendae Armeniae poposcerat et adventare Caesennius Paetus audiebatur: iamque aderat, copiis ita divisis ut quarta et duodecuma legiones addita quinta, quae recens e Moesis excita erat, simul Pontica et Galatarum Cappadocumque auxilia Paeto obedirent: tertia et sexta et decuma legiones priorque Syriae miles apud Corbulonem manerent. cetera ex rerum usu sociarent partirenturve. Sed neque Corbulo aemuli patiens, et Paetus, cui satis ad gloriam erat, si proximus haberetur, despiciebat gesta, nihil caedis aut praedae, usurpatas nomine tenus urbium expugnationes dictitans: se tributa ac leges et pro umbra regis Romanum ius victis impositurum.

VII. Sub idem tempus legati Vologesis, quos ad principem missos memoravi, revertere inriti, bellumque propalam sumptum a Parthis. nec Paetus detrectavit, sed duabus legionibus, quarum quartam Funisulanus Vettonianus eo in tempore, duodecumam

per otium. cf. not. ad 1, 2.
meritae. Ed. Spir. *merito.*
adventare. Ed. Spir. *adventante.*
Caesennius Paetus. Sic inscript. apud Gruter. p. 651. 6. Xiphil. 62, 20. et Iosephus *Καισέννιος Παῖτος*. Ed. Spir. *Cesenius Petus.* Edd. Put. cum cod. Guelf. *Cesennius Petus.*
legiones. Ed. Spir. *legione*, idque rec. m. etiam fecit in Guelf., cum prius ibi esset *legiones.* Eadem ed. Spir. *a Moesiis* pro *e Moesis.*, et deinde *pontita et Galatharum.* Edd. Put. *gallatarum.*
cui satis ad gloriam erat. Erat ponitur, ut imperfectum apud Graecos addito *ἂν*, pro *fuisset.* cf. Matthiae Gr. § 509. Exempla vide apud Ramshorn. Gr. § 166. p. 410. Not. Supervacanea igitur est Hilleri emendatio legentis: *cui non satis* etc.
expugnationes. Ed. Spir. *expugnatione.*
Cap. 7. *memoravi.* cf. c. 5. MS. Corb. *Vologesi regis* pro *Vologesis.* cf. 13, 37. Tacitus utramque formam usurpat.
inriti. Sic MS. Flor. test. Vict. — *irriti* edd. vett. cum cod. Guelf.
Funisulanus Vettonianus. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. al.), nisi quod Victorius reliquit *Vecton.* pro *Vetton.* Cum Flor. consentit MS. Reg. test. Broterio. MS. Agr. *Funisolanus Vectomanus.* Ed.

Calavius Sabinus regebant, Armeniam intrat tristi omine. nam in transgressu Euphratis, quem ponte tramittebant, nulla palam causa turbatus equus, qui consularia insignia gestabat, retro evasit. hostiaque quae muniebantur hibernaculis adsistens semifacta opera fuga perrupit seque vallo extulit. et pila militum arsere magis insigni prodigio, quia Parthus hostis missilibus telis decertat.

VIII. Ceterum Paetus spretis ominibus, necdum satis firmatis hibernaculis, nullo rei frumentariae provisu rapit exercitum trans montem Taurum reciperandis,

Spir. *funisolanus vetoianus.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. *Fimisulanus Vectonianus.* MS. Corb. *Fumisulanus Vectomanus.* Edd. Puteol. *Fimisulanus Vectoniarius.* Edd. Ber. Alc. *Famisulanus Vectoniarius.* Edd. Rhen. sqq. *Famisulanus Vectonianus.* Hodiernam scripturam primus edidit Ernestius.

Calavius. Sic MS. Guelf. edd. vett. et recentt. (cum silent. Vict.) — *Calanius* MSS. Reg. Corb. — *Calvius* MS. Harl. Ursinus volebat *Flavius;* Freinshemius *Calvisius*, ut cogitares de filio Sabini Calvisii, qui est 6, 9. cf. Hist. 1, 48. Sed in tali re vix quidquam pro certo adfirmari potest, quanquam Freinshemii coniectura verior quam vulgata scriptura videtur esse.

regebant. Sic ed. Spir. et e MS. Bud. edd. Rhen. sqq. — *regebat* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. (cum silent. Vict.). cf. not. ad 13, 12. unde patebit *regebat* non esse ineptum.

tramittebant. Sic MS. Flor. test. Vict. Alii inde adferunt *tramittebat.* In scriptura *tramittere* consentiunt loci 1, 13. 49. 56. aliique, et MSS. Flor. plerumque id verbum ita exhibent. Pro numero plurali stant MSS. Harl. Bodl. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc., quibus libris inest *transmittebant.* Edd. Rhen. sqq. *transmittebat* e MS. Bud.

equus, qui consularia insignia gestabat. De hoc more cf. Dionys. Hal. 10, 24. Plutarch. in Crasso c. 36. Obsequens 129. et Lipsius ad h. l. Pro *consularia* MS. Flor. (test. Vict.) habet *consiliaria*, quae frequens est confusio.

hostiaque quae muniebantur. Ed. Spir. *hostiam quae muniebantur.* Eadem mox *perrumpit* pro *perrupit.* MS. Guelf. *p̄rupit* h. e. *praerupit.* Idem liber omittit *quae* ante *muniebantur.*

Parthus hostis. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. — *Parthus hostilis* ed. Beroald. — *Parthus hostes* MS. Corb.

Cap. 8. *ominibus, necdum.* Ed. Spir. cum MS. Guelf. *omnibus nedum*, vulgari confusione. Etiam MS. Bud. aliique codd. (test. Broterio) ferunt *omnibus.* — MS. Harl. *ominibus* habet in margine. cf. not. ad Hist. 2, 1. 78. 4, 49. Edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *ominibus, necdum.*

reciperandis. Sic edd. recentiores inde a Lips. prima, praeeunte ed. Spir. quae cum MS. Guelf. habet *recuperandis.* cf. not ad 13, 9. 14, 5. — *recipiendis* edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. De aliis MSS. silentium est.

ut ferebat, Tigranocertis vastandisque regionibus, quas Corbulo integras omisisset. Et capta quaedam castella, gloriaeque et praedae non nihil partum, si aut gloriam cum modo aut praedam cum cura habuisset. longinquis itineribus percursando quae obtineri nequibant, corrupto qui captus erat commeatu et instante iam hieme reduxit exercitum composuitque ad Caesarem litteras quasi confecto bello, verbis magnificis, rerum vacuas.

IX. Interim Corbulo nunquam neglectam Euphratis ripam crebrioribus praesidiis insedit: et ne ponti iniiciendo impedimentum hostiles turmae adferrent (iam enim subiectis campis magna specie volitabant), naves magnitudine praestantes et connexas trabibus ac turribus auctas agit per amnem catapultisque et ballistis proturbat barbaros, in quos saxa et hastae longius permeabant quam ut contrario sagittarum iactu adaequarentur. Dein pons continuatus collesque adversi per socias cohortes, post legionum castris occupantur, tanta celeritate et ostentatione virium ut Parthi omisso paratu invadendae Syriae spem omnem in Armeniam verterent.

X. Ubi Paetus imminentium nescius quintam legionem procul in Ponto habebat: reliquas promiscuis

Tigranocertis. Sic (sive *Tygr.*) MS. Guelf. edd. vett. omnes cum silent. Vict. cf. not. ad c. 4 et 5.

non nihil. MS. Guelf. *unde nihil.*

et instante. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. et recentt. inde a Lips. prima. — *ut instante* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald.

verbis magnificis. Sic MS. Guelf. edd. vett. (c. sil. Vict.) et recentt. inde a Bernegg. — *magnificas* edd. Lips. Pich. Grut.

Cap. 9. *nunquam neglectam E. ripam.* MS. Guelf. *nunquam neglecta E. ripa.*

et ne ponti. MSS. Bud. Guelf. *ut ne ponti.*

proturbat. MS. Guelf. *perturbat.*

in quos saxa. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *in quo saxa*, littera *s* ut saepe absorpta a sequenti vocabulo.

permeabant. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *permanebant* MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir.

Cap. 10. *Ubi Paetus.* Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. (haec *Petus*, uti solet). — *Ibi P.* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

militum commeatibus infirmaverat, donec adventare Vologesem magno et infenso agmine auditum. accitur legio duodecuma, et unde famam aucti exercitus speraverat, prodita infrequentia: qua tamen retineri castra et eludi Parthus tractu belli poterat, si Paeto aut in suis aut in alienis consiliis constantia fuisset. verum ubi a viris militaribus adversus urgentes casus firmatus erat, rursus, ne alienae sententiae indigens videretur, in diversa ac deteriora transibat. et tunc relictis hibernis non fossam neque vallum sibi, sed corpora et arma in hostem data clamitans duxit legiones quasi proelio certaturus. deinde amisso centurione et paucis militibus, quos visendis hostium copiis praemiserat, trepidus remeavit. Et quia minus acriter Vologeses institerat, vana rursus fiducia tria millia delecti peditis proximo Tauri iugo imposuit, quo transitum regis arcerent: alares quoque Pannonios, robur equitatus, in parte campi locat. Coniunx ac filius castello, cui Arsamosata nomen est, abditi data in praesidium cohorte ac disperso milite, qui in uno habitus vagum hostem promptius sustentavisset.

infenso. Ed. Spir. *indefesso*, haud inepte.

unde famam a. e. speraverat. Sic MSS. Bud. Guelf. aliique (test. Broterio), edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Mox inrepsit *sperat* pro *speraverat* ex ed. Rhen. posteriore; in quam haud dubie operarum vitio illud venit. Ernestius restituit *speraverat.* At secundum collationem Iac. Gronovii MS. Flor. habet *fama*, et sic MS. Reg. (teste Broterio) ed. Spir., scilicet omissa lineola super altero *a.* Iac. Gronovius tamen coniecit legendum: *unde fama a. e. sperata erat*, quod Ernestius quoque probat. cf. not. ad 14, 62. sub verbo *elusa erat.*

a viris. MS. Guelf. *auris.*

et tunc. MS. Agr. *et nunc.* MS. Corb. *et nunc ... nunc neque fossam.*

deinde. Ed. Spir. *dein.*

delecti peditis. Sic edd. Pichen. sqq. — *delecti pedites* MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichena) Reg. Agr. Corb. Agr. ed. Spir. — *delectorum* (sine voce *militum*) MSS. Harl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — Mox MS. Guelf. *proxima* pro *proximo.*

Arsamosata. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. et sic Ptolem. 5, 13. — *Asamosata* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Polybius in excerptis p. 26. habet Ἀρμόσατα. Nummus in museo Mediceo Ἀρμοσατιηνων. cf. interprett. ad Plin. 6, 9.

in uno. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Corb. Bud. Guelf. (a sec. m.) edd. Spir. Pichen. sqq. — *in unum* MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. et ita a prima m. vide-

Et aegre compulsum ferunt, ut instantem Corbuloni fateretur. nec a Corbulone properatum, quo gliscentibus periculis etiam subsidii laus augeretur. expediri tamen itineri singula millia ex tribus legionibus et alarios octingentos, parem numerum e cohortibus iussit.

XI. At Vologeses, quamvis obsessa a Paeto itinera hinc peditatu inde equite accepisset, nihil mutato consilio, sed vi ac minis alares exterruit, legionarios obtrivit, uno tantum centurione Tarquitio Crescente turrim, in qua praesidium agitabat, defendere auso, factaque saepius eruptione et caesis, qui barbarorum propius suggrediebantur, donec ignium iactu circumveniretur. pe-

tur fuisse in Guelf., qui mox ab eadem m. rec. habet *habitu* pro *habitus*, quod prius fuit.

et aegre compulsum. Sic MSS. et edd. Put. M. et V. Ber. Alc. et deinde Pichen. sqq. Nam Rhenanus sustulerat copulam *et*, quae in MSS. Bud. et Guelf. primum omissa supra adscripta est. Hoc Oberlino sufficiebat, ut iterum deleret *et*. Restituo; nam solet sic Tacitus per *et* incipere locos, ut sequentia prioribus adnectat. cf. not. ad 1, 11. sub v. *et ille*. Ceterum ed. Spir. pro *et aegre* habet *ut aegre*, vulgari confusione. cf. not. ad Hist. 1, 15. Eadem mox *subsidiis laus* (uti est in MS. Guelf.) pro *subsidii laus*, et *ageretur* pro *augeretur*. cf. not. ad 14, 58. Guelf. habet *et* pro *etiam*.

ut instantem. Int. *hostem*, quod proxime praecedit. MS. Guelf. *ut instatèm*, omissa lineola super littera *a*. Ernestius frustra coniecit *necessitatem*. Hillerus supplet *tempestatem*, quod vix credo sic negligi posse. Ed. Spir. constanter scribit *Corbolo* pro *Corbulo*.

Cap. 11. *hinc peditatu inde e.* MS. Bud. *hinc peditatu*, *hinc e.* (non *hinc pedite*, uti Broterius refert). cf. Liv. 39, 11. Sueton. Vitell. c. 15. ubi similiter *hinc — hinc* se excipiunt. Sed vulgata tuentur potiores libri.

sed vi ac minis. Faërnus delebat *sed*, adplaudente Ernestio. Frustra. Tacitus imitatur Graecos, qui eodem usu per voculam *ἀλλά* participium et verbum finitum copulant. cf. Herodot. 1, 131. *Πέρσας δὲ οἶδα νόμοισι τοιοῖσδε χρεωμένους, ἀγάλματα μὲν καὶ νηοὺς καὶ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖσι ποιεῦσι μωρίην ἐπιφέρουσι.*

factaque. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) Guelf. Bud. Harl. Bodl. Ies. Corb. ed. Spir. — *facta* (sine copula) edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Verum *que* et sequens *et* aptissime invicem sibi respondent. Sic 4, 3. *seque ac maiores*; 12, 37. *ipsique et coniugi*; 4, 34. *et uterque opibusque atque honoribus perviguere*. Quare antiquam scripturam repono cum Iac. Gronovio.

eruptione. Ed. Spir. *evictione*. Eadem mox *prius* pro *propius*.

suggrediebantur. MS. Corb. *subgrediebantur*. MS. Guelf. *sugrediebantur*. Synonymum est *succedere*. cf. not. ad 2, 20.

circumveniretur. MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. *circumvenirentur*, haud absurde. Nam vix credibile est, unum hominem in turri praesidium egisse et inde saepius eruptionem fecisse; quare in-

ditum si quis integer, longinqua et avia, vulnerati castra repetivere, virtutem regis, saevitiam et copias gentium, cuncta metu extollentes, facili credulitate eorum qui eadem pavebant. ne dux quidem obniti adversis, sed cuncta militiae munia deseruerat missis iterum ad Corbulonem precibus, veniret propere, signa et aquilas et nomen reliquum infelicis exercitus tueretur: se fidem interim, donec vita suppeditet, retenturos.

XII. Ille interritus et parte copiarum apud Syriam relicta, ut munimenta Euphrati imposita retinerentur, qua proximum et commeatibus non egenum, regionem Commagenam, exin Cappadociam, inde Armenios petivit. Comitabantur exercitum praeter alia sueta bello magna vis camelorum onusta frumenti, ut simul hostem

telligi fortasse potest centurio cum suis militibus.

longinqua et avia. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Rhenan. sqq. — *per longinqua et avia* (nulla distinctione post *avia* posita) edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc., quae verba ita ferri posse censeo, ut distinctione post *avia* posita verbum finitum intelligas. cf. not. ad 1, 32. sub vv. *quod neque disiecti.* Commodior et verior tamen est vulgata scriptura.

ne dux quidem. Sic MS. Guelf. edd. Beroald. (c. silent. Vict.) Rhen. sqq. — *nec dux quidem* edd. Spir. Put. Alc., haud male.

iterum. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) Bud. Agr. edd. Spir. Rhen. sqq. — *item* MSS. Harl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc., quod e compendio scripturae ortum recte iudicat Ernestius. Freinsh. frustra coni. *identidem.*

veniret. MS. Guelf. *venire,* plena interpunctione post *propere* posita.

retenturos. Sic MSS. Flor. (test. Pichena) Bud. Guelf. aliique codd. et edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. Ald. Pichen. sqq., nec capio, quomodo Ernestius ad h. l. potuerit adfirmare in ed. Spir. esse *retenturos,* in ceteris ante Pichenam *retenturum.* Etiam Broterius Puteolano false tribuit *retenturum.* Decepti sunt per adnotationem Pichenae, qui dicit se restituisse *retenturos* in vulgatis esse *retenturum*, quod illi accepere de edd. Put. sqq. Sed Pichena ibi loquitur de edd. Lips. Ac tamen Kiessl. revocavit *retenturum.*

Cap. 12. *interritus.* Ed. Spir. *intentus.* Eadem mox *Suriam,* quum alibi scribat *Siria.* — *intentus* etiam MS. Agr. a manu secunda.

sueta bello. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichen.) Bud. Guelf. edd. Spir. Pich. sqq. — *assueta bello* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

camelorum. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. — *camellorum* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

onusta frumenti. Sic MSS et edd. vett. In posterioribus Lipsii edd. sqq. est *frumento.* Ernestius veterem formam restituit, exemploque firmavit e Plaut. Aul. 4, 2, 4, *aulam onustam frumenti.*

famemque depelleret. Primum e perculsis Pactium primi pili centurionem obvium habuit, dein plerosque militum: quos diversas fugae causas obtendentes redire ad signa et clementiam Paeti experiri monebat: se nisi victoribus immitem esse. Simul suas legiones adire, hortari, priorum admonere, novam gloriam ostendere: non vicos aut oppida Armeniorum, sed castra Romana duasque in iis legiones pretium laboris peti. Si singulis manipularibus praecipua servati civis corona imperatoria manu tribueretur, quod illud et quantum decus, ubi par eorum numerus apisceretur, qui attulissent salutem et qui accepissent? His atque talibus in commune

depelleret. MS. Guelf. *depellerent.*

primum e perculsis. Ed. Spir. *primumque perculsis.* MS. Agr. *primisque perculsis Pacuvium.*

Pactium. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *Paccium* MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. cf. 13, 36. ubi varietatem scripturae repperi nullam. Ricklefs diversum esse utrumque censet.

se nisi victoribus immitem esse. H. e. se nullam fugae excusationem accipere nec desertoribus ignoscere; se fugitivis immitem et nonnisi victoribus mitem esse. Sic bene locum I. Fr. Gronovius explicuerat. Ernestius sententiam rursus contorquet dubitationibusque indulget. Nihil autem magis abs re esse videtur, quam quod ille vocem *victoribus* ad Parthos vult referri. Strombeckius convertit: *er sey nur gegen Sieger milde*, atque in nota subiuncta admonet, se esse secutum emendationem *mitem* pro *immitem*. Sed tum debuisset dici: *er sey nur gegen Sieger unmilde.*

non vicos aut oppida. Ed. Spir. *non vias aut oppida.* Eadem mox pro *in iis* fert *ex his*, et *Peti* pro *peti*, nulla distinctione posita ante *si.* Deinde *praecipuas* pro *praecipua.* Littera *s* adhaesit e sequenti vocabulo. MS. Guelf. *in his* pro *in iis.*

ubi par .... accepissent. Locus multum vexatus. Brevitas scriptoris interpretibus tenebras offudit. Plenius dixisset: ubi tam multi eorum coronam servati civis apiscerentur, ut par esset numerus eorum, qui attulissent salutem et qui accepissent. Duae enim legiones tunc pretium erant laboris. Hoc tenendum est, ne acumen sententiae pereat. Nam par ille numerus tum demum praecipuum decus adferre potest, si multi sunt servatores et servati. Peccarunt interpretes in eo, quod in Corbulonis verbis quaererent sententiam in universum dictam, quasi par numerus servantium et servatorum omnino decus augere dicatur. Id si Corbulo voluisset, potius dixisset *adferrent* — et *acciperent.* Iam vero per formam aoristi *attulissent* et *accepissent* satis ostendit sermonem esse de illo eventu, qui tunc agebatur. Quam impeditiorem sane loci rationem quum interpretes non intelligerent, de emendando contextu varia coniecerunt. Lipsius pro *apisceretur* volebat *aspiceretur;* secutus est Strombeckius. Neque tamen hac emendatione commodiorem fieri sententiam vidit Ernestius. Speciosior esse videtur coniectura, ex qua Ricklefs pro

alacres (et erant quos pericula fratrum aut propinquorum propriis stimulis incenderent) continuum diu noctuque iter properabant.

XIII. Eoque intentius Vologeses premere obsessos, modo vallum legionum modo castellum, quo imbellis aetas defendebatur, adpugnare, propius incedens quam mos Parthis, si ea temeritate hostem in proelium eliceret. At illi vix contuberniis extracti, nec aliud quam munimenta propugnabant, pars iussu ducis et alii propria ignavia, ut Corbulonem opperientes, ac si vis ingrueret, provisis exemplis Caudinae ac Numantinae cladis. ne-

et ponit *ac*, vi comparandi. Sed ad sensum eadem vi gaudet vulgatum. Nam Tacitus in tali contextu *et* ponit pro *ac*. Cf. Hist. 1, 72. *diverso adfectu, quibus odium Neronis inerat et quibus desiderium.* Ceterum de varietate scripturae animadvertenda sunt haec. MS. Reg. pro *par eorum numerus* exhibet *per eorum numerum.* — MS. Flor. (test. Vict. c. aliis) *apisceretur*, quod recepere Ryckius, Iac. Gronovius, Bipont. Oberl. sqq. — *adipisceretur* MSS. Harl. Bodl. Ies. Corb. Bud. Guelf. Reg. edd. vett., uti est 11, 22. et 12, 30. MS. Flor. (test. Vict.) *adtulissent.*

diu noctuque. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. et recentt. inde a Lips. prima. — *die noctuque* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. et sic Hist. 3, 76. Contra Hist. 2, 5. *noctu diuque.* Quaeritur, utrum sit verum. Puto utrumque.

Cap. 13. *adpugnare.* Sic MS. Flor. (test. Vict c. Pichena) edd. Pichen. sqq. — *oppugnare* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Rhenan. sqq. cf. 2, 81. 4, 48. — MSS. Bud. Agr. Corb. ed. Spir. *ad pugnam*, plena distinctione ante *ad* posita.

nec aliud. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Rhen. (e MS. Bud.) sqq. — *ne aliud* edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc.

ut Corbulonem. Ex emendatione Rhenani, quem secuti sunt Ald. Lips. (in prioribus edd.) Grut. Pich. Ryck. Ernest. sqq. Nam edd. Put. M. et V. Ber. Alc. et MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. *aut metu: Corbulonem* etc. eaque restituerant Bernegg. et Gronovii, diversa interpunctione. MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. Agr. Reg. Corb. ed. Spir. *aut Corbulonem* et sic ed. Lips. 1607. MSS. Harl. Ies. *Corbulo opperiens* pro *Corbulonem opperientes.* Vitium, ut saepe, inde exortum est, quod *a* in fine praecedentis vocabuli cum *ut* coaluerat, quanquam satis dubito, annon restituenda sit scriptura cod. Flor. quae in se nil habet absurdi.

ac si vis. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *ac vis*, omisso *si*, MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. Coniicio genuinam scripturam esse *ac vis si ingrueret*, unde facile potuit oriri *ac vis ingr.*

C. ac Numantinae cladis. neque eandem etc. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. In MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. est *Caudinae: Num antinaeque: eandem* etc. Terminatio vocabuli *Caudinae* absorpsit voculam *ac;* et *neque* coaluit cum terminatione vocis *Numantinae.* An *cladis* in tali contextu omitti possit, valde dubito. MS. Agr. fert *Caud. Nu-*

que eandem vim Samnitibus Italico populo aut Poenis Romani imperii aemulis. Validam quoque et laudatam antiquitatem, quotiens fortuna contra daret, saluti consuluisse. Qua desperatione exercitus dux subactus primas tamen litteras ad Vologesem non supplices, sed in modum querentis composuit, quod pro Armeniis semper Romanae ditionis aut subiectis regi, quem imperator delegisset, hostilia faceret: pacem ex aequo utilem, nec praesentia tantum spectaret: ipsum adversus duas legiones totis regni viribus advenisse: at Romanis orbem terrarum reliquum quo bellum iuvarent.

mantinaeque deditionis, quae scriptura debetur emendatori. De re cf. Liv. 9, 1 sqq. Flor. 1, 16. et 2, 18.

aut Poenis Romani imperii aemulis. Validam etc. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq., nec quisquam e MSS. varietatem scripturae prodidit. Sed Poenis quum nullae hic viderentur esse partes, viri docti auctoribus Freinshemio et I. Fr. Gronovio *Poenis* mutarunt in *Hispanis*, ad quos pertineat Numantina clades. Deinde ut verba: *Romani imperii aemulis* haberent quo recte referrentur, post *Hispanis* addidere *ac* vel *quam Parthis*. At hoc est vim inferre scriptori. Nam ne vestigium quidem eius scripturae est in vett. libris. Hinc Bekkerus nuper vocabula *ac Parthis*, ut receptione non digna, uncis inclusit. Vocabulum *Hispanis* retinuit. Sed *Hispani* nunquam satis apte dici poterunt *Romani imperii aemuli*, quod bene animadvertit Broterius, qui retinuit veterem scripturam. At obiiciunt Numantinam cladem non pertinere ad bella Punica. Recte, si stricte rem accipis. Verum bella Romanorum in Hispania gesta omnino a Poenis coepere. cf. Flor. 2, 17. *Nec cum Hispanis initio, sed cum Poenis in Hispania* (sc. dimicatum est). *Inde contagio et series causaque bellorum.* Quanquam igitur Numantia post Carthaginem demum deleta est, satis tamen constat bellum Numantinum artissime cohaerere cum dimicatione adversus Poenos; immo exodium quasi fuisse atque appendicem belli Punici. Quod cum ita sit, nil impedit quo minus Numantina illa clades referatur inter damna Romanorum ab aemulis imperii sui Poenis accepta. Additamentum *ac Parthis* melius apud Tacitum intelligitur ad vocem *eandem*. Mox pro *contra daret* MS. Bud. *contradiceret*.

qua desperatione. MS. Guelf. *contra desperationem*.

primas tamen. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *primas tantum* ed. Spir., quod vitium e compendio *tñ* (sic edd. Put.) exortum puta.

in modum. Ed. Spir. *in medium*. Eadem mox *pro Armenis*.

ditionis. Sic MS. Guelf. edd. vett. et recentt. — *dicionis* MS. Flor. test. Vict.

subiectis regi, quem imperator d. etc. Ed. Spir. *subiectis r. p. q̃ imperator delegisset: et hostilia* etc. Eadem c. cod. Bud. mox: *ne praesentia* pro *nec praes.* et deinde ipsa sola *at romani* pro *at Romanis*. — MS. Guelf. *ne presentia tamen*. MS. Bud. *utili* pro *utilem*.

XIV. Ad ea Vologeses nihil pro causa, sed opperiendos sibi fratres Pacorum ac Tiridatem rescripsit: illum locum tempusque consilio destinatum, quo de Armenia cernerent, — adiecisse deos dignum Arsacidarum, —

Cap. 14. *opperiendos.* MS. Guelf. *opprimendos.* Idem mox *sibi* habet a sec. m.; a pr. m. fuit *si.*

ac Tiridatem. Ed. Spir. *et Tiridatē.*

illum locum tempusque consilio destinatum. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *Locum illum tempusque* etc. ed. Spir.; unde MS. Agr. facit: *Locum illis tempusque*, quod placuit Ryckio et Heinsio; hic tamen malebat: *illis locum tempusque condestinatum iri.* Oberlinus Ryckium secutus est; Bekkerus veterem scripturam restituit. Recte. Sed quaeris: *quem locum*? nam de loco nondum dictum est. Verum non de certo quodam loco illud vocabulum accipiendum credas; immo *locus tempusque* solemnis est formula de occasione rei agendae. cf. 4, 10. 2, 65. Hist. 2, 80. et in hoc ipso libro c. 18. *locum diemque* similiter Noster coniungit. Vocabulum *illum* respicit ad *fratres opperiendos*, ut *illum locum tempusque* intelligas de illa occasione, quam praeberet fratrum conventus. Kiesslingius Ryckii scripturam reposuit.

quo de Armenia cernerent. Sic codex Ursini edd. Ber. (c. silentio Vict.) Ryck. (e MS. Agr.) Ernest. Brot. Oberl. sqq. — *quod de Armenia c.* MSS. Harl. Bodl. Reg. ed. Spir., in qua scriptura, ut saepissime, littera *d* in *quod* exorta est e duplicatione sequentis litterae. Inde emendationis causa factum est *quid d. Arm. c.*, quod inest MSS. Ies. Corb. Bud. edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. idque nuper repetiit Bekkerus. MS. Guelf. dat *qui.* Quod omnino falsum est nec satis elegans formula: *consilium, quod de aliqua re cernas. Quid* tolerari potest, ut intelligas: *consilio*, in quo consultarent, *quid* etc. Simile plane illud est, quod c. 16. legimus: *litterae Neronis, an paci adnueret* h. e. *litterae N.*, unde cognosceretur, *an paci adn.* Verius tamen esse *quo* non dubitabis.

adiecisse deos dignum Arsacidarum, simul et de cet. Sic libri vett., nisi quod MS. Agr. nugatur: *cernerent, quod se fastigioque dignum Arsacidarum, simul et* cet. Placuere tamen haec Ryckio. Nec defuere virorum doctorum coniecturae. Rhenanus: *adiecisset eos, dignum Arsacidarum* etc. hoc sensu: *adiecisset* (Vologeses) *eos* (*fratres*), *ut digne Arsacidis simul et Romanis statuerent.* Vertranius et Ursinus: *simul ut* pro *simul et.* Acidalius: *adiecisse deos fastigio Arsacidarum, simul et de l. R. st.* Grotius: *allegisse deos illum locum tempusque dignum Arsacidarum consilio destinatum, quid de Armenia cernerent, simul et de l. R. statuerent.* Alii alia aeque vana, quae referre taedet. Nam vetus scriptura sine labe est. *Dignum* h. e. aliquid, quod dignum sit, pro substantivo. cf. An. 6, 29. *ut dignum veteribus Aemiliis.* Vocabulum *dignum*, praesertim in tali loco, cum genitivo coniungi posse, exemplis docuere Heinsius ad Ovid. Trist. 4, 3, 57, et Schwabe ad Phaedr. 4, 20. Verba: *simul et . . . statuerent*, continuant structuram, quae coepit a *quo*; interponuntur: *adiecisse . . . Arsacidarum*, ut sequentia cum maiore gloria efferantur. Et Oberlinus quidem illa parenthesi circumdederat suadente Salinerio. Malui loci rationem insignem facere lineolis, quis ita solemus uti. Nam parenthesis ceret hic non est.

simul et de legionibus Romanis statuerent. Missi post a Paeto nuntii et regis colloquium petitum, qui Vasacem praefectum equitatus ire iussit. Tum Paetus Lucullos, Pompeios et si qua Caesares obtinendae donandaeve Armeniae egerant, Vasaces imaginem retinendi largiendive penes nos, vim penes Parthos memoravit. et multum invicem disceptato Monobazus Adiabenus in diem posterum testis iis, quae pepigissent, adhibetur. placuitque liberari obsidio legiones et decedere omnem militem finibus Armeniorum castellaque et commeatus Parthis tradi. quibus perpetratis copia Vologesi fieret mittendi ad Neronem legatos.

XV. Interim flumini Arsaniae (etenim is castra

missi post a Paeto. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *missi posthac Peto* MSS. Harl. Bodl. Ies. Corb. Guelf. Et aliud quid, quam quod vulgatur, hic latere arguit quoque scriptura cod. Flor. qui (test. Vict.) fert *aa* pro *a* ante *Paeto*.

Vasacem. Sic (sive *Vasacen*) MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *Vasatem* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

tum Paetus. Ed. Spir. *tunc Petus.*

et si qua Caesares. Sic edd. Bernegg. sqq. ex emendatione Pichenae, ad quam praeivit MS. Flor. *et siquaces* (test. Vict. c. Pich.) Sic et MS. Bud. (pr. m.). — *et Siquaces* ed. Spir. — *et sequaces* MS. Reg. — *et si qui duces* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Sic et MS. Bud. a sec. m. Aberrat MS. Agr. *Pompeios et Scipiones obtinendae donandaeve Armeniae arbitros fuisse ait.*

Vasaces. Ita hic MS. Guelf. — Ed. Spir. *Vazaces.* MS. Flor. (test. Vict.) *Vasacen.* Edd. Put. sqq. *Vasates.* Rhenanus dedit *Vasaces.*

largiendive. Sic MSS. Flor. (test. Pich. et Iac. Gronov.) Reg. Corb. Bud. Agr. edd. Spir. Ber. (c. sil. Vict.) Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *donandive* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq.

penes nos. Sic edd. Put. sqq. (c. sil. Vict.). — *penes suos* ed. Spir. cuius vitii originem facile invenies. In MS. Guelf. *suos* est a rec. manu.

memoravit. Sic edd. Beroald. (c. sil. Vict.) et recentt. inde ab ed. Gron. 1672. — *memorat* MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. De aliis MSS. silentium est.

Monobazus. Sic edd. Rhen. sqq. — *Monabazus* ed. Spir. — *Monobanzus* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Sed cf. c. 1.

testis iis. Ed. Spir. *testis his*, uti solet.

Cap. 15. *flumini.* Sic edd. Spir. Ber. (c. sil. Vict.) Pich. sqq. et MS. Bud. aliique. — *fluvio* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Alc. Rhenan. sqq.

Arsaniae (etenim is castra p.), MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Corb. ed. Spir. *Arsanieti: is castra p.* — MS. Reg. *Arsaneti.* — MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. Agr. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *Arsameti.* Sed verum fluminis nomen Lipsius restituit e Dion. 62, 21, et *Arsaniam* mox habent MSS.

praefluebat) pontem imposuit specie sibi illud iter expedientis: sed Parthi quasi documentum victoriae iusserant. namque iis usui fuit: nostri per diversum iere. Addidit rumor sub iugum missas legiones et alia ex rebus infaustis, quorum simulacrum ab Armeniis usurpa-

Taciti. cf. Plin. 5, 24. Plutarch. Lucull. c. 31. Vitium veterum librorum exortum ex confusione quadam vocabulorum et genuinam scripturam esse: *Arsaniae* (*etenim is* etc.) egregie divinavit idem Lipsius, cuius emendationem recte receperat Pichena. Ryckius rursus expulit *etenim*, ediditque: *Arsaniae* (*is c.p.*); Ryckium secuti sunt Ernest. Oberl. sqq. Sed nil Lipsii coniectura verisimilius est; *etenim* per compendium scriptum cum praecedente vocabulo coaluit, unde originem traxit *Arsanieti*, et deinde *Arsameti*. Iac. Gronovius malebat: *Arsaniae* (*cis castra praefluebat*), ut pateret, qua parte praeflueret. Sed hoc satis e contextu patet.

praefluebat. Sic MS Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. — *perfluebat* MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. e vulgari praepositionum *prae* et *per* confusione. *Praefluere* dicitur ut *praevehi* 2, 6. Vid. ibi not.

expedientis. Ex Lipsii et Grotii emendatione, quam Ryckius recepit in marginem, in contextum Ernestius. Consentiunt MSS. Harl. et Ies. — *experientis* MSS. Flor. (sec. collat. Iac. Gronovii) Reg. Corb. Bud. (pr. m.) edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. In MS. Guelf. e coniectura Ernestii a pr. m. fuit *expedientis*; correctum est in *experiendi*, quod a sec. m. etiam Bud. habet. MS. Agr. (teste Ryckio) aberrat in: *spe sibi illud tunc expetendi sumpserat*; super *tunc* scriptum est *iter*. Quodsi quis velit cum Bipontinis praeferre *experientis*, nil obstat. Nam quod Ernestius animadvertit, *sibi* nullo modo pati *experientis*, vanum est: *sibi* opponitur *Parthis*, h. e. in suum usum et sponte. *Experiri* est πειρᾶν, tentare. Sueton. Vesp. c. 7. *Quum vix fides esset rem ullo modo successuram ideoque ne experiri quidem auderet* etc. Elegans tamen est *expedientis* et similis utriusque verbi confusio apud Sueton. Cal. c. 41.

iis usui fuit. MS. Guelf. *fuerat*. Ed. Spir. *his usui fuit*. Pro *namque* Lipsius malebat *neque*, ob locum Dion. 62, 21. ἵνα τὸν ποταμὸν Ἀρσανίαν ζεύξωσιν· οὐχ ὅτι γεφύρας ἐδεῖτο (πεζῇ γὰρ αὐτὸν διεληλύθει), ἀλλ' ἵνα ἐνδείξηται σφίσιν, ὅτι κρείττων αὐτῶν ἦν. Freinshemius tamen recte animadvertit *namque* satis defendi per orationis contextum, et sequens *nostri* stricte opponi *iis*.

per diversum. MS. Guelf. *per diversa*.

addidit rumor. cf. Sueton. Ner. c. 39. Dio l. l.

quorum simulacrum ab A. usurpatum est. Strombeckius: *dessen Wahrscheinlichkeit die Armenier benutzten*. Bicklefs: *dessen W. v. d. A. benutzt ward*. Hackius: *deren Anschein der Armenier Anmaſsung bestärkte*. Quae sententiae nullo modo inesse possunt. *Simulacrum* alicuius rei dicitur, quod ei rei simile quidem, neque tamen ipsa est res. cf. 1, 77. *simulacra libertatis*; 11, 31. *simulacra vindemiae*. Igitur intellige eam agendi rationem tum esse usurpatam adversus legiones, ut, quanquam non sub iugum missae, quaeque alia credebantur, similia sane expertae sint. Haec accuratius explicantur per sequentia. Nimirum Tacitus operam dat, ut Romanos liberet ab illa ignominia, quam rumor addiderat, dicitque

tum est. namque et munimenta ingressi sunt, antequam agmen Romanum excederet, et circumstetere vias captiva olim mancipia aut iumenta agnoscentes abstrahentesque. raptae etiam vestes, retenta arma pavido milite et concedente, ne qua proelii causa exsisteret. Vologeses armis et corporibus caesorum aggeratis, quo cladem nostram testaretur, visu fugientium legionum abstinuit. fama moderationis quaerebatur, postquam superbiam expleverat. flumen Arsaniam elephanto insidens, proximus quisque regem vi equorum perrupere, quia rumor incesserat pontem cessurum oneri dolo fabricantium. sed qui ingredi ausi sunt, validum et fidum intellexere.

contumeliose sane Romanos tractatos esse, atque inde rumorem exortum, quasi sub iugum sint missae legiones, et alia ex rebus infaustis.

namque et m. . . . . excederet. Sic MSS. Flor. (test. Pichena) Harl. Bodl. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Pichen. sqq. — *nam et m. . . . . decederet* Rhenan. sqq. duce MS. Bud., in quo est *namque m. . . . . decederet.* MS. Ies. *nam et m. . . . . excederet.* MS. Corb. *abscederet.*

agnoscentes. MSS. Flor. (test. Vict.) et Bud. *adnoscentes.* Edd. vett. cum Guelf. *agnoscentes.* cf. not. ad 6, 8.

aggeratis. MS. Guelf. edd. vett. (cum sil. Vict.) *aggregatis.* Sed duxi cum Heinsio scribendum *aggeratis.* cf. 1, 61. *ossa disiecta vel aggerata;* 6, 19. *dispersi aut aggerati.*

fama moderationis. Sic edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *nam fama m.* MSS. Reg. Corb. ed. Spir. et MS. Guelf. (a sec. m.).

Arsaniam. Sic edd. Spir. Pich. sqq. et codd. MSS. — *Arsametem* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Victorii) Alc. Rhen. sqq. — *flumine Arsamete* MS. Guelf. cf. supra not.

elephanto. MSS. Bud. Guelf. *in elephanto.*

proximus quisque regem. Sic MSS. Flor. (test. Pichena) Reg. Guelf. Agr. Harl. Bodl. Ies. Corb. edd. Spir. Iac. Gronov. Ernest. sqq. Victorius intactum reliquit *regi*, quod praeferunt edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Sed cf. Liv. 8, 32. *qui proximi forte tribunal steterant.* Caes. B. G. 1, 54. *Ubii proximi Rhenum incolunt.* Sallust. Iug. c. 49. *propior montem.* Ante *proximus* edd. Put. M. et V. sqq. addunt *et*, quod hodieque vulgatur. Sed cum ea copula absit a MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Agr. Reg. Guelf. ed. Spir., recte omissa est a Iac. Gronovio et Broterio. Pro *vi* ed. Spir. vulgari errore habet *in.*

perrupere. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *perrumpere* MSS. Agr. Guelf. *prorupere* ed. Spir. — Mox MS. Guelf. *cesserat* pro *incesserat.*

validum et fidum. Sic MSS. Bud. Corb. edd. Rhen. sqq. — *validos et fidos* ed. Spir. — *validum et firmum* MSS. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc.

XVI. Ceterum obsessis adeo suppeditavisse rem frumentariam constitit, ut horreis ignem iniicerent, contraque prodiderit Corbulo Parthos inopes copiarum et pabulo attrito relicturos oppugnationem, neque se plus tridui itinere abfuisse. Adiecit iureiurando Paeti cautum apud signa, adstantibus iis quos testificando rex misisset, neminem Romanum Armeniam ingressurum, donec referrentur litterae Neronis, an paci adnueret. Quae ut augendae infamiae composita, sic reliqua non in obscuro habentur, una die quadraginta millium spatium emensum esse Paetum desertis passim sauciis, neque minus deformem illam fugientium trepidationem quam si terga in acie vertissent. Corbulo cum suis copiis apud ripam Euphratis obvius non eam speciem insignium et armorum praetulit, ut diversitatem exprobraret: maesti manipuli ac vicem commilitonum miserantes ne lacrimis quidem temperare. vix prae fletu usurpata

Cap. 16. *horreis.* Ed. Spir. *orreis.* Sic *orti* pro *horti* 11, 1.

prodiderit. In commentariis opinatur Lipsius, cf. Plin. 5, 24. 6, 8. Ryckius contradicit cogitatque de epistolis. Non esse verisimile ait Tacitum contra illum dicturum fuisse, si in iusta historia prodidisset. Quae tamen ratio minime sufficit ad Lipsium refellendum. Immo tempus in *prodiderit* et *adiecit* satis testatur monimenta Corbulonis, quibus haec tradebantur, durasse ad Taciti aetatem. Sed utriusque viri opinio ita conciliari potest, ut cogitemus de epistolis Corbulonis ad Caesarem de illa re missis (*amtlicher Bericht*), quae superfuere in actis publicis.

attrito. Ed. Spir. *actuto.*

itinere. Sic MS. Bud. et inde edd. Rhen. sqq. — *itineri* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silentio Vict.) Alc. Quaeritur an veteres habuerint ablativum *itineri*, ut *imbri* ab *imber*.

abfuisse. Ed. Spir. *adfuisse.* Eadem mox *adiicit* pro *adiecit;* deinde *his* pro *iis*, et cum Guelf. *referentur* pro *referrentur*, quod habent edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. *Referentur* etiam in MS. Bud. esse testatur Oberlinus. Sed de Flor. Oberlinus falsus est. Nam Pichena inde diserte prodidit *referrentur*, quod ipse reposuit, cum *referantur* tum temporis vulgaretur per edd. Lips. priores. Nec Victorius neque Iac. Gronovius contra Pichenam dixere. Ante *testificando* in Oberlini editione operae dederant *quod* pro *quos*, miro cum adplausu. Nam Weikertus, Naudetus et Weisius illud *quod* recepere in suas editiones.

vertissent. Ed. Spir. *vertisset.*

apud ripam E. Sic edd. Put. sqq. MS. Flor (test. Vict.) pro *apud* fert *aput*, ut alibi interdum. Ed. Spir. *ad ripam Eufratis.* — *Ad ripam* etiam MS. Corb. Mox MS. Bud. ante *armorum* omittit *et.* Male. MS. Guelf. pro *speciem* fert *spem*, vulgari confusione.

diversitatem. MS. Agr. *adversitatem*, unde Heinsius volebat fieri *adversa fati.*

temperare. Sic MSS. Flor. (test. Pichen.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc.

consalutatio. decesserat certamen virtutis et ambitio gloriae felicium hominum adfectus: sola misericordia valebat et apud minores magis.

XVII. Ducum inter se brevis sermo secutus est. hoc conquerente inritum laborem, potuisse bellum fuga Parthorum finiri, ille integra utrique cuncta respondit: converterent aquilas et iuncti invaderent Armeniam abscessu Vologesis infirmatam. Non ea imperatoris habere mandata Corbulo: periculo legionum commotum e provincia egressum. quando in incerto habeantur Parthorum conatus, Syriam repetiturum. sic quoque optimam Fortunam orandam, ut pedes confectus spatiis itinerum alacrem et facilitate camporum praevenientem equitem adsequeretur. Exin Paetus per Cappadociam hibernavit. At Vologesis ad Corbulonem missi nuntii, detraheret castella trans Euphratem amnemque ut olim

Iac. Gronov. sqq. — *temperavere* MS. Bud. edd. Rhen. sqq. Heinsius nescio qua fide e MSS. Flor. et Agr. adfert *temperareve*.

consalutatio. Sic edd. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *consolatio* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V.

minores. H. e. inferiores. Sic c. 20. *praevalidi provincialium et opibus nimiis elati* opponuntur *minoribus*. Sueton. Oct. c. 94. *ne minor* (h. e. inferior) *inveniretur*. *Minoribus* mox opponuntur *duces*.

Cap. 17. *hoc conquerente inritum* etc. Ex emendatione Faërni, quam praeeunte Berneggero recentiores edd. recepere omnes. MSS. Flor. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. *hoc conquerentium irritum* etc. — MS. Bud. edd. Spir. Rhenan. sqq. pro *hoc* ferunt *haec*. Lipsius coniectabat: *Hic conqueri, tantum irritum l.* Pichena *hoc conquerente, suum irritum l.* Maluerim: *hoc conquerente, iam inritum l.* Ernestio videbatur scribendum: *huic conquerenti.* Et teste Broterio sunt codd. MSS. qui habeant *hic conquerentium*. Mox pro *potuisse* MS. Guelf. fert *pocius se*.

utrique. MS. Corb. *utrinque*, permutatione ob compendium scripturae facili.

et iuncti. Ed. Put. V. cum cod. Guelf. *et vincti*, vulgari errore.

habere mandata. Ed. Spir. omittit verbum *habere*. Eadem mox *ex provincia* pro *e prov*.

in incerto. MS. Guelf. non habet *in*.

habeantur. Ed. Ber. *habebantur*. Victorius e MS. Flor. correxit in *habeantur*.

Syriam. Ed. Spir. *Suriam*, ut supra. Eadem mox *facilitatẽ* pro *facilitate*.

adsequeretur. Sic ed. Spir. — *assequeretur* edd. Put. Ceterum Strombeckius non dubitat de equitatu Parthorum hic esse sermonem, verbumque *adsequi* convertit *zuvorkommen*, quod non inest. Ricklefs de Corbulonis equite haec intelligit. Recte.

at Vologesis. MS. Guelf. *ac Vologesi*.

ut olim. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. aliique codd., edd.

medium faceret. ille Armeniam quoque diversis praesidiis vacuam fieri expostulabat. et postremo concessit rex: dirutaque quae Euphratem ultra communierat Corbulo et Armenii sine arbitro relicti sunt.

XVIII. At Romae tropaea de Parthis arcusque medio Capitolini montis sistebantur decreta ab senatu integro adhuc bello neque tum omissa, dum aspectui consulitur spreta conscientia. Quin et dissimulandis rerum externarum curis Nero frumentum plebis vetustate corruptum in Tiberim iecit, quo securitatem annonae sustentaret. cuius pretio nihil additum est, quamvis ducen-

Spir. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Pichen. sqq. — *ut omnium* MS. Bud. et inde edd. Rhen. sqq. ad Pichenam.

dirutaque quae. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Pich. sqq. — *diruta quaeque* MSS. Guelf. Bodl. Ies. (sic et Flor. Agr. teste Ryckio) ed. Spir., vulgari vitio, quod ortum est e scriptura *quequę*. Nam MS. Guelf. ed. Spir. habent *quęque*. MS. Bud. et inde edd. Rhen. sqq. *diruptaque quae.*

Euphratem ultra. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Guelf. Agr. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Ryck. I. Gronov. — Rhenanus (ut videtur e MS. Bud.) sqq. et inter recentiores Ernest. Oberl. sqq. edidere *ultra Euphratem* vel *Euphraten.*

communierat. Ed. Spir. cum cod. Guelf. *comminuerat.*

sine arbitro. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. I. Gron.) Agr. Corb. edd. Spir. et Iac. Gronov. sqq. — *suo arbitrio* MSS. Bodl. Bud. (a sec. m.) edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *sine arbitrio* MSS. Bud. (pr. m.) Guelf. Harl. Ies. Reg. cf. 1, 26. Kiesslingius falso tradit Pichenam restituisse *sine arbitro.*

Cap. 18. *tropaea.* Sic edd. recentt. inde ab ed. Gron. 1672. — *trophea* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.). — *trophaea* edd. Alc. Rhen. sqq.

ab senatu. Ed. Spir. *a senatu.* Eadem mox *amissa* pro *omissa* (cf. not. ad 14, 26. 15, 5.) et *spreto* pro *spreta.* MS. Guelf. *tamen* pro *tum.*

plebis. MS. Ies. *plebi*, et sic fuit in MSS. Harl. Bodl. Guelf., ubi postea emendatum est *plebis.*

sustentaret. Sic MSS. et vett. edd. omnes praeter MS. Agr., ex quo Ryckius dedit *ostentaret*, idque hodie vulgatur. Edd. Lips. *sistentaret.* Nam *sustentaret* fere omnibus interpretibus suspectum erat. „Qui frumentum corruptum in Tiberim iactat, ait Ryckius, is potius minuit quam sustentat annonam." Fallitur. Immo qui frumentum corruptum retinet, is ostentat penuriam esse frumenti et securitatem annonae minuit. Qui vero in Tiberim iactat, is ostentat tantum frumenti adesse, ut corruptum proiici liceat; annonae securam igitur reddit plebem h. e. *securitatem annonae sustentat.* Nolebat quippe Nero plebem annonae anxiam esse ob clades externas. cf. infr. c. 36. *quae praecipua cura est* etc. Kiessl. reposuit *sustentaret.*

pretio. Sic MS. Flor. (test. Vict.). — *precio* edd. vett. cum cod. Guelf.

tas ferme naves portu in ipso violentia tempestatis et centum alias Tiberi subvectas fortuitus ignis absumpsisset. Tris dein consulares L. Pisonem, Ducennium Geminum, Pompeium Paullinum vectigalibus publicis praeposuit cum insectatione priorum principum, qui gravitate sumptuum iustos reditus anteissent: se annuum sexcenties sestertium rei publicae largiri.

XIX. Percrebruerat ea tempestate pravissimus mos, cum propinquis comitiis aut sorte provinciarum plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios, praeturasque et provincias inter patres sortiti statim emitterent manu, quos adoptaverant. Magna cum invidia senatum

Tiberi subvectas. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. cf. 2, 60. *Nilo subvehebatur.* At Ryckio testante MSS. Flor. Agr. et (test. Oberl.) Bud. *Tiberim subvectas.*

absumpsisset. Sic MSS. Guelf. Bud. et inde edd. Rhenan. sqq. — *assumpsisset* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc.

Ducennium. MS. Flor. test. Iac. Gron. *Ducenium.* Edd. vett. (c. sil. Vict.) vulgatum tuentur, quod legitur etiam in Guelf.

Geminum. Sic MS. Guelf. edd. Spir. et recentt. inde a Lips. prima. cf. Hist. 1, 14. *Geminium* edd. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. *Gemonium* ed. Ald.

priorum principum. Ed. Spir. *principum priorum.*

gravitate. Ed. Spir. *gratuitate.*

iustos reditus. H. e. solitae et iustae normae congruentes. Male convertunt: *hinlängliches* vel *gebührendes Einkommen.* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Alc. *redditus;* edd. Ber. (c. sil. Vict.) Rhen. sqq. *reditus.*

anteissent. H. e. qui graviores sumptus fecissent, quam iusti reditus paterentur (*überschreiten*). Nil igitur opus est emendatione Bip. *auxissent.* cf. 3, 66. *suasmet ipse spes anteire parat;* 3, 69. 75. 4, 40.

Cap. 19. *pravissimus mos.* Sic edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. At test. Iac. Gronovio MS. Flor. praefert *pravissimos cum*, ita ut *prauissi* sit finis versiculi et *mos cum* faciant initium sequentis. Sed vetus eademque manus inde fecit *pravus mos cum*, quod placet Iac. Gronovio. Satis tamen verisimile est scribam, quum lapsu omisisset syllabam *mus*, deinde locum, quo brevissimo modo fieri potuit, correxisse. MS. Guelf. scribit *puissims mos:* sed prius vocabulum est a sec. manu.

adsciscerent. Ed. Spir. *adsciscēt.*

magna cum invidia. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gr.) Bud. Agr. Harl. Bodl. Ies Reg. Guelf. Corb. edd. Spir. Ernest. et nuper Bekker. — *qui magna c. inv.* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. ad Ernestium, et postea Oberl. sqq. „Non enim, ait Oberlinus, indicatur, si omittas *qui*, qui sint illi, qui senatum adierint, sc. patres veri." Sed quaero, an addito *qui* magis constet de iis, qui senatum adierint? Est potius eadem ambiguitas, immo intolerabilior. Potest enim *qui* referri ad *quos adoptaverant*, potest etiam ad eos, *qui emitterent;* ad *patres* referendum esse tum demum patet, cum sequentia perlegeris. Quare prorsus inutile est *qui.* Verba: *adeunt,*

adeunt, ius naturae, labores educandi adversus fraudem et artes et brevitatem adoptionis enumerant: satis pretii esse orbis, quod multa securitate, nullis oneribus gratiam, honores, cuncta prompta et obvia haberent. sibi promissa legum diu exspectata in ludibrium verti, quando quis sine sollicitudine parens, sine luctu orbus longa patrum vota repente adaequaret. Factum ex eo senatus consultum, ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici iuvaret ac ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset.

XX. Exin Claudius Timarchus Cretensis reus agitur, ceteris criminibus ut solent praevalidi provincialium et opibus nimiis ad iniurias minorum elati: una vox eius usque ad contumeliam senatus penetraverat, quod dictitasset in sua potestate situm, an proconsulibus, qui Cretam obtinuissent, grates agerentur. Quam occasionem Paetus Thrasea ad bonum publicum vertens,

enumerant, accipe indefinite posita: *man geht an den Senat* etc.

adeunt, ius naturae etc. Ex optima Rhenani emendatione. — MSS. Flor. (t. V.) Bud. *adeuntibus naturae*. Ed. Spir. *adeuntibus. ne labores* etc. Illud *ne* haud dubie, ut multa vitia, ortum est e compendio scripturae pro *naturae*. MS. Corb. *adeuntium* (an sequente vel omisso vocabulo *naturae* Broterius non prodidit). MSS. Harl. Ies. Guelf. *adeunt, ubi naturae*. Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *adeunt ibi naturae munus labores* etc. Oberlinus de MS. Corb. notam Broterii male intellexerat. Minime enim Broterius adnotavit ibi esse *vim* pro *ius*, uti voluerat Ernestius, immo id tantum dicit Ernestii coniecturae suffragari posse MS. Corb. Quippe *vim* ille intelligit posse latere in terminatione scripturae *adeuntium*.

adoptionis enumerant. Ed. Spir. *adoptioni senū erāt*. Eadem mox *seueritate* pro *securitate*.

nullis oneribus. MS. Guelf. *nullis honoribus*.

sollicitudine. Sic MS. Guelf. edd. vett. (c. silent. Vict.) et nuper Bekkerus. — *solicitudine* omnes edd. mediae aetatis inde a Lips. prima. Mox *quidem* post *usurpandis* abest a MS. Bud. cf. not. ad 13, 5.

hereditatibus. Guelf. *hereditabus*. Idem liber *quando* scribit per compendium *q͞n*.

Cap. 20. *Exin*. MS. Flor. (test. Vict.) *exim*.

Timarchus. Sic edd. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *Trimarcus* ed. Spir. *timarcus* edd. Put. M. et V. — MS. Guelf. a prima manu *timarchus*: rec. m. addidit *r* post *t*.

agitur. Ed. Spir. *agni*. Eadem mox *contumelias* pro *contumeliam*; deinde *hoc addidit*, uti est in MS. Bud. Vulgatam scripturam tuentur MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq.

postquam de reo censuerat, provincia Creta depellendum, haec addidit: „Usu probatum est .P. C. leges egregias, exempla honesta apud bonos ex delictis aliorum „gigni. sic oratorum licentia Cinciam rogationem, can„didatorum ambitus Iulias leges, magistratuum avaritia „Calpurnia scita pepererunt. nam culpa quam poena „tempore prior, emendari quam peccare posterius est. „Ergo adversus novam provincialium superbiam dignum „fide constantiaque Romana capiamus consilium, quo „tutelae sociorum nihil derogetur, nobis opinio decedat, „qualis quisque habeatur, alibi quam in civium iudicio „esse."

XXI. „Olim quidem non modo praetor aut con„sul, sed privati etiam mittebantur, qui provincias vi„serent et, quid de cuiusque obsequio videretur, refer„rent: trepidabantque gentes de existimatione singulo„rum. At nunc colimus externos et adulamur: et quo„modo ad nutum alicuius grates ita promptius accusatio

probatum est. Ed. Spir. omittit *est*, qua omissione nil facilius fuit, quia vett. libri id verbum scribunt per compendium ē. Paulo ante pro *una vox* Heinsius volebat *vana vox.*

sic oratorum. MS. Guelf. *sicut or.* Idem *gnigni* pro *gigni.*

magistratuum avaritia. Ed. Spir. *m. auariciā.*

Calpurnia. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. recentt. inde a Lips. prima. *Calphurnia* MS. Guelf. edd. vett. cf. 11, 30. 12, 22. 14, 12. et Vaillant Nummi Ant. fam. T. I. p. 206 sqq.

emendari. MS. Guelf. *emendare.*

provincialium superbiam. Sic edidit Pichena ut e MS. Florent.; Oberlinus adfirmat in MS. Flor. esse *provinciarium*, quod unde viro proditum sit, non invenio. Mendum illud esse typogr. in ed. Oberl. coniicio. Nam Pichena ita de Flor. loquitur, ut credas ibi esse *provincialium*, neque contradixit Iac. Gronovius. Victorius intactum reliquit *provinciarum*, quod est in ceteris MSS. et edd. ante Pichenam, nisi quod ed. Spir. dat *prouinciā.* — *Provinciarum* hic aeque sanum est atque *provincialium*, et potuit Pichena falli. Kiesslingius revocavit *provinciarum.*

derogetur. Ed. Spir. *derogaretur*, et in fine capitis *iudicia* pro *iudicio.* De locutione *in civium iudicio esse* cf. Sueton. Oct. c. 70. *coena quoque eius secretior in fabulis fuit* etc.

Cap. 21. *de existimatione.* MSS. Bud. Guelf. aliique codd. edd. Spir. Put. M. et V. *extimatione*, quod potest esse pro *existimatione* et pro *aestimatione.* Hoc edidere Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. usque ad Ernestium, qui maluit *existimatione*, idque hodie vulgatur. Bipontini retinent *aestimatione.* Cum Oberlino censeo parum hic interesse; nam huic loco utrumque vocabulum convenit. cf. not. ad 13, 17.

„decernitur. decernaturque et maneat provincialibus „potentiam suam tali modo ostentandi: sed laus falsa et „precibus expressa perinde cohibeantur quam malitia, „quam crudelitas. Plura saepe peccantur, dum deme- „remur, quam dum offendimus. quaedam immo virtu- „tes odio sunt, severitas obstinata, invictus adversum „gratiam animus. inde initia magistratuum nostrorum „meliora ferme et finis inclinat, dum in modum candi- „datorum suffragia conquirimus: quae si arceantur, „aequalius atque constantius provinciae regentur. nam „ut metu repetundarum infracta avaritia est, ita vetita „gratiarum actione ambitio cohibebitur."

XXII. Magno adsensu celebrata sententia, non tamen senatus consultum perfici potuit abnuentibus consulibus ea de re relatum. Mox auctore principe sanxere, ne quis ad concilium sociorum referret agendas apud se-

Kiesslingius reposuit *de aestimatione*.

decernaturque. Hoc verbum omittitur in MS. Corb. Mox a MS. Bud. abest *suam*.

ostentandi. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. — *ostendendi* ed. Spir. — *optentandi* MS. Flor. (test. Vict.) — Mox ed. Spir. *lacus* pro *laus*.

cohibeantur. MS. Guelf. (a sec. m.) *cohibeatur*.

demeremur. MS. Agr. *meremur*.

adversum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. et edd. recentt. inde a Lips. prima. — *adversus* edd. vett.

aequalius. MS. Agr. edd. Spir. Ernest. Broter. sqq. *aequabilius*, et sic *aequabilius atque constantius* coniunguntur apud Sallust. Cat. c. 2. Concinit fere cod. MS. Reg. qui vitiose exhibet *aequalibus*. MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *aequalius*. Eadem utriusque vocabuli permutatio est Hist. 2, 27. et Suet. Oct. c. 3. 35. 57. Cal. c. 60. Plin. ep. 4, 9. Ad vocem *aequabilis* cf. An. 4, 20. 6, 30.

regentur. Ed. Spir. *regerentur*. MS. Guelf. *rogentur*.

cohibebitur. Sic e coniectura Lipsii edd. Ernest. Oberl. sqq. — *cohibetur* MS. Guelf. edd. Spir. Put. sqq. (c. silent. Vict.). Nondum persuasum mihi est plane necessariam fuisse mutationem.

Cap. 22. *adsensu*. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *assensu* Guelf. edd. vett. *ascensu* ed. Lips. 1574. vitiose.

ea de re relatum. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. (c. silent. Vict.) — *ea de re latum* ed. Spir. Ad vocem *relatum* cf. Hist. 1, 30. Germ. c. 3. *Relatus* est factum in concreto, *relatio* in abstracto. Fuit tamen qui *relatum* acciperet pro participio et locum refingeret sic: *consulibus. Ea de re relatum mox auctore principe. Sanxere, ne* etc. Frustra nec satis apte. *Mox* novam sententiam incipit.

sanxere. MS. Flor. (test. Vict.) *sansere*, solita litterarum *x* et *s* permutatione.

concilium. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. (cum silentio Vict.). — *consilium* ed. Spir.

natum propraetoribus proveconsulibus grates, neu quis ea legatione fungeretur. Iisdem consulibus gymnasium ictu fulminis conflagravit effigiesque in eo Neronis ad informe aes liquefacta. Et motu terrae celebre Campaniae oppidum Pompeii magna ex parte proruit. Defunctaque virgo Vestalis Laelia, in cuius locum Cornelia ex familia Cossorum capta est.

XXIII. Memmio Regulo et Verginio Rufo coss. natam sibi ex Poppaea filiam Nero ultra mortale gaudium accepit appellavitque Augustam dato et Poppaeae eodem cognomento. locus puerperio colonia Antium fuit, ubi ipse generatus erat. Iam senatus uterum Poppaeae commendaverat diis votaque publice susceperat.

proveconsulibus. Vales. ad Amm. 30, 5. vult *proque consulibus*, consentiente Ernestio. Sed cf. not. ad 3, 57.

iisdem. Ed. Spir. *isdem*, uti solet.

gymnasium. Ed. Spir. *gingnasium*. cf. 14, 47. Xiphil. 61, 21.

ictu. Guelf. (a pr. m.) *itu*. Rec. m. addidit *c*.

effigiesque. Sic edd. Put. sqq. At MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Spir. *effigies usque*, quod vitium exortum credo ex ultimae syllabae in *effigies* repetitione inter transitum ad novum versum facta.

motu terrae Ad sequentes consules hunc terrae motum refert Senec. Nat. Q. 6, 1 Broterius utrumque scriptorem ita conciliat, ut terrae motum coepisse exeunte anno et duravisse in alterum suspicetur.

proruit. I. Fr. Gronovius volebat *proruit* accipere significatu activo et legere *motus terrae*. At tum etiam scribendum erat *Pompeios*. cf. not. ad 1, 68. Sed quum *ruere* utraque vi et activa et passiva utatur, non video, cur non idem opinari debeamus de verbo *proruere*. Aliter se habet locus 1, 68. ubi nonnulli volunt *proruunt* esse pro *prorumpunt*.

Cap. 23. *Verginio Rufo.* Ex inscriptionibus Lipsius restituit *Verginio*. cf. Gruter. p. 8. et not. ad Hist. 1, 8. 9. sqq. Priores edd. cum MS. Guelf. *Virginio*. Ed. Spir. *Ruffo*, uti solet. Pro *consulibus* MS. Flor. (test. Vict.) fert *consule*. Alibi is liber eam vocem ab initio annorum scribit *cōs*.

ultra mortale gaudium. MS. Guelf. *ultra modum gaudium*.

dato et Poppaeae eod. c. Ed. Spir. *Poppeō eodem cog.*, omisso verbo et copula.

Antium fuit. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. — In MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Rhen. sqq. deest *fuit*. Restituit Pichena e MS. Flor. et ed. Riv. Pro *colonia* in MS. Flor. (test. Vict.) *colinia* legitur.

iam senatus. Ed. Spir. *iamque senatus*. Vulgatum tuentur edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — Mox ante *uterum* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. addunt *interim*, quod quum absit a MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. (pr. m.) ed. Spir. Rhenanus recte videtur delevisse. In Bud. sec. manus illud intrusit.

quae multiplicata exsolutaque. et additae supplicationes templumque Fecunditati et certamen ad exemplar Actiacae religionis decretum: utque Fortunarum effigies aureae in solio Capitolini Iovis locarentur: ludicrum circense ut Iuliae genti apud Bovillas ita Claudiae Domitiaeque apud Antium ederetur. quae fluxa fuere, quartum intra mensem defuncta infante. Rursusque exortae adulationes censentium honorem divae et pulvinar aedemque et sacerdotem. Atque ipse ut laetitiae ita maeroris immodicus egit. Adnotatum est omni senatu Antium sub recentem partum effuso Thraseam prohibi-

exsolutaque. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et edd. recentt. inde a Lips. prima. *exolutaque* Guelf. edd. vett. cf. not. ad 1, 15. Mox Guelf. non habet *et* ante *additae.*

fecundidati. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. et recentt. inde a Lips. prima. *foecundidati* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald.

Actiacae. Sic MS. Reg. et edd. Ernest. Broter. sqq. — *acciaceque* ed. Spir. *Accierce* MS. Flor. test. Iac. Gronovio; secundum Victorium *actiecce*, quod is corrigi iubet *Actiacae.* — *Accicaeque* MS. Vat. test. Lips. *Anciatae* MS. Farnes. *Antiatae* MS. Corb. *Antiacae* MS. Agr. *Atricae* MS. Guelf. a pr. m. (nam sic in marg.). *acciacae* a m. sec. *Actice* MS. Bud. *Atticae* MSS Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Muretus volebat *Antianae*, Grotius *Antiatis*, Ryckius *Antiatinae.* Ad scripturam *Actiacae* cf. Sueton. Oct. c. 18. *Quoque Actiacae victoriae memoria celebratior in posterum esset, urbem Nicopolin apud Actium condidit, ludosque illic quinquennales constituit.* Dio 51, 1. ἀγῶνά τέ τινα καὶ μουσικὸν καὶ γυμνικὸν, ἱπποδρομίας τε, πεντετηρικὸν, ἱερὸν (οὕτω γὰρ τοὺς τὴν σίτησιν ἔχοντας ὀνομάζουσι) κατέδειξεν, Ἄκτια αὐτὸν προσαγορεύσας. Qui *Antianae*, vel *Antiatis*, vel *Antiatinae* volunt, documentis idoneis nondum docuere *Antii* certamen in usu fuisse.

religionis. Lipsius coniectabat *regionis.* Sed *religio* sane fuit in omnibus eiusmodi institutis, etiam in certamine Actiaco, quod docent verba Dionis modo laudata.

Fortunarum. Intellige *Fortunas sorores* Antii locatas. cf. Martial. 5, 1, 3. Bulenger. de sortibus (Thesaur. Graev. T. V. p. 363.). Sueton. Calig. c. 57.

locarentur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gron.) Reg. Bud. Agr. Corb. edd. Spir. Iac. Gronov. Ernest. sqq. — *collocarentur* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

Bovillas. cf. 2, 41. MS. Flor. (test. Vict.) *uobillas*, solita litterarum *v* et *b* permutatione, cuius plura iam adnotavimus exempla.

quae fluxa. Ed. Spir. *quae effluxa.* Mox *inmodicus* MS. Flor. (test. Vict.). — *ĩmodicus* ed. Spir. — *inmodicus* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq.

adnotatum est. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhenan. sqq. — *adnotandum est* MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Mox *inmoto* MS. Flor. (test. Vict.); *immoto* edd. vett.

tum immoto animo praenuntiam imminentis caedis contumeliam excepisse. secutam dehinc vocem Caesaris ferunt, qua reconciliatum se Thraseae apud Senecam iactaverit, ac Senecam Caesari gratulatum. unde gloria egregiis viris et pericula gliscebant.

XXIV. Inter quae veris principio legati Parthorum mandata regis Vologesis litterasque in eandem formam attulere: se priora et totiens iactata super obtinenda Armenia nunc omittere, quoniam dii quamvis potentium populorum arbitri possessionem Parthis non sine ignominia Romana tradidissent. Nuper clausum Tigranem, post Paetum legionesque, cum opprimere posset, incolumes dimisisse. satis adprobatam vim, datum et lenitatis experimentum. Nec recusaturum Tiridatem accipiendo diademati in urbem venire, nisi sacerdotii religione attineretur. iturum ad signa et effigies principis, ubi legionibus coram regnum auspicaretur.

praenuntiam. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf.; *praenunciam* edd. vett.

dehinc. Ed. Spir. *deinde.*

ferunt. Ed. Ber. vitiose *fuerunt.* Victorius e MS. Flor. correxit in *ferunt*, quod est in MS. Guelf. edd. Spir. Put. Alc. Rhen. sqq.

qua reconciliatum. Ed. Spir. *quare conciliatum.*

unde gloria. Sic vett. libri omnes, nisi quod in quosdam libros ante Pichenam editos (Lips. priores et Gruter.) vitio operarum inrepserat *unde gloriae*, quod iste emendavit e MS. Flor. et ed. Riv. Illud tamen vitium Acidalio causa fuit, ut coniiceret delendum *et* ante *pericula.*

Cap. 24. *Inter quae.* Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Bud. Guelf. aliique codd., edd. Spir. Put. M. et V. et deinde Pich. sqq. *Interim* edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. ad Pichenam.

in eandem. Sc. cum mandatis.

obtinenda. MS. Flor. (test. Vict.) *optinenda.* Ita et alibi nonnunquam.

nunc omittere. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *nūnc committere*, cuius vitii originem facile intelliges. Mox *cum* ante *opprimere* deest in MS. Guelf.

satis adprobatam vim. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. (nisi quod scribunt *approb.*) sqq. — *satim approbatum vim* ed. Spir. — *satis approbatum vim* ed. Put. V. Mox ed. Spir. omittit *datum*, nulla distinctione ante *nec.*

Tiridatem. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *Tiridaten* ed. Spir. *Tyridatem* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Eodem modo c. 25.

sacerdotii religione. Quippe Magus. cf. Plin. 30, 2.

XXV. Talibus Vologesis litteris, quia Paetus diversa tanquam rebus integris scribebat, interrogatus centurio, qui cum legatis advenerat, quo in statu Armenia esset? omnes inde Romanos excessisse respondit. Tum intellecto barbarorum inrisu, qui peterent quod eripuerant, consuluit inter primores civitatis Nero, bellum anceps an pax inhonesta placeret? nec dubitatum de bello. Et Corbulo militum atque hostium tot per annos gnarus gerendae rei praeficitur, ne cuius alterius inscitia rursum peccaretur, quia Paeti piguerat. Igitur inriti remittuntur, cum donis tamen, unde spes fieret non frustra eadem oraturum Tiridatem, si preces ipse attulisset. Syriaeque exsecutio Cincio, copiae militares

Cap. 25. *inrisu.* Sic MS. Flor. test. Vict. — *irrisu* edd. vett. c. cod. Guelf.

inhonesta. Ex emendatione Victorii, quam et huic loco in suo exemplari adscripsit et commendavit ad Caton. R. R. c. 80. Recepit Pichena. Nam in MS. Flor. (test. Vict. c. Pichen.) est *inhosta.* cf. not. ad Hist. 2, 31. MSS. Reg. Corb. Bud. ed. Spir. *in hostes.* Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *in hoste*, uti legitur in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Salmasius ad Solin. p. 24. defendit *inhosta* ut vocem latinam; explicat *iniqua.* Sic *hostire*, *hostimentum.* Sunt hodieque qui cum Salmasio faciant. Sed medias syllabas omissas in MS. Flor. saepissime vidimus (cf. not. ad 1, 20.), et vocabulum *inhonesta* huic loco egregie convenit.

et Corbulo militum atque hostium tot per annos gnarus gerendae rei praeficitur. Hunc verborum ordinem tuentur MS. Flor. (test. Victorio c. Iac. Gronov.) ed. Spir. unde merito recipio. Edd. Put. sqq. cum MS. Guelf. *et Corbulo tot per annos m. atque h. gn.* etc.

inriti. Sic MS. Flor. (test. Vict.) — *irriti* edd. vett. c. cod. Guelf.

exsecutio. MS. Flor. test. Vict. *excutio.* test. I. Gronov. *excucio.* Etenim Iac. Gronovius a Victorio in eo diversus est, quod saepius e MS. Flor. adfert litteram *c*, ubi ille habet *t.* Edd. vett. *executio*, uti solent. MS. Guelf. *exequutio*, de suo more. Vocabulum *exsecutio* Lipsio suspectum est. Sed *exsequi* alibi quoque de administratione rei publicae usurpatur. cf. Suet. Tib. c. 63. *per legatos et adiutores suos exsequenda curarent.* Tacit. An. 1, 11. *plures facilius munia rei publicae sociatis laboribus exsecuturos.* Nempe *Syriae exsecutio* dictum est pro: Syriae administrandae vel Syriae administrationis exsecutio. Nomen provinciae ponitur pro munere provinciam regendi.

Cincio. Sic MSS. Harl. Ies. edd. I. Fr. Gronov. et Iac. Gronov. sqq. — *Cintio* MSS. Bodl. Guelf. (a pr. m. non *Citio*, uti prodidit Ernestius) edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Sec. m. in Guelf. fecit *Cinthio.* — *Citio* MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. Agr. Bud. ed Spir.; Iac. Gronovius e MS. Flor. prodidit *Cicio*, ut antea *excucio.* Quaeritur utrum Victorius, an Gronovius litteras Langobardicas melius didicerit. MS. Reg. *Ticio* Quodsi e veterum librorum vestigiis voca-

Corbuloni permissae, et quintadecuma legio ducente Mario Celso e Pannonia adiecta est. Scribitur tetrarchis ac regibus praefectisque et procuratoribus et qui praetorum finitimas provincias regebant, iussis Corbulonis obsequi, in tantum ferme modum aucta potestate quem populus Romanus Cn. Pompeio bellum piraticum gesturo dederat. Regressum Paetum, cum graviora metueret, facetiis insectari satis habuit Caesar his ferme verbis: Ignoscere se statim, ne tam promptus in pavorem longiore sollicitudine aegresceret.

XXVI. At Corbulo quarta et duodecuma legionibus, quae fortissimo quoque amisso et ceteris exterritis parum habiles proelio videbantur, in Syriam translatis sextam inde ac tertiam legiones, integrum militem et crebris ac prosperis laboribus exercitum, in Armeniam ducit. addiditque legionem quintam, quae per Pontum agens expers cladis fuerat, simul quintadecumanos re-

bulum constituendum putas, nil dubitabis de veritate vulgatae scripturae. Nam eadem plane varietate libri vett. 11, 5. ferunt *Cinciam*, *Ciciam*, *Titiam*, ubi certo legendum erat *Cinciam*. Pighius tamen in Annalibus ad hunc annum pro *Cincio* vult *Cestio*. Nam *Cestius Gallus* Syriae legatus fuit eo tempore, quo Gessii Flori culpa seditio Iudaeorum coepit, h. e. sub annum u. 819. cf. Hist. 5, 10. Pighii coniecturam probavit Ryckius, recepit Broterius, pro dubia habuit Ernestius. Et dubia sane est: nam Cestius potuit Cincio succedere an. u. 818. Lubenter tamen concedo Pighii coniecturam satis esse verisimilem.

permissae. MS. Guelf. *praemissae.*

quintadecuma. Sic MS. Flor. test. Victorio. cf. 1, 23. et 30. — *quintadecima* edd. Spir. Put. sqq. c. cod. Guelf.

quem populus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Harl. Reg. Guelf. Bud. edd. Rhen. sqq. — *quam populus* edd. Spir. Put. Ber. Alc. et sic MS. Harl. in margine, unde Ernestius coniiciebat *quantum.* Heinsius *modum* volebat deleri. Mox ed. Spir. *G. N. Pōpeio bellum piraticum* etc. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. *pyraticum;* edd. Rhenan. sqq. *piraticum*, uti est in MS. Flor. test. Vict.

ignoscere. Ed. Spir. *ignoscēt*, et mox eadem *egresseret* pro *aegresceret.* — Mox *solicitudine* edd. Spir. Lips. sqq.; *sollicitudine* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. (c. silent. Vict.). cf. not. ad c. 19.

Cap. 26. *duodecuma.* Sic MS. Flor. test. Vict. — *duodecima* MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald Alc. Rhen. sqq. Mox edd. Put. M. et V. *fortissime.*

in Syriam. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *in Syria* MS. Flor. test. Vict. — *in Siria* ed. Spir.

sextam inde. Ed. Spir. *sextam tamen.* Mox ed. Put. V. *ad* pro *ac.*

quintadecumanos. Sic MS. Flor.

cens adductos, et vexilla delectorum ex Illyrico et Aegypto, quodque alarum cohortiumque, et auxilia regum in unum conducta apud Melitenen, qua tramittere Euphratem parabat. Tum lustratum rite exercitum ad concionem vocat orditurque magnifica de auspiciis imperatoriis rebusque a se gestis, adversa in inscitiam Paeti declinans, multa auctoritate, quae viro militari pro facundia erat.

XXVII. Mox iter L. Lucullo quondam penetratum, apertis quae vetustas obsepserat, pergit. et venientes Tiridatis Vologesisque de pace legatos haud aspernatus adiungit iis centuriones cum mandatis non immitibus: non enim adhuc eo ventum, ut certamine extremo opus esset. multa Romanis secunda, quaedam Parthis

test. Vict. — *quintadecimanos* MS. Guelf. edd. omnes. — Mox *delectorum* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Pichen. sqq. *dilectorum* edd. Lips. Gruter., uti solent.

quodque alarum cohortiumque. Sic MS. Guelf. (a sec. m.) edd. Put. sqq. c. silent. Vict. At ed. Spir. *quod aliarum cohortium quae*, vitiose.

qua tramittere. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) — *quae transmittere* ed. Spir. — *qua transmittere* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. In ed. Gronovii 1672. inrepserat *quia* pro *qua*. Ryckius *qua* reposuit e MS. Agr.

ad concionem. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. — *ad contionem* MS. Guelf. edd. Put., uti solent. — *ad conctionem* ed. Beroald. vitiose.

imperatoriis. Sic edd. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *imperatoris* MSS. Bud. Ies. Reg. Corb. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. et inter recentiores Broterii. Sic etiam Ernestius volebat. A MS. Harl. vocabulum abest.

adversa in inscitiam. MSS. et vett. edd. *adversam inscitiam*, quod Freinshemius verissima emendatione vertit in *adversa in inscitiam*, et ita Victorius dudum in suo exemplari ex suo ingenio (non e MS. Flor.) correxerat.

Cap. 27. *apertis quae.* Ed. Spir. et MS. Agr. *apertisque quae*, haud inepte. In Guelf. secunda manus voculae *quae* addidit *que*. Eadem ed. Spir. mox *obsesserat* pro *obsepserat*.

venientes. Edd. Put. M. et V. *venientis*, et mox *legatus* pro *legatos*. In Guelf. sec. m. e *venientis* fecit *venientes*. Idem mox *his* pro *iis* cum ed. Spir.

immitibus. Ed. Spir. *in mitibus*; (vult *inmitibus*, uti edidit Bekkerus).

non enim. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *nec enim* MSS. Flor. (test. Pichen.) Reg. Bud. Bodl. (sec. m.) ed. Spir. et inter recentiores Iac. Gronov. et Broterii.

evenisse documento adversus superbiam: perinde et Tiridati conducere intactum vastationibus regnum dono accipere, et Vologesem melius societate Romana quam damnis mutuis genti Parthorum consulturum. Scire, quantum intus discordiarum quamque indomitas et praeferoces nationes regeret. contra imperatori suo immotam ubique pacem et unum id bellum esse. Simul consilio terrorem adiicere, et megistanas Armenios, qui primi a nobis defecerant, pellit sedibus, castella eorum exscindit, plana, edita, validos invalidosque pari metu complet.

XXVIII. Non infensum nec cum hostili odio Corbulonis nomen etiam barbaris habebatur eoque consilium eius fidum credebant. ergo Vologeses neque atrox in summam et quibusdam praefecturis inducias petit. Tiridates locum diemque colloquio poscit. tempus pro-

documento. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. — *docimento* MS. Flor. test. Vict. — *documenta* ed. Spir.

perinde. Sic MS. Flor. (t. Vict.) ed. Spir. — *proinde* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Sed illud verum est. cf. 14, 21. et not ad 3, 17. Mox ed. Spir. *Tiridaten* pro *Tiridati*, et *Vologeses* pro *Vologesem*. Edd. Put. post *accipere* signum interrogationis ponunt.

scire. Lipsius adnotat: „sententiam adiuveris, si scribas *sciret.*" Frustra. Ad *scire* intellige *se.* Freinshemius vult *sciri.*

adiicere. Freinshemius emendabat: *simul, ut consilio terrorem adiiceret, Megistanas* etc. quae probavit Lallemandus, recepere Bipontini. Sed Ernestius recte animadvertit Tacito et alibi infinitivum et verbum finitum in eadem serie coniungi. cf. 12, 51. Nimirum primum in universum adnotat, quid simul fecerit Corbulo; deinde singillatim quaeque refert. Utramque loci rationem egregie distinguit diversis formis. Copula *et* ante *megistanas* habet vim explicandi, *scilicet.* cf. Ramshorn. Gr. § 179. B. 3. p. 319.

pellit sedibus. Sic edd. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *pellit a sedibus* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud Guelf. edd. Put. M. et V. Praepositio supervacanea est. MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *pepulit sedibus*

Cap. 28. *nec cum hostili.* Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V, Beroald (c. silent. Vict.) Alc. In Rhenani et inde in Aldi editionem venit *nec dum*, incertum consulto an lapsu operarum. Ex emendandi studio certe ea mutatio non videtur profecta, quippe a loco aliena. Hinc Lipsius, Pichena sqq. maluere, quod ad hunc diem vulgatur *nedum hostili.* Sed nil antiqua scriptura, quam revocavi, verius est. cf. 12, 48. *omne scelus externum cum laetitia habendum.*

neque atrox .. et quibusd. cf. Ramshorn. Gr. § 179. p. 527. Not. 1. Tacit. An. 2, 51. *sed neque statim et paucis suffragiis.* Ad formulam *in summam* cf. Hist. 2, 16.

pinquum, locus, in quo nuper obsessae cum Paeto legiones erant, cum barbaris delectus est ob memoriam laetioris sibi rei, non est a Corbulone vitatus, ut dissimilitudo fortunae gloriam augeret. neque infamia Paeti angebatur, quod eo maxime patuit, quia filio eius tribuno ducere manipulos atque operire reliquias malae pugnae imperavit. Die pacta Tiberius Alexander inlustris eques Romanas minister bello datus et Vinianus

cum barbaris. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. Agr. ed. Spir. — *cum a barbaris* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Sed praepositio et hic aptius omittitur. Sic 2, 50. *propinquis suis ... removeretur.* Hist. 2, 80. *militibus diligebantur;* 3, 12. *Vespasiano tenebantur.*

delectus est. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) Reg. Bud. Corb. ed. Spir. — *delectus esset* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Sed *est* bene se habet; nam particula *cum* hic non est causalis, sed copulativa. Germanice: *wenn er* (locus) *von den Barbaren gewählt ward wegen der Erinnerung an das für sie fröhliche Ereigniſs, so wurde er von Corbulo nicht ausgeschlagen, damit die Verschiedenheit der Glücksverhältnisse den Ruhm vermehrte.* cf. infr. c. 54. *nam cum secum servilis animus praemia perfidiae reputavit* etc. Ramshorn. Gr. § 189. p. 575 sqq. Pro *delectus* edd. Lips. Grut. ferunt *dilectus;* Pichena *delectus* restituit. Iac. Gronovius pro *cum* volebat substitui *tum;* sed *tum* potius intelligendum est ad verba: *non est a C. vitatus*, ut respondeat praecedenti *cum.*

laetioris sibi. Ed. Spir. *letiori sibi*, postrema littera prioris vocabuli absorpta a vocabulo sequenti, ut saepissime. Mox eadem ed. Spir. et MS. Flor. (test. Vict.) pergunt: *Corbulo non vitatus ut diss.* etc. verbis *non est a* omissis. MS. Agr. *tum Corbuloni non vitatus.*

angebatur. Sic edd. Rhen. (e MS. Bud.) Ald. Lips. 1574. Bernegger. Gronov. sqq. — *augebatur* MSS. et edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Lipsii posteriores, Gruter. Pichen. Sed Rhenanus loco bene videtur consuluisse. Nam sententia est: Corbulo nec Paeti infamia angebatur, ut propterea illum lôcum vitaret. Sic 1, 52. *bellica quoque Germanici glôria angebatur;* 3, 21. *magis dedecore suorum quam gloria hostis anxius.* Kiesslingius tamen nuper revocavit *augebatur*, sententiamque constituit: „quod Corbulo locum a barbaris delectum non vitavit, id non ideo fecit, ut Paeti infamiam augeret." Dubito, an haec verbis insint; et magis etiam, an sequentia: *quod eo maxime patuit* sqq. cum tali sententia conciliari possint. Heinsius volebat *tangebatur*, vir doctus in ed. Gryph. Ernestio repertus *agebatur.*

quia filio eius. Etenim alium ad operiendas malae pugnae reliquias misisset, si voluisset Paeto parcere.

operire. Sic MSS. et vett. edd. c. silent. Vict. — *operiri* edd. Lips. mediae, Gruter. — *opperiri* ed. Lips. 1607. Idem Lipsius 1574. ediderat *operire*, quod retinent Pichena sqq.

inlustris. Sic MS. Flor. test. Vict. — *illustris* edd. vett. cum cod. Guelf.

Vinianus. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Corb. ed. Spir., quod cum Iac. Gronovio etiam Ernestius

Annius gener Corbulonis, nondum senatoria aetate, sed pro legato quintae legioni impositus, in castra Tiridatis venere, honore eius ac ne metueret insidias tali pignore. viceni dehinc equites adsumpti. et viso Corbulone rex prior equo desiluit: nec cunctatus Corbulo, sed pedes uterque dextras miscuere.

XXIX. Exin Romanus laudat iuvenem omissis praecipitibus tuta et salutaria capessentem. Ille de nobilitate generis multum praefatus cetera temperanter adiungit: Iturum quippe Romam laturumque novum Caesari decus, non adversis Parthorum rebus supplicem Arsacidem. Tum placuit Tiridatem ponere apud effigiem Caesaris insigne regium nec nisi manu Neronis resumere: et colloquium osculo finitum. Dein paucis diebus interiectis magna utrimque specie inde eques compositus per turmas et insignibus patriis, hinc agmina legionum stetere fulgentibus aquilis signisque et simulacris deum in modum templi. medio tribunal sedem

verum putabat. — *Vivianus* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Reg. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *Vivanus* MS. Bud. — *Vimanus* MS. Agr. Verba praecedentia: *minister bello datus* desunt in MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V.; addidit sec. manus in marg. MSS. Bodl. et Guelf.

sed pro. Ed. Spir. *et pro.*

quintae legioni. MSS. Harl. Ies. Guelf. *q. legionis.*

honore eius. Sic MSS. et vett. edd., nisi quod ed. Spir. dat *honor eius*, absorpta littera postrema a seq. voc. Suadente Lipsio Pichena, Bipontini, Oberlinus sqq. edidere *honori eius.* Sed idem Tacitus Hist. 1, 44. *non honore Galbae;* An. 14, 58. *favore iuvenis.* Ablativus enim indicat causam, in eoque casu ponitur res, qua causa continetur. Iam honor Tiridatis fuit causa, cur illi in eius castra venirent; venere igitur *ob honorem eius* vel *honore eius* h. e. honoris causa. Nihil absurdi in hac dicendi ratione esse puto; quare Berneggerum, Gronovios, Ryckium, Ernestium et Broterium secutus malui restituere veterem scripturam. Mox MS. Reg. *an ne metueret.*

adsumpti. Sic MS. Flor. test. Vict. — *assumpti* edd. vett. cum MS. Guelf.

desiluit. Ed. Spir. *desilivit.*

dextras. Ed. Spir. *dexteras.* De re cf. Ioseph. 18, 9.

Cap. 29. *capessentem.* Edd. Spir. Ald. *capescentem*, uti solent.

multum. MSS. Harl. Ies. Guelf. *multa;* ed. Spir. *militum*, confusione et alibi frequenti. cf. not. ad 15, 51. Hist. 1, 12. Agr. c. 20.

specie. MS. Guelf. ed. Spir. *spe*, vulgari vitio. cf. not. ad 12, 45. Hist. 3, 84. 4, 46. In Guelf. tamen olim fuit *spẽ*, quod compendium est pro *specie.*

medio tribunal. Ed. Spir. *medio tribunalis.* Eadem paulo ante distinguit: *et simulacris: deum in modum* etc., uti volebat Lipsius.

curulem et sedes effigiem Neronis sustinebat. ad quam progressus Tiridates caesis ex more victimis sublatum capite diadema imagini subiecit, magnis apud cunctos animorum motibus, quos augebat insita adhuc oculis exercituum Romanorum caedes aut obsidio. at nunc versos casus: iturum Tiridatem ostentui gentibus quanto minus quam captivum?

XXX. Addidit gloriae Corbulo comitatem epulasque: et rogitante rege causas, quotiens novum aliquid adverterat, ut initia vigiliarum per centurionem nuntiari, convivium buccina dimitti et structam ante augurale aram subdita face accendi, cuncta in maius attollens admiratione prisci moris adfecit. Postero die spa-

Sed verba *simulacris deum* coniungenda esse bene vidit Ernestius. De re cf. Dio 62, 23.

sublatum capite. Sic edd. Ber. (c. sil. Vict.) Rhen. sqq. — *sublatum capiti* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Put. Alc. De aliis libris interpretes ita tacent, ut videantur consentire in vulgatum.

iturum. Sic edd. Ber. (c. silent. Vict.) Rhen. sqq. — *iterum* edd. Spir. Put. M. et V. Alc. cum cod. Guelf.

Cap. 30. *comitatem epulasque.* MS. Guelf. *epulas comitatemque.*

et rogitante rege. I. Fr. Gronovius vult: *rogitantem regem*, ob sequens *adfecit*. Est sane anacoluthon in vulgata scriptura, sed levissimum pluraque eiusdem generis inveniuntur. cf. Baumgarten-Crus. in Corollario de gen. dic. Suet. in clave Sueton. sub v. *anacoluthon*. Et hoc quidem loco facilius haud dubie supplendo intelliges accusativum ad verbum *adfecit*, quam ut feras incommodos accusativos illos: *rogitantem regem causas*. Debuisset saltem scribi: *et regem rogitantem c.* Sed vel sic vocabulum *regem* remotius est a verbo, quam ut non sit salebrosa eiusmodi structura. Igitur consulto Tacitum admisisse anacoluthon putato.

ut initia. MS. Guelf. *et initia.*

nuntiari. Sic (sive *nunciari*) MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *enunciari* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. De aliis libris silentium est.

structam ante augurale aram. Ex emendatione Lipsii, quam in contextum recepere Pichena, Gruter. sqq. — *structa ante auguralem aram* MS. Bud. edd. Rhen. sqq. ut *structa* intelligas *ligna* vel simile quid. Edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. cum cod. Guelf. dant *structam ante auguralem aram*. E MS. Flor. Pichena prodidit *structam*; de vocabulo *auguralem* ita tacet, ut codex in eandem formam videatur consentire. Sic et Victorius. Contra Ryckius e collat. Iac. Gronov. testatur in MSS. Flor. et Agr. esse *augurale*. I. Gronovius ipse tacet.

attollens. Sic MSS. Flor. (test. Pichen.) Agr. Bud. Guelf. aliique codd., edd. Spir Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. 1533. Ald. Ernest. Brot. sqq. — *extollens* e Rhenan. secunda venit in edd. Lips. sqq. usque ad Ernest. Sed cf. 3, 72. Hist. 1, 70. In alteram partem faciunt 1, 2. 9. 34.

postero die. Sic MSS. Flor. (test. Pichen.) Reg. Corb. edd. Spir. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Pichen.

tium oravit, quo tantum itineris aditurus fratres ante matremque viseret: obsidem interea filiam tradit litterasque supplices ad Neronem.

XXXI. Et digressus Pacorum apud Medos, Vologesem Ecbatanis repperit non incuriosum fratris: quippe et propriis nuntiis a Corbulone petierat, ne quam imaginem servitii Tiridates perferret, neu ferrum traderet aut complexu provincias obtinentium arceretur foribusve eorum adsisteret, tantusque ei Romae quantus consulibus honor esset. Scilicet externae superbiae sueto non inerat notitia nostri, apud quos vis imperii valet, inania tramittuntur.

XXXII. Eodem anno Caesar nationes Alpium maritimarum in ius Latii transtulit. Equitum Romanorum locos sedilibus plebis anteposuit apud circum. namque ad eam diem indiscreti inibant, quia lex Roscia nihil nisi de quattuordecim ordinibus sanxit. Spectacula gla-

sqq. — *postremo die* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Rhenan. Ald. Lips., qui tamen ante Pichenam coniecerat legendum esse *postero*.

spatium oravit. Ed. Spir. *oravit spatium.* Mox MS. Guelf. *tamen* pro *tantum.*

Cap. 31. *Pacorum.* Sic edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *Pachorum* MS. Guelf. — *Pacorem* MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir.

quippe et propriis. Ed. Spir. *quippe etiam: et propriis*, et plane sic locus in Guelf. correctus est, addito *etiam.*

arceretur. MS. Guelf. nunc habet *arceret:* prius fuit *arceretur.*

tantusque ei Romae. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichena) Reg. Corb. edd. Spir. Pich. Lips. 1607. sqq. — *tantusque Romae* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Pichenam.

non inerat. Sic edd. Iac. Gronov. Ernest. sqq. et sic MSS. Flor. (in quo est *inherat*, test. Vict.) Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. ed. Spir. — *non erat* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *non inberat* MS. Agr.

vis imperii. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Agr. edd. Bernegg. Gronov. Ryck. Iac. Gron. sqq. — *ius imperii* vulgo MSS. et edd. vett. sueta confusione; et MS. Guelf. transponit *imperii ius.*

tramittuntur. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronovio). — *transmittuntur* edd. vett. et recentt. cum MS. Guelf.

Cap. 32. *sedilibus plebis.* Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *sedibus* MSS. Harl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

inibant. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. Bud. Guelf. edd. Rhenan. sqq. — *ibant* MS. Reg. edd. Spir. Put. Beroald. Alc., quae varietas originem traxit e compendio *ībant.*

diatorum idem annus habuit pari magnificentia ac priora. sed feminarum inlustrium senatorumque plures per arenam foedati sunt.

XXXIII. C. Lecanio, M. Licinio coss. acriore in dies cupidine adigebatur Nero promiscuas scenas frequentandi. nam adhuc per domum aut hortos cecinerat iuvenalibus ludis, quos ut parum celebres et tantae voci angustos spernebat. Non tamen Romae incipere ausus Neapolim quasi Graecam urbem delegit: inde initium fore ut transgressus in Achaiam insignesque et antiquitus sacras coronas adeptus maiore fama studia civium eliceret. Ergo contractum oppidanorum vulgus et quos e proximis coloniis et municipiis eius rei fama civerat,

ac priora. Sic MSS. Bud. Harl. Ies. Corb. edd. Spir. Rhen. sqq. — *ac priori* MSS. Bodl. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc., quod aeque bonum est, dum referas ad *magnificentia*, et ablativos accipias pro absolutis, intellecto partic. verb. subst.

senatorumque. Sic MSS. Reg. Corb. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Lips. Pich. sqq. — *senatorumque filiorum* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Rhen. sqq. ad Lipsium. Paulo ante pro *feminarum* Gruterus volebat substitui *familiarum*. Sed docuit Lipsius feminas etiam in arenam venisse. cf. Sueton. Dom. c. 4. Statius Silv. 1, 6, 53. et potissimum Xiphil. 61, 17. 75, 16.

per arenam. Haec absunt a MS. Reg. et ed. Spir.

Cap. 33. *C. Lecanio*. Sic edd. Spir. Lips. sqq. — *C. Lexanio* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. (c. silent. Vict.) Pro praenomine viri apud Plin. 26, 1. est *Q.* pro *C.* Broterius e fragmento veteris lapidis apud *Muratorium*, *Nov. Thesaur. Inscr.* Tom. 1. p. 305. edidit *C. Laecanio*. Mox MS. Bud. a pr. m. *et hortos* pro *aut hortos*.

iuvenalibus. MS. Guelf. *iuvenilibus*.

angustos. Ed. Spir. *augustos*.

incipere ausus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. edd. Spir. Pichen. sqq. — *incipere scenas ausus* MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. (illic *scaenas*) Ber. Alc Rhen. sqq. ad Pichenam. Lipsius iam *scenas* delendum censueret uncisque incluserat.

delegit. Sic MS. Guelf. edd. vett. (c. silent. Vict.) et recentt. — *dilegit* edd. Lips. et Gruter., uti solent.

transgressus in A. Sic MSS. Corb. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. et dein Lips. Pich. sqq. — *transgressus scenis in A.* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. — *transgressis scenis in A.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. — *transgressis in A.* MS. Flor. (test. Vict.), unde emendandi studio varietas librorum videtur originem traxisse.

maiore. Ed. Spir. *maiorẽ*.

vulgus. MS. Flor. (test. Vict.) *volgus*.

civerat. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. et dein Lips. Pich. sqq. — *acciverat* MS. Bud. edd. Rhenan. Ald. Gryph. — *evenerat* MS. Reg.

quique Caesarem per honorem aut varios usus sectantur, etiam militum manipuli theatrum Neapolitanorum complent.

XXXIV. Illic, plerique ut arbitrantur, triste, ut ipse, providum potius et secundis numinibus evenit. nam egresso qui adfuerat populo vacuum et sine ullius noxa theatrum collapsum est. Ergo per compositos cantus grates diis atque ipsam recentis casus fortunam celebrans petiturusque maris Hadriae traiectus apud Beneventum interim consedit, ubi gladiatorium munus a Vatinio celebre edebatur. Vatinius inter foedissima eius aulae ostenta fuit, sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus: primo in contumelias adsumptus, dehinc optimi cuiusque criminatione eo usque valuit, ut gratia, pecunia, vi nocendi etiam malos praemineret.

XXXV. Eius munus frequentanti Neroni ne inter voluptates quidem a sceleribus cessabatur. iisdem quippe illis diebus Torquatus Silanus mori adigitur,

quique Caesarem. Ed. Spir. *quaeque Caesarem.* MS. Ies. *quisque C.*

Neapolitanorum. MS. Agr. *Neapolitanum.*

Cap. 34. *Illic.* Ed. Spir. *Illinc.*

ut arbitrantur. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. — *arbitrabantur* edd. Rhen sqq. Sed non est sermo de illius temporis hominibus: immo in universum auctor dicit plerisque talem casum pro tristi haberi.

triste. Ed. Spir. *tristes.*

gladiatorium munus. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) edd. Spir. Pichen. spq. — *gladiatorum m.* MSS. Bud. Ies. Bodl. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. Lips. — De Vatinio cf. Xiphil. 63, 15.

sutrinae tabernae. Vocabulum *tabernae* abest ab ed. Spir. Eadem fert *scurrulibus.*

in contumelias. Sic edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *inter contumelias* MS. Corb. ed. Spir. et sic voluerat Muretus. Sic Suet. Vespas. c. 4. *inter legatos maiore filio assumpto.* Sed *in* consilium indicat.

dehinc optimi. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *deinde optimi* MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. sqq.

vi nocendi. Ed. Spir. *in noc.*, vulgari vitio.

malos praemineret. Sic MS. Flor. edd. Pich. sqq. — *malis p.* MSS. Bud. Agr. edd Spir. Rhen. Lips. Gruter. — *aliis praeemineret* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *et in aliis praeemineret* MS. Guelf. Sed cf. 12, 12. ibique not.

Cap. 35. *inter voluptates.* Ed. Spir. *intra v.* Eadem mox: *Isdem quippe diebus*, omisso *illis.*

Silanus. Sic edd. Lips. Pichen. sqq. cf. not. ad 2, 4. — MS. Flor.

quia super Iuniae familiae claritudinem divum Augustum atavum ferebat. Iussi accusatores obiicere prodigum largitionibus neque aliam spem quam in rebus novis esse. quin eum nobiles habere, quos ab epistolis

(test. Vict.) edd. Rhen. sqq. *Sillanus.* — Edd. Spir. Put. Ber. Alc. cum cod. Guelf. *Syllanus.* — De caede *Torquati Silani* cf. Dio 62, 27. Exc. Peir. p. 690.

claritudinem. MS. Guelf. *claritudine.*

atavum. Sic MSS. et vett. edd. Ryckius tamen et Broterius edidere *abavum* e coniectura Ruperti in epist. 60. ad Reines. et Henrici Valesii in not. ad excerpt. Dion. 62, 27. Fratrem enim fuisse illum Marci et Iunii Silanorum 13, 1. Alii Silanum nostrum habent pro fratre D. Iunii Torquati Silani 12, 58.

iussi accusatores. Sic MSS. Reg. Agr. Corb. edd. Spir. Ryck. Ernest. sqq. — *iussi id accusatores* MSS. Guelf. Harl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. ad Ryckium. Etiam in MSS. Bud. et Bodl. secunda manus addidit *id.* MS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) *iussis accusatores*, quam scripturam facile coniicias corruptam ex *iussi id;* et hoc minime displicet. Nam saepissime pronomen *id* sic Tacito ponitur, ut spectet ad sententiam sequentem eamque praecipue exhibeat. cf. 1, 32. *id militares* etc. Hist. 3, 64. *id Sabino convenire ut* etc. cf. Ramshorn. Gr. § 204. 3, b. p. 678. et not. ad 13, 17.

obiicere. Sic edd. Spir. Beroald. Gronov. Ryck. sqq. et sic MSS. Agr. Guelf. Contra *obicere* (vetere scriptura) MS. Bud. edd. Put. Alc. Rhen. Lips. Pich. Bernegg.

prodigum. MS. Flor. (test. Vict.) *prodicum.*

in rebus novis. Sic MS. Flor. (test. Iac. Gronov.) ed. Spir. — *in novis rebus* MS. Guelf. edd. Put. sqq.

quin eum nobiles habere. Sic edidit Rhenanus e sua coniectura, quem secuti sunt Lips. Pich. Grut. Bernegg. Gronov. Ryck. aliique. MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) *q ne innobiles habere.* Edd. Spir. Put. M. et V. cum MS. Guelf. *qui ne ignobiles habere.* MSS. Bodl. Ies. Reg. Corb. test. Brot. *quin ne ignobiles.* MS. Harl. *quin ignobiles;* secunda m. addit *ne.* Utrum ferant *habere* an *haberet*, Broterius reticuit. MS. Agr. edd. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. *qui ne ignobiles haberet.* Accessere virorum doctorum coniecturae. Ryckius: *quin eum homines habere*, quod Oberlinus in contextum recepit. Broterius edidit: *quin nec ignobiles habere.* Heinsius volebat: *quin eum non viles habere.* Bipontini: *quin eum libertos habere*, e loco 16, 8. Rupertius: *quin immo viles habere.* Lipsius: *quin eum nonnullos habere* vel *quin eum habere.* I. Fr. Gronovius: *quin eum domi libertos habere.* Iac. Gronovius: *quin eum ob id et habere.* Bekkerus et Kiesslingius ab Oberlini contextu ad coniecturam Rhenani rediere, quae nec mihi displicet. *Nobiles* non accipio de iis, qui de genere dicebantur nobiles; sed de libertis omnino vel externis hominibus (cf. 16, 8.), ut *nobilis* propria sua vi nihil aliud significet quam *noscibilis*, *notissimus*. Cogita de hominibus litteratis cf. Suet. illustr. Gr. 10. *nobilis grammaticus Latinus.* Liv. 39, 9. *nobile scortum.* Plaut. Rud. 3, 2, 5. *qui se scelere fieri volunt nobiles.* Id. Pseud. 4, 7, 10. *neque his unquam nobilis fui.* Tac. Hist. 3, 39. *nobili gaudio* h. e. notabili, manifesto.

ab epistolis. Ed. Spir. *ab epulis* (et sic MS. Guelf. in margine), quod est pro *ab epistulis.* cf. not. ad 1, 30.

et libellis et rationibus appellet, nomina summae curae et meditamenta. Tum intimus quisque libertorum vincti abreptique. et cum damnatio instaret, brachiorum venas Torquatus interscidit, secutaque Neronis oratio ex more, quamvis sontem et defensioni merito diffisum victurum tamen fuisse, si clementiam iudicis exspectasset.

XXXVI. Nec multo post omissa in praesens Achaia (causae in incerto fuere) urbem revisit, provincias Orientis, maxime Aegyptum secretis imaginationibus agitans. Dehinc edicto testificatus non longam sui absentiam et cuncta in re publica perinde immota ac prospera fore super ea profectione adiit capitolium. illic veneratus deos cum Vestae quoque templum inisset, repente cunctos per artus tremens, seu numine exterrente seu faci-

appellet. Sic edd. Spir. Beroald. (c. silent. Vict.) Rhen. (e MS. Bud.) sqq. — *appellaret* MSS. Guelf. Ies. edd. Put. Alc.

summae curae. cf. not. ad 1, 19.

damnatio. Ed. Spir. *condemnatio*. Eadem mox *intercidit*.

Cap 36. *in incerto*. Ed. Spir. *incertae*. MS. Guelf. *incerto*, sine *in*, ut supra simili loco.

imaginationibus. Sic MS. Guelf. edd. vett. c. silent. Vict. — *ymaginationibus* MS. Bud. — *machinationibus* (obelo tamen notatum) MS. Reg., et sic volebant Ursinus et Muretus. *imaginibus* MS. Ies.

dehinc. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum al.) Bud. Guelf. aliique codd., edd. Spir. Put. M. et V. Alc. Ernest. Brot. sqq. — *deinde* ed. Beroald. — *dein* edd. Rhen. sqq. ad Ernest.

edicto. Sic Rhenanus ex ingenio et dein omnes edd. cf. not. ad 14, 63. — *dicto* MSS. et vett. edd. (c. silent. Vict.). Censeo Rhenanum haud absurde dedisse *dein edicto*. Nam apertum est litteram *e* in MSS. praecedenti vocabulo adhaesisse et inde originem traxisse *dehinc*. Mox pro *sui* edd. Bernegg. et Gronov. 1672. *usui*.

in re publica perinde. Ed. Spir. *in reperiende*. MS. Bud. *in reperiendi*. Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. ut MSS. Bud. (a sec. manu) Guelf. aliique codd. *in re p. exinde*. MS. Flor. (test. Pich.) *periende* (ut in ed. Spir. credo), unde Pichena recte fecit *perinde*. Non tamen tacebo Victorio intactum mansisse *exinde*.

illic veneratus. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichena) Corb. edd. Spir. Pich. Lips. 1607. sqq. — *illic veneraturus* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. ad Pich. In MS. Bud. deest *illic* et verba sequuntur sic: *adiit cap. veneraturus deos*. Quod Ernestius adfert *veneraturos*, in nullo est libro. Ed. Rhen. verba coniungit sic: *capitolium, illic veneraturus deos. Cum* etc. quae ratio valuit usque ad Pichenam. Pro *inisset* MS. Reg. *ivisset*. Idem *videre* pro *vidisse*.

norum recordatione nunquam timore vacuus, deseruit inceptum, cunctas sibi curas amore patriae leviores dictitans. vidisse maestos civium vultus, audire secretas querimonias, quod tantum iter aditurus esset, cuius ne modicos quidem egressus tolerarent sueti adversum fortuita aspectu principis refoveri. Ergo ut in privatis necessitudinibus proxima pignora praevalerent, ita populum Romanum vim plurimam habere parendumque retinenti. Haec atque talia plebi volentia fuere voluptatum cupidine et, quae praecipua cura est, rei frumentariae angustias si abesset metuenti. Senatus et primores in incerto erant, procul an coram atrocior haberetur. dehinc quae natura magnis timoribus, deterius credebant quod evenerat.

XXXVII. Ipse quo fidem acquireret nihil usquam perinde laetum sibi, publicis locis struere convivia tota-

nunquam. MS. Guelf. *nonquam.*

maestos civium vultus. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Brot. — *civium maestos vultus* edd. Rhenan. et sqq. ante Broterium et post illum omnes.

quod tantum iter aditurus esset. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Contra non aeque bene *quod tantum aditurus esset iter* edd. Rhen. sqq. — Ed. Spir. *quod tantum auditurus esset*, omisso vocabulo *iter*. Scilicet *tantum* est in fine versus; quare coniicio operarum lapsu *iter* inter *tantum* et *auditurus* excidisse.

modicos. Ed. Spir. *medios.* Mox eadem: *ita populum vim romanum plurium habere.* Pro *necessitudinibus* MS. Agr. *necessitatibus.* MS. Guelf. pro *plurimam* in contextu habet *publicam*, in margine adnotatur: *aut plurimam.*

parendumque. Sic edd. Spir. Rhen. sqq. *parendum*, omisso *que*, MSS. Harl. Bodl. les. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc.

volentia fuere. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. Guelf. edd. Spir. Pich. sqq. — *valentia f.* edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. — *volenti f.* edd. Rhen. Lips. Gruter. Sed cf. Hist. 3, 52. *Muciano volentia scripsere.* Rhenanus pro sua emendatione adfert Agr. c. 18. An. 1, 59. Hist. 3, 43. MS. Agr. *violentiora*, et emend. *valentiora*, unde Heinsius facit *volentiora plebi*, sc. quam senatui. Male.

angustias. Ed. Spir. *angustiam.*

in incerto. MS. Guelf. iterum *incerto*, sine *in.*

Cap. 37. *acquireret.* Ed. Spir. *acquireret˜* h. e. *acquireretur.* Eadem pergit: *nihil unquam.*

perinde laetum sibi, publicis locis struere convivia. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. cum sil. Pichenae et Iac. Gronovii. Quare miror, unde Heinsio et Oberlino innotuerit in MS. Flor. esse *locum locis.* MS. Bud. *perinne locum sibi laetum publ. locis*, unde Rhenanus

que urbe quasi domo uti. et celeberrimae luxu famaque epulae fuere, quas a Tigellino paratas ut exemplar referam, ne saepius eadem prodigentia narranda sit. Igitur in stagno Agrippae fabricatus est ratem, cui superpositum convivium navium aliarum tractu moveretur. naves auro et ebore distinctae, remigesque exoleti per aetates et scientiam libidinum componebantur. volucres et feras diversis e terris et animalia maris Oceano

coniectat: *nihil usquam periculosum sibi, laetus publ. l.* Sed vulgata non laborant. MS. Guelf. ante *publicis* addit *quam.* Pro *struere* MS. Ies. fert *statuere.*

famaque. MS. Agr. *infamiaque.*

quas a Tigellino paratas. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. edd. Spir. Pichen. sqq. Victorius tamen intactam reliquit scripturam *quasi T. paratae*, quae est in MSS. Bodl. Ies. Guelf. Bud. (a pr. manu) edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Emendavit Rhenanus: *quas Tigillino paratas*, quae sunt apud Lipsium et Gruterum. In vocabulo *Tigellino* scribendo libri variant, ut 14, 48.

ut exemplar referam. Sic MS. Flor. test. Pichena. Mirum est recentiores interpretes omnes adfirmare, in MS. Flor. esse *ut exemplum referam.* MSS. Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. *ut exempla referam.* Scilicet *r* initiale absorpsit litteram *r* finalem, quo vitio in vett. libris nil est frequentius. Contra MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. *ut exemplum feram.* Inde Rhenanus fecit: *ut exemplum referam*, quem imitati sunt Lips. Pich. et inter recentiores Ernestius, Broterius, Oberl. sqq. Ego cum Berneggero, Gronoviis, Ryckio veram scripturam revoco. Nam *exemplum* est quod datur ad hortationem aut dehortationem (cf. not. ad 1, 38.); *exemplar* est ἀρχέτυπον, quod genuinam veramque rei imaginem refert, quod est instar omnium eiusdem generis rerum: idque hoc loco sibi vult Tacitus. Mox ed. Spir. *ne saepius eadem pro diligentia narranda sint.* De re cf. Xiphil. 62, 15.

navium aliarum tractu. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pichena). Vocabulum *navium* omittitur in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. (pr. m. — altera m. in marg. posuit) Bud. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Scilicet ob similitudinem litterarum *navium* facile potuit absorberi a voce *convivium.* Alii libri *navium* alieno loco restituere: *aliarum tractu navium*, uti est in MSS. Reg. Corb. edd. Spir. Ernest. Broter. sqq. Nam *navium* iure meritoque hic praeponi quivis latinis auribus praeditus intelligit. Igitur sequor Pichenam, Lipsium (1607.) sqq. ad Ernestium. Plane autem supervacaneae sunt coniecturae Ernestii: *actuariarum*, et Bipontinorum: *multarum* pro *aliarum* legentium. *Ratem* intellige compagem tignorum asserumque navibus suppositis contabulatam; hinc apte sequitur *aliarum navium* mentio. cf. Lucan. 4, 17.

per aetates et scientiam. Ed. Spir. *per aetates sciūꝫ* h. e. *scientiamque.* Eadem *componebāt* pro *componebantur*, et deinde *petiverant* pro *petiverat.* MS. Guelf. *per aetatem exoleti* pro *exoleti per aetates.*

maris Oceano abusque. Frustra Heinsius: *mari Oceano.* Immo *animalia maris* petivit non solum

abusque petiverat. crepidinibus stagni lupanaria adstabant inlustribus feminis completa, et contra scorta visebantur nudis corporibus. iam gestus motusque obsceni: et postquam tenebrae incedebant, quantum iuxta nemoris et circumiecta tecta consonare cantu et luminibus clarescere. Ipse per licita atque inlicita foedatus nihil flagitii reliquerat, quo corruptior ageret, nisi paucos post dies uni ex illo contaminatorum grege (nomen Pythagorae fuit) in modum solemnium coniugiorum denupsisset. inditum imperatori flammeum: visi auspices, dos et

e mari mediterraneo, sed miraculi causa e diversis etiam maribus, et Oceano abusque. MS. Guelf. in contextu *e coelo usque* pro *Oceano abusque*, quae in margine ponuntur.

et contra. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. usque ad Oberlinum, qui auctoritate MS. Bud. expunxit *et*, quod cur displiceat non video.

obsceni. Sic edd. Spir. et recentt. — MS. Guelf. *obseni.* Edd. Put. sqq. *obscoeni.*

incedebant. Rhenanus et Heinsius coniecere *incidebant.* Ernestius vulgatum recte defendit. cf. not. ad 1, 35. De tenebris dictum *incedere* exacte est *eintreten.*

clarescere. Hoc verbum in ed. Spir. omittitur. Sed durior tum est syllepsis.

per licita atque inlicita foedatus. Nimirum per *licita* quidem non est foedatus, sed foedatus est eo, quod sibi permitteret, seu licita sive inlicita essent. Sic Hist. 2, 56. *in omne fas nefasque avidi* h. e. avidi in omne, sive esset fas sive nefas. Hist. 3, 51. *tantam victoribus adversus fas nefasque inreverentiam.* cf. Langii Parerga ad Vindicias tragoed. Rom. p. 49.

reliquerat. MS. Guelf. *relinquerat*, quod vitiorum genus ibi frequens est.

nomen Pythagorae fuit. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. Victorius etiam parenthesin circumdedit, ut e MS. Flor. Vulgata: *cui nomen P. fuit* sunt in MS. Guelf. edd. Put. sqq. Ed. Spir. *Pithagorae*; litteram *y* in aliis etiam vocabulis is liber non agnoscit. De eodem viro cf. Xiphil. 63, 13. Suetonius Ner. c. 29. *Doryphorum* nominat. Vid. ibi Baumgarten-Crusius.

visi auspices, dos etc. Scriptura: *visi auspices* est e coniectura Rhenani, quam in contextum recepere Pichena, Bernegger., Gronov. sqq. *Dos* a Lipsio repetitum est e Sulpicio Severo, qui 2, 28. Tacitum secutus iisdem fere verbis haec refert. MSS. et vett. edd. videntur debiles esse. MS. Flor. (test. Pichena et Iac. Gronovio) *misit auspices dos*, et immerito Iac. Gronovius succenset Pichenae, quod e MS. prodiderit *missi.* Immo Pichena disertis verbis dicit MS. Flor. habere *misit auspices d'os.* Sed vocabulum *dos* ibi per notam ita scriptum est, ut aliis *duos* legendum videretur. Hinc MSS. Agr. Bodl. Ies. Guelf. (a sec. manu: in litura sunt *uo*, ultima in non rasa charta; sed duas litteras erasas et ultimam *s* fuisse apparuit Ernestio mihique) edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. *misit auspices duos.* MS. Bud. *misit auspices deos.* De MSS. Reg. et Corb. Broterius mire tacet. Ex emendatione edd. Lips. Gruter.

genialis torus et faces nuptiales: cuncta denique spectata quae etiam in femina nox operit.

XXXVIII. Sequitur clades, forte an dolo principis incertum: nam utrumque auctores prodidere: sed omnibus, quae huic urbi per violentiam ignium acciderunt, gravior atque atrocior. Initium in ea parte circi ortum, quae Palatino Caelioque montibus contigua est, ubi per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, simul coeptus ignis et statim validus ac vento citus longitudinem circi corripuit. neque enim domus munimentis septae vel templa muris cincta aut quid aliud morae interiacebat. impetu pervagatum incendium plana primum, deinde in edita adsurgens et rursus inferiora populando anteiit remedia velocitate

dant *missi auspices duo.* Iam de vocabulo *dos* non est quod dubitemus; *visi* verum esse non credo. Hillerus Racem. 21. verba *visi auspices* delet, quia desunt apud Severum, cuius verba se habent ita: *Inditum imperatori flammeum, dos et genialis torus et faces nuptiales, cuncta denique, quae vel in feminis non sine verecundia conspiciuntur, spectata.* Igitur puto verba litigata e glossemate in contextum venisse. Potuit aliquis in margine codicis vel inter versus notare: *omisit auspices,* quippe qui ad nuptias pertineant. cf. 11, 27. Inde ab imperito librario contextui additum est, quod codd. MSS. superstites exhibent. Sed haec incerta sunt et melius Rhenani emendationem retinebimus: nam si Tacitus auspices omisit, gratias egerit illi, qui addidit. Pro *genialis torus* MS. Agr. dat *genialem torum,* ut pendeat e *misit.* Iac. Gronovius pro *visi* volebat *instita,* nemine plaudente. Heinsius: *admissi* vel *summissi.*

nox operit. Ed. Spir. *noxa perit.*

Cap. 38. *sed omnibus.* Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Rhen. (an e MS. Bud. reticet) sqq. *sed* omittitur in edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

per violentiam ignium acciderunt, gravior atque atrocior. Sic edd. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. *per v. acciderunt: ignium gravior atque atrocior* ed. Spir. — Pro *gravior atque atrocior* MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. ferunt *gravius atque atrocius.* — De hoc incendio urbis cf. Xiphilin. 62, 16 sqq.

vento citus. Ed. Spir. *vento situs.*

morae. MS. Guelf. *more,* vulgari vitio.

et rursus. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Lips. 1607. At *rursus* sine *et* MS. Bud. et inde edd. Rhenan. Ald. Lips. (in prioribus edd.) Gruter. Copulam Pichena reposuit e MS. Flor.: sed invito codice idem dedit *rursum,* quod dein per omnes edd. vulgatum est.

populando. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *depopulando* ed. Spir. Eadem *anteit* pro *anteiit.*

mali et obnoxia urbe artis itineribus hucque et illuc flexis atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. Ad hoc lamenta paventium feminarum, fessa senum ac rudis pueritiae aetas, quique sibi quique aliis consulebant, dum trahunt invalidos aut opperiuntur, pars morans, pars festinans cuncta impediebant: et saepe, dum in tergum respectant, lateribus aut fronte circumveniebantur: vel si in proxima evaserant, illis quoque igni correptis, etiam quae longinqua crediderant, in eodem casu reperiebantur. Postremo quid vitarent, quid peterent ambigui complere vias, sterni per agros:

hucque et illuc. Ed. Spir. *hicque et illuc.*

qualis vetus Roma fuit. cf. Liv. 5, 55.

ad hoc. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Harl. (hic ex emendatione) edd. Spir. Rhen. sqq. — *ad haec* MSS. Guelf. Ies. Harl. (a pr. m.) edd. Put. M. et V. Ber. Alc. cf. not. ad c. 4.

fessa senum ac rudis pueritiae aetas. Sic MS. Agr. et inde edd. Ryck. Brot. Oberlin. sqq. — *fessa aetate aut r. p. aetas* MSS. Flor. Guelf. Bud. (hic *fexa*, ut solet) Harl. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *fessa erant: aut r. p. aetas* MS. Reg. ed. Spir. — Ursinus e vet. cod. adfert *fessa aetate senes*, quae scriptura placuit Bipontinis. Accessere virorum doctorum coniecturae. Lipsius delet vocem *aetate.* Pichena vult: *fessa annis aut* etc. Freinshemius: *fessa aetas aut rudis pueritia.* Iac. Gronovius: *fessa aetate aut rudis pueritiae, quique* etc. Hiller. Rac. 20. *fessae aetatis aut rudis pueritiae.* Iam si recepta MS. Agr. scriptura vera est, quaeritur, quomodo in illum codicem venerit, ceteris omnibus corruptis? Nempe ex emendationis studio, cuius multa ibi vestigia sunt. Sed fortasse vetus scriptura defendi potest, ut intelligantur *τὰ fessa aetate*, h. e. ea pars hominum quae fessa aetate.

quique sibi, quique etc. MS. Guelf. *quisque sibi quisque aliis consulebant.*

pars morans. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. et sic vulgus MSStorum. At MS. Flor. (test. Iac. Gronovio) *pars mora;* idem inesse MS. Reg. ferunt. Nec displicet ea scribendi ratio Ernestio. Potuit tamen illud *mora* originem trahere e compendio *morās*, quod est in ed. Spir. Miror Pichenam et Victorium silentio transiisse tam insignem cod. Flor. varietatem.

in tergum. Sic MS. Guelf. edd. Ber. Rhen. sqq. — *integrum* edd. Spir. Put. M. — *inregrum* ed. Put. V.

correptis. Ed. Spir. *corruptis.* Mox I. Fr. Gronovius censet aut delendum *etiam*, ut sit, *illis quoque igni correptis, quae longinqua crediderant;* aut scribendum *reperiebant.* Decepit virum brevitas scriptoris. Elliptice loquitur, uti solet. Plena sententia est: *si in proxima evaserant, illis quoque igni correptis*, in longinqua fugientibus, *etiam quae l. cr. in eod. c. reperiebantur.* Sed omittitur illud membrum, quod e contextu satis intelligitur.

ambigui complere vias. Ed. Spir. *ābiguae copulae vias.*

quidam amissis omnibus fortunis, diurni quoque victus, alii caritate suorum, quos eripere nequiverant, quamvis patente effugio interiere. Nec quisquam defendere audebat, crebris multorum minis restinguere prohibentium, et quia alii palam faces iaciebant atque esse sibi auctorem vociferabantur, sive ut raptus licentius exercerent, seu iussu.

XXXIX. Eo in tempore Nero Antii agens non ante in urbem regressus est quam domui eius, qua palatium et Maecenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret. neque tamen sisti potuit, quin et palatium et domus et cuncta circum haurirentur. Sed solatium populo exturbato et profugo campum Martis ac monimenta Agrippae, hortos quin etiam suos patefecit, et subitaria aedificia exstruxit, quae multitudinem inopem acciperent: subvectaque utensilia ab Ostia et propinquis municipiis, pretiumque frumenti minutum usque ad ternos nummos. Quae quanquam popularia in inritum cadebant, quia pervaserat rumor ipso tempore flagran-

diurni quoque victus. Ernestius vult *diurni inopia victus;* Broterius *diurno quoque victu.* Sed nihil mutandum esse bene vidit Hillerus. In *fortunis* latet notio facultatum omnis generis, quae supplenda est ad genitivum *diurni quoque victus.*

nequiverant. MSS. Bud. Bodl. *nequirant.* MSS. Harl. Ies. Guelf. *nequierant.*

interiere. MSS. Reg. Corb. Ies. *interire.*

prohibentium. MS. Guelf. *prohibitum.*

esse sibi. MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *sibi esse.*

vociferabantur. Sic edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *vociferabant* MSS. Reg. Corb. ed. Spir. — *vociferantur* MS. Bud. a pr. manu. — In Guelf. nunc legitur *vociferebant,* erasis siglis *ur* significantibus.

iussu. Sic edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *iussum* MSS. Reg. Guelf. ed. Spir. Huetius volebat *iussi.* Parum interest. Vulgatum tamen optime Tacito convenit.

Cap. 39. *Eo in tempore.* Sic 13, 47. *in eo tempore;* 16, 26. *tali in tempore.* Frustra igitur Grotius: *Eo enim tempore.*

regressus est. In ed. Spir. omittitur *est.* Eadem mox *et domos* pro *et domus.* De *domo Neronis* cf. Sueton. Ner. c. 31.

neque tamen sisti p. MS Guelf. *neque sisti tamen p.*

et profugo. Sic edd. Rhen. sqq. — Edd. Spir. Put. sqq. cum MS. Guelf. *ac profugo.* De monim. Agr. cf. Dio 54, 28.

subitaria. Ed. Spir. *subita.*

municipiis. MS. Bud. *beneficiis.*

inritum. Sic MS. Flor. (test. Vict.). — *irritum* edd. vett. c. cod. Guelf.

pervaserat rumor. Sic MS. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald.

tis urbis inisse eum domesticam scenam et cecinisse Troianum excidium praesentia mala vetustis cladibus adsimulantem.

XL. Sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus prorutis per immensum aedificiis, ut continuae violentiae campus et velut vacuum coelum occurreret. Nec diu post metus haud redibat levis et rursum grassatus ignis patulis magis urbis locis, coque strages

(c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *persuaserat rumori* ed. Spir. — *pervaserat rumore* MSS. Harl. Ies. Guelf. Varietatem peperit verbum *persuaserat*, quod dativum poscebat: qui cum verbo *pervaserat* iungi nequiret, emendandi causa factum est *rumore*. Potest tamen dici: *pervadit aliquid rumore*. Ernestius coniecit: *rumor in ipso tempore*.

inisse. Ed. Spir. *iniisse*. Eadem mox omittit *excidium*. Mox *assimilantem* MS. Guelf. cf. not. ad 1, 28.

Cap. 40. *Esquilias*. Ed. Spir. et MS. Guelf. *exquilias*. cf. not. ad 2, 32.

prorutis. Ita ex emendatione I. Fr. Gronovii edd. Brot. Ernest. sqq. quia *proruptis*, quod habent MSS. et vett. edd., eo significatu latine dici dubitatur. Nam *prorumpere* dicitur potius significatu intransitivo, ut 1, 63 et 65., et frequens est in vett. libris utriusque verbi permutatio. cf. not. ad 12, 43. *crebris terrae motibus prorutae domus*. Aedificia possunt et *rumpi* et *rui*. *Rumpi* autem potissimum dicuntur, quae vinculis cohaerent; quare aptissime aedificia. Tum ex analogia aliorum verborum *prorumpi* (*hinwegreifsen*) non minus erit latinum quam *prorui*, neque in Taciti libris omnia sunt respuenda, quae ab aliorum scriptorum usu sunt aliena. Accedit quod Hist. 1, 86. iterum MSS. et vett. edd. omnes ferunt *prorupto ponte*, quod ex eiusdem Gronovii sententia mutatur in *proruto ponte*, licet An. 1, 63. sit *ruptos vetustate pontes*. cf. Davis. ad Caes. B. G. 3, 26. Sed quia verbum *rumpi* in tali contextu videtur ruinam indicare per hominum manus factum, hic vero sermo est de aedificiis vi incendii prostratis, aptius haud dubie cum Gronovio scribimus *prorutis*.

nec diu post metus haud redibat levis, et rursum grassatus ignis. Locus in MSS. mutilus fractusque. MS. Flor. test. Pichena: *nec dum p' metus aut rediebat libis, ι sum grassatus ignis*. Eadem ex illo libro adfert Ryckius secundum collationem I. Gronovii, nisi quod habet $\overset{u}{\textit{lebis}}$ pro *libis*. Cum Ryckio plane consentit Victorius, nisi quod post $\overset{u}{\textit{lebis}}$ pergit: . ι . . *rursusque*. Duo alii codd. MSS. in eadem bibliotheca Flor. asservati locum test. Iac. Gronovio ita exhibent: *nec dum post metus aut rediebat levis et rursum g. i.* et plane sic MS. Corb. apud Broterium MS. Agr. *nec dum posito, metus redibat non levis et rursum g. i.*, uti Ryckius edidit. MS. Bud. pr. m. *necdum post metus redibat levis rursus gr. i.* MSS. Guelf. Harl. Ies. *necdum post metus aut residebat levis: necdum posito metu satis credebatur, cum levis rursum grassatus ignis* (duae legendi rationes e diversis codd. ductae). Posterior est in MS. Bodl. — Ed. Spir. *necdum metus post aut redibat*

hominum minor, delubra deum et porticus amoenitati dicatae latius procidere. plusque infamiae id incendium habuit, quia praediis Tigellini Aemilianis proruperat. videbaturque Nero condendae urbis novae et cognomento suo appellandae gloriam quaerere. Quippe in regiones quattuordecim Roma dividitur, quarum quattuor integrae manebant, tres solo tenus deiectae: septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant lacera et semusta.

XLI. Domuum et insularum et templorum, quae amissa sunt, numerum inire haud promptum fuerit: sed vetustissima religione, quod Servius Tullius Lunae et

leuis: et rursum gr. i. etc. Edd. Put. M. et Beroald. *necdum posito metu satis credebatur: cum levis rursum grassatus ignis: patulis* etc. ut ita conspirent cum MS. Bodl. Pro *necdum* ed. Put. V. dat *ne dum*, vitio typothetae, ut videtur. Rhenanus ex ingenio edidit: *necdum posito metu redibat. Leuis rursum gr. i.* etc. Eandem scripturam Lipsius retinuit, asterisco posito ante *Levis*. Coniiciebat legendum: *rediit, at levius rursum grassaturus ignis.* Pichena dedit: *nec dum posito metu, redibat levis rursum grassatus ignis, patulis* etc. Quae valuerunt usque ad Ryckium. Muretus sequitur Puteolanum, deleta tantum voce *levis*. Acidalius more suo per transpositionem loco consulebat. Broterius e vestigiis MS. Corb. et ed. Spir. edidit: *necdum posito metu, redibat haud levis, et rursum grassatus ignis.* Bipontini probant scripturam cod. Agr., substituunt tamen *haud* pro *non*. Hillerus Rac. 20. coniecit: *necdum posito metu, redibat levius rursum grassatus ignis.* In contextum ea recepit Oberlinus, retinuere sequentes editores, quod miror. Nam mira profecto est locutio: *grassatus ignis redibat.* Putabam ignem *grassaturum* quidem, neque vero *grassatum redire* in tali contextu dici posse. Quae opinio quum adhuc animo inhaereat, Hilleri coniecturam probare non possum. Malui quam accuratissime sequi optimorum codicum vestigia, levissima usus mutatione. *Diu* et *dum*, *aut* et *haud* saepius confundi in MSS. quis nescit? cf. not. ad 15, 1. Hist. 3, 42. Compendium *p'* in MS. Flor. sine dubio est *post* potius quam *posito*. Nam Pichena ad Hist. 3, 7. scribit: „saepissime in eodem libro invenitur *p'* pro *post.*" Neque tamen spero meam coniecturam omnibus probatum iri, quando in coniecturis nemo facile omnibus satisfacit.

id incendium. Ed. Spir. *ad incendium.*

Aemilianis. Lipsius volebat: *in Aemilianis*, quia *Aemiliana* sunt locus, in quo erant praedia illa. Varro R. R. 3, 2. Sueton. Claud. c. 18. At nonne praedia Tigellini *Aemiliana* dici possunt, quae habentur in Aemilianis? Ceterum MS. Guelf. fert *aemyliani*, erasa littera postrema.

semusta. Sic MS. Flor. (test. Vict.) pro *semiusta*, quod habent MS. Guelf. edd. omnes. cf. 2, 69.

Cap. 41. *Domuum.* Edd. Spir. et Put. *Domum.* Mox ed. Spir. *mire* pro *inire.*

Lunae. MS. Agr. *Lucinae.*

magna ara fanumque, quae praesenti Herculi Arcas Evander sacraverat, aedesque Statoris Iovis vota Romulo, Numaeque regia et delubrum Vestae cum penatibus populi Romani exusta: iam opes tot victoriis quaesitae et Graecarum artium decora, exin monimenta ingeniorum antiqua et incorrupta: quamvis in tanta resurgentis urbis pulchritudine, multa seniores meminerint quae reparari nequibant. Fuere qui adnotarent XIV. Kalend. Sextiles principium incendii huius ortum, quo et Senones captam urbem inflammaverint. alii eo usque cura progressi sunt, ut totidem annos mensesque et dies inter utraque incendia numerent.

iam opes ... nequibant. Vulgo locum distinguut ita: *exusta. Iam opes, tot victoriis quaesitae, et graecarum artium decora, exin monimenta ingeniorum antiqua et incorrupta, quamvis, in t. res. u. pulchritudine, multa* etc. Miror. Nam idoneus nexus deest, quo verba priora: *Iam ... incorrupta,* cum seqq. coniungantur. Quare et versiones nostratium non potuerunt non male procedere. Sed vana erat loci interpunctio. Verba: *iam ... incorrupta,* continuant recensum earum rerum, quae tum amissae sunt: leniore igitur distinctione a prioribus erant seperanda. Particulae *iam* et *exin* inserviunt ordinandis nectendisque membris. Sic *iam* c. 43., *exin* 2, 16. Inde a vocabulo *quamvis* nova incipit series verborum, et *quamvis* non pertinet ad *meminerint*, sed coniungenda sunt: *quamvis in tanta r. u. pulchritudine.*

monimenta. Sic edd. Rhenan. sqq.; *monumenta* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc.; *munimenta* ed. Spir., vulgari confusione. cf. not. ad 1, 3.

meminerint. Sic libri MSS. interque eos Flor., edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. et dein edd. Pichen. Bip. Oberl. — *meminerant* edd. Rhen. (ex ingenio) Lips. Bernegg. Gronov. Ryck. Broter. et nuper Bekker. et Kiesslingius. Sed de suo tempore Tacitus loquitur et de senioribus, qui tum vivebant viderantque Romam ante Neronis incendium. Modus *meminerint* eadem ratione utitur, qua ante est *fuerit.* Mox MS. Guelf. edd. Put. M. et V. *Sextilium* pro *Sextiles.*

incendii huius. MS. Guelf. omittit *huius.*

quo et Senones. Sic edd. Rhen. sqq. — *et quo* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) — *e quo* ed. Spir. — *ex quo* MS. Corb. ed. Alc. De aliis libris silentium est. Mihi verum videtur esse *et quo.*

inflammaverint. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Agr. ed. Spir. — *inflammaverant* MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Verum illa res suspensa fide hic effertur.

eo usque cura. Alibi, nisi fallor, in tali contextu Noster scribit: *eo usque curae.* 4, 14. *eo flagitiorum;* 4, 10. *eo audaciae.* cf. Ramshorn. Gr. § 115. p. 197. 2).

inter utraque incendia. MS. Agr. *inter conditam urbem et utraque incendia*, ex infelici emendandi studio. Nam satis patet haec ita intelligenda esse, ut priora computentur spatia ab urb. c. ad Gallos et a Gallis ad Neronis incendium.

XLII. Ceterum Nero usus est patriae ruinis exstruxitque domum, in qua haud perinde gemmae et aurum miraculo essent, solita pridem et luxu vulgata, quam arva et stagna et in modum solitudinum hinc silvae inde aperta spatia et prospectus, magistris et machinatoribus Severo et Celere, quibus ingenium et audacia erat etiam quae natura denegavisset per artem tentare et viribus principis inludere. namque ab lacu Averno navigabilem fossam usque ad ostia Tiberina depressuros promiserant squalenti litore aut per montes adversos. neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit quam Pomptinae paludes: cetera abrupta aut arentia, ac si perrumpi possent, intolerandus labor nec satis causae. Nero tamen, ut erat incredibilium cupitor, effodere proxima Averno iuga connixus est, manentque vestigia inritae spei.

Rationem vero non constare vidit Lipsius: scilicet ex nostro haec computandi modo. At illi a nostra alienam haud dubie inierunt rationem, sive Gallorum inrúptionem ad aliud tempus distulerint, sive urbis originem in altiorem antiquitatem reduxerint. Tacitus istam curam ridet ut vanam. Nec dubium illos, uti fit, in talibus curis res ad suum arbitrium ordinasse, ut ratio constaret, neglecta paulum veritate. cf. Broterius ad h. l.

numerent. De scriptoribus loquitur, quorum scripta Tacito ante oculos erant.

Cap. 42. *in qua.* Ed. Spir. *qua*, omissa praepositione, quam praecedens vocabulum absorpsit.

haud perinde. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. (c. silent. Vict.) — *haud proinde* ed. Spir. Sed cf. 6, 30. 13, 21. et 49. 15, 21. et not. ad 3, 17.

arva. Ed. Spir. *arma.* Eadem mox *ptē* pro *per artem.* MS. Bud. *hinc aperta* etc. cf. c. 11.

tentare. MSS. Flor. (test. Vict.) Agr. ed. Spir. *temperare.* Haud inepte. — *temptare* edd. Put. Ber. et Alc. — *tentare* MS. Guelf. edd. Rhenan. sqq. De aliis libris silentium est.

squalenti litore. Ed. Spir. *sequenti littore*; et sic MS. Guelf. e correctione, cum ante fuisset *squalenti*, quod verum esse inter viros doctos consentitur et e melioribus libris patet. Ed. Put. V. *littorare* pro *litore*, lapsu operarum.

Pomptinae. MS. Guelf. *pontianae.* Ed. Spir. *pontinae.* Eadem *aut arena* pro *aut arentia*; *prorumpi* pro *perrumpi.*

connixus est. MSS. Harl. Bodl. les. *connissus est*; in Harl. emendatum *connisus.* Guelf. primum habuit *connissus*, unde rec. m. fecit *connixus.* MS. Bud. *enixus.* Rhenan. coniecit *annisus*, edidit vulgatum inde ab ed. Spir. Paulo ante MS. Agr. *concupitor* pro *cupitor.*

XLIII. Ceterum urbis quae domus supererant, non ut post Gallica incendia nulla distinctione nec passim erectae, sed dimensis vicorum ordinibus et latis viarum spatiis cohibitaque aedificiorum altitudine ac patefactis areis additisque porticibus, quae frontem insularum protegerent. Eas porticus Nero sua pecunia exstructurum purgatasque areas dominis traditurum pollicitus est. addidit praemia pro cuiusque ordine et rei familiaris copiis, finivitque tempus, intra quod effectis domibus aut insulis apiscerentur. Ruderi accipiendo Ostienses paludes destinabat, utique naves, quae frumentum Tiberi subvectassent, onustae rudere decurrerent: aedificiaque

Cap. 43. *ceterum urbis quae domus .... erectae.* Sic edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Eadem sunt in MS. Bud. ed. Spir., nisi quod hi libri ferunt *erecta* pro *erectae.* MSS. Bodl. Ies. Harl. Guelf. Bud. (in marg. a sec. m.) *quae domuum .... erecta*, uti edidere Bipontini. Sed quum Iac. Gronovius e MS. Flor. et Lallemandus e MS. Reg. protulissent *domui* atque praeeunte Ryckio edidissent, plurimi recentiorum editorum illos imitati sunt. Valde tamen de MS. Flor. dubito; nam *domui* si ibi esset, non tacuissent Pichena et Victorius. Ceterum satis ieiuna mihi videtur esse ea scriptura. Verba: *urbis quae domus supererant* dicta sunt pro: domus urbis quae supererant sc. praeter Neronis (*die übrigen Häuser der Stadt*). Nil igitur opus est emendatione Lipsii: *quae perierant.* Vocabulum *urbis* praeponitur, quia ante dictum est de domo Neronis, cui nunc opponuntur urbis domus. Reperio Kiesslingium plane mecum consentientem. — Quodsi malis *erecta*, accipe *quae* pro plurali neutrius generis numero: non enim a Taciti dicendi ratione abhorret, ut scribat *ea domuum quae.*

cohibitaque. Sic MSS. Flor. (test. I. Gronovio) Agr. edd. Spir. Ryck. sqq. Victorius tamen et Pichena intactum reliquere *cohibita* (sine *que*), quod est in MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. ad Ryckium.

eas porticus Nero. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. et dein Ryck. sqq. — *Nero eas porticus* MS. Agr. ed. Spir. — *easque porticus Nero* edd. Lips. Pich. sqq. ad Ryckium. Mox verba: *purgatasque areas dominis traditurum* non apparent in ed. Spir.

apiscerentur. Sic MS. Flor. (test. Victorio c. Iac. Gronovio) edd. Ryck. Iac. Gronov. cf. 3, 27. 31. 4, 1. 16. 59. 6, 3. 20. 45 etc. Vulgo *adipiscerentur*, quod est in vett. edd. et MS. Guelf.

utique naves. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Guelf. Bodl. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. et dein Iac. Gronov. sqq. — *utque naves* MSS. Bodl. (ex emendatione) Bud. et inde edd. Rhen. sqq. ad Iac. Gron. In Kiesslingii notam huic loco additam error inrepsit. *Uti* pro *ut* invenimus etiam 1, 3.

subvectassent. Sic MSS. Bud. Guelf. Agr. Harl. Bodl. Ies. Corb. edd. Rhen. sqq. — *subvecta essent* MS. Flor. (test. Iac. Gronovius) ed. Spir. Victorius intactam reliquit scripturam *subvectae es-*

ipsa certa sui parte sine trabibus saxo Gabino Albanove solidarentur, quod is lapis ignibus impervius est. Iam aqua privatorum licentia intercepta quo largior et pluribus locis in publicum flueret, custodes et subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet: nec communione parietum, sed propriis quaeque muris ambirentur. ea ex utilitate accepta decorem quoque novae urbi attulere. erant tamen qui crederent veterem illam formam salubritati magis conduxisse, quoniam angustiae itinerum et altitudo tectorum non perinde solis vapore perrumperentur: at nunc patulam latitudinem et nulla umbra defensam graviore aestu ardescere.

XLIV. Et haec quidem humanis consiliis providebantur. mox petita a diis piacula aditique Sibyllae libri, ex quibus supplicatum Vulcano et Cereri Proserpinaeque

sent, quae est in edd. Put. M. et V. Ber. Alc. et ita esse in MS. Flor. testatus erat Pichena. Sed vitium apertum est. cf. not. ad 14. 62. sub v. *elusa erat.*

Albanove. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Bud. Agr. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. et dein Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *Albanoque* edd. Rhen. sqq. ad Ryckium.

ignibus impervius. Sic MSS. Flor. (test. Pich. c. Iac. Grön.) Bud. Agr. Guelf. Reg. Bodl. les. edd. Spir. Put. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. — *igni* edd. Rhen. sqq. ad Ryckium, qui *ignibus* restituit.

largior etc. Ed. Spir. *largitior et plus locis* etc.

custodes etc. In MS. Bud. a sec. m. post *custodes* additum est *imposuit*, et post *ambirentur* ibi est *statuit* ex emendandi studio. At *haberet* et *ambirentur* pendent e praecedentis loci constructione (converte: *es sollte ein jeder haben*). Freinshemius contra omnem loci rationem censebat *quo* ante *largior* delendum esse. Mox ad verba: *nec communione parietum* per syllepsin intelligendum est *haberentur* vel simile quid. Nam *ambirentur* de propriis muris tantum valet. Paulo ante ed. Put. V. *probatulo* vitiose pro *propatulo.*

attulere. Ed. Spir. *attulerunt.*

Cap. 44. *petita a diis piacula.* Sic libri vett. edd. et MSS. Ex I. Fr. Gronovii opinione Ernestius sqq. delevere praepositionem *a*, ut intelligas conquisita piacula sive sacrificia piacularia, quae diis fierent. Verum *piacula a diis petita* hic ut divina consilia opponuntur *humanis consiliis.* Nam piacula antiquitus a diis esse petita h. e. deos esse interrogatos de placamentis, quae fieri vellent, quis nescit? Dii autem respondebant per oracula, apud Romanos per libros Sibyllae. Quare explicandi causa additur: *aditique S. l.* Kiesslingius mecum consentit reposuitque praepositionem. Ed. Spir. *additique Sybillae,* omisso *libri.* In scriptura *Sybillae* edd. Put. M. et V. conspirant cum Spir. — MS. Guelf. edd. Beroald. sqq. *Sibyllae.*

Vulcano. MS. Flor. (test. Vict.) *Volcano.*

ac propitiata Iuno per matronas primum in capitolio, deinde apud proximum mare, unde hausta aqua templum et simulacrum deae prospersum est: et sellisternia ac pervigilia celebravere feminae, quibus mariti erant. Sed non ope humana, non largitionibus principis aut deum placamentis decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur. ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis adfecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat. repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursum erumpebat non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primum correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens

propitiata. Sic edd. Lips. Pich. sqq. *propiciata* MS. Guelf. edd. vett. cum sil. Vict. Mox ed. Spir. habet *in* pro *apud* ante *proximum.* Eadem *exhausta* pro *hausta.*

prospersum est. MS. Agr. *perspersum est*, et sic emendatum est in MS. Harl. — MS. Guelf. *prosperum est.*

sellisternia. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich. et Iac. Gron.) Bud. Guelf. (a pr. m.) edd. Ryck. Iac. Gron. sqq. — *selisternia* MS. Bodl. cf. Valer. Max. 2, 1. ext. 2. — *lectisternia* MSS. Reg. Guelf. (a sec. m.) Bud. (in marg.) edd. Spir. sqq. ad Ryckium.

abolendo rumori. MS. Reg. *ab. vero rumori.* Mox post *adfectus* MS. Agr. omittit *erat.*

quaesitissimis. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Lips. Pich. sqq. cf. 5, 3. *quaesita asperitas;* 3, 57. *quaesitior adulatio;* 2, 53. *quaesitissimi honores.* — Edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *exquisitissimis.* De aliis libris silentium est.

Christianos. Ed. Spir. *xpianos*, et mox *xpus.*

nominis eius. MS. Guelf. *eius nominis.*

Tiberio imperitante. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich. et Iac. Gron.) Corb. edd. Spir. Iac. Gronov. sqq. — *qui Tiberio i.* MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. Sed illud *qui* saepius male additur in vett. libris. cf. not. ad Hist. 1, 77. 3, 47. 4, 5.

exitiabilis. MSS. Vatic. Corb. *exitialis.* Sed cf. 6, 24. 16, 5.

rursum erumpebat. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. ed. Spir. — *rursus erumpebat* edd. Put. sqq. cum cod. Guelf.

undique. MS. Guelf. *ubique.*

igitur primum. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gron.) Bud. ed. Spir. — *igitur primo* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Mox MS. Corb. *dein* pro *deinde.*

haud proinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt. et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent aut crucibus adfixi aut flammandi atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat et circense ludicrum edebat ha-

haud proinde. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — *haud perinde* MS. Guelf. edd. Rhen. sqq. cf. not. ad 3, 17.

in crimine. Praepos. *in* abest a MS. Corb.

convicti sunt. Sic vulgo MSS. et edd. vett. (c. silentio Vict.). Sed Pichena et Iac. Gronovius in MS. Flor. invenere atque inde edidere *coniuncti sunt.* Alii, ut Lips. I. Fr. Gronov. Ryck. Ernest. Broter. sqq. retinuere vulgatum. Difficile est verum discernere. Nam utraque scriptura defendi potest et mira est in vett. libris inconstantia circa scripturam *victus, vinctus, iunctus.* De usu verbi *convincere* cf. 4, 31. *equitem Romanum probrosi in se carminis convictum;* 14, 5. *convincendum ad scelus.* Hic *in crimine incendii;* h. e. non convicti sunt (absolute) in ea quaestione, quae haberetur de incendio. cf. Sueton. Claud. c. 14. *in maiore fraude convictos.* Tac. An. 11, 2. *in omni flagitio obstrictos.* Cic. ad Q. Fr. 2, 2. *Primum me tibi excuso in eo ipso, in quo te accuso.* Vid. Ramshorn. Gr. §. 110. p. 188. not. 2. De verbo *coniungere* cf. 13, 17. *Nox eadem necem Britannici et rogum coniunxit;* 6, 26. *aversatus sermonem Nerva abstinentiam cibi coniunxit.* Igitur *coniuncti sunt* h. e. simul cum confessis cruciati sunt. Ad verba: *in crimine incendii* tum intelligendum est ὄντες, ut praepositio *in* indicet causam, in qua deprehensi coniuncti dicantur. Sic 3, 24. *Silanus in nepti Augusti adulter.* — *Odio* h. e. ob odium, quo imbuti credebantur. cf. Hist. 5, 4. *Moyses quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit* etc. et c. 5. *adversus omnes alios hostile odium.* Ceterum magis mihi placet scriptura vulgata: *convicti sunt.*

et pereuntibus. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. et dein Lips. Pich. sqq. — *ea pereuntibus* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Rhen. Ald.

flammandi. MS. Agr. *flammati.* Sed *flammandi* sunt destinati ad flammam, reservati ut flammarentur: idque sibi vult scriptor. Hinc *atque* non molestum est, ut Ernestio videbatur: etenim per verba: *atque . . . urerentur* verbum *flammandi* accuratius explicatur, et post *flammandi* e praecedenti oratione supplendum est *interirent.* Sulpicius Severus de eadem re: *Novae mortes excogitatae, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent: multi crucibus affixi aut flamma usti: plerique in id reservati, ut cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Ex illo Meursius Nostrum emendabat: *aut flamma usti, utque ubi* etc. Hillerus Rac. 20. *aut flammati plerique, ubi def.* etc.

in usum noct. luminis. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *in usu n. l.* MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Harl. Bodl. Ies. Reg. Corb. Guelf. Bud. ed. Spir. Potuit *m* in fine positum absorberi per sequens *n.* Namque Ovid. Met. 14, 553. *mediisque carina subdita navigiis spinae mutatur in usum.* Virgil. Aen. 7, 13. *urit odoratam nocturna in lumina cedrum.* Sic Graeci usurpant εἰς. In vulgatam scriptu-

bitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens. unde quanquam adversus sontes et novissima exempla meritos miseratio oriebatur, tanquam non utilitate publica sed in saevitiam unius absumerentur.

XLV. Interea conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciae eversae sociique populi et quae civitatum liberae vocantur. inque eam praedam etiam dii cessere spoliatis in urbe templis egestoque auro, quod triumphis, quod votis omnis populi Romani aetas prospere aut in metu sacraverat. enimvero per Asiam atque Achaiam non dona tantum sed simulacra numinum abripiebantur missis in eas provincias Acrato ac Secundo Carinate: ille libertus cuicunque flagitio promptus, hic Graeca doctrina ore tenus exercitus, animum bonis ar-

ram etiam Sulpicius consentit. Quanquam Tacit. Hist. 2, 86. *in nullo Othoniani belli usu fuit.*

curriculo insistens. Sic MS. Agr. et inde edd. Ryck. Ernest. Broter. sqq. cf. 14, 14. *curriculo quadrigarum insistere.* Plin. ep. 9, 6. *insistentes curribus homines.* Sed alii codd. MSS. et edd. ante Ryckium omnes *circulo insistens.*

in saevitiam. MS. Guelf. *in sceuicia.*

absumerentur. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Rhen. sqq. In ed. Alciat. vitio typogr. inrepserat *adsumerentur*, quod vitium Rhenanus correxit. Igitur *absumeretur* non eo iure tribuitur Rhenano, quo putat Kiesslingius.

Cap. 45. *conferendis pecuniis.* cf. Xiphil. 62, 18. extr. Suet. Ner. c. 38.

pervastata. Ed. Spir. *pervasta.* Eadem mox pro *dii cessere* fert *duces fuere.* MS. Bud. *in eumque praedam* pro *inque eam praedam.* Vulgata tuentur vett. edd. (c. sil. Vict.). In MS. Guelf. ante *dii* deest *etiam* et mox *in.* Ibidem ante *triumphis* pro *quod* legitur *et.*

prospere. Acidalius volebat *prospera re*, quod probant Heinsius, Ernestius, Kiesslingius. Sed *prospere* ex Taciti usu ponitur pro *in prospero statu.* cf. not. ad 1, 10.

in metu. MS. Guelf. *metu* absque praepositione.

abripiebantur. Ed. Spir. *obripiebantur.* De re cf. Pausan. 10, 7. Plin. 34, 8.

Acrato ac Secundo Carinate. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq., nisi quod edd. Put. Ber. Alc. cum MS. Guelf. ferunt *et* pro *ac.* Ed. Spir. *Acto ac Secundo*, omisso *Carinate.* MS. Flor. (test. Pich.) habet *Caprenate*; test. Iac. Gronovio *Capnate*, et super litt. *p* adscriptum *i*; test. Victorio *Capinate.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. *Caprinate*; MS. Corb. *Crapinate.* Verum satis credibile est hunc intelligi eundem, de quo scripsit Dio 59, 20. *οὕτω δὲ δὴ τὸ σύμπαν καὶ βάσκανος καὶ ὕποπτος πρὸς πάντα ὁμοίως ἦν* (Caligula), *ὥςτε καὶ Καρίναν Σεκοῦνδον ῥήτορα φυγαδεῦσαί ποτε, ὅτι λόγον τινὰ ἐν γυμνασίῳ κατὰ τυράννων εἶπεν.* Tangit eundem Iuvenal. 7, 203.

cuicunque. Ed. Spir. *cuique.* cf. not. ad 1, 6. sub v. *quandoque.*

ore tenus. Haec desunt in MS. Bud.; bene tamen contra Rhenanum ab Ernestio defenduntur.

tibus non induerat. Ferebatur Seneca, quo invidiam sacrilegii a semet averteret, longinqui ruris secessum oravisse et, postquam non concedebatur, ficta valetudine quasi aeger nervis cubiculum non egressus. tradidere quidam venenum ei per libertum ipsius, cui nomen Cleonicus, paratum iussu Neronis, vitatumque a Seneca proditione liberti seu propria formidine, dum persimplici victu et agrestibus pomis ac, si sitis admoneret, profluente aqua vitam tolerat.

XLVI. Per idem tempus gladiatores apud oppidum Praeneste tentata eruptione praesidio militis, qui custos adesset, coerciti sunt, iam Spartacum et vetera mala rumoribus ferente populo, ut est novarum rerum cupiens

ferebatur Seneca. Sic edd. Spir. et Rhen. (e MS. Bud.) sqq. — *ferebant Senecam* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Sane commodius est *ferebatur* ob sequens *egressus.*

ruris. In MS. Guelf. *ruris* est in litura.

secessum oravisse. Ed. Spir. *secessu moratus esset*, non *oratus esse*, uti prodidit Oberlinus.

dum persimplici. Sic MS. Flor. (test. Pichen.) edd. Pich. sqq. — *dum pro simplici* vulgus MSStorum edd. Spir. Put., vulgari confusione syllabarum *pro* et *per.* Rhenanus e MS. Bud. dederat *dum simplici*, quod repetiere Oberlin. et sqq. Sed Noster 4, 12. *peridoneus*; 4, 67. *peramoena*; et infr. c. 48. *perseverum.*

admoneret. Ed. Spir. *amoneret.* MS. Guelf. *adneret*, media syllaba neglecta.

tolerat. MS. Bud. *tolerabat*, unde Ernestius coniiciebat *toleraret*, contra omnem Taciti usum. cf. 14, 31. 15, 18. *dum consulitur*; 13, 31. *dum propugnant.* Vid. not. ad 2, 26.

Cap. 46. *eruptione praesidio.* Ed. Spir. *eruptione: ne praesidio*, repetita priore syllaba. Eandem repetitionem sec. m. in Guelf. fecit.

adesset. Sic MSS. et vett. edd. praeter MSS. Agr. et Corb., unde Bip. Oberl. sqq. recepere *aderat.* Perperam. Sapienter Tacitus scripsit *adesset.* Nam *miles, qui custos aderat*, est certus quidam miles custos, quem satis noveris aliunde. Sic 1, 62. *Romanus qui aderat exercitus.* Etenim exercitum Rom. ibi adfuisse e praecedentibus constat. Hist. 4, 6. *eo senatus die, quo de imperio Vespasiani censebant* etc. Etenim illo die de imperio V. illos censuisse, lectori notum est e praecedentibus, ac revocat scriptor tibi in memoriam eum diem. At hic dicendum erat: *militis, qui custos adesset.* Non enim de certo quodam et ante dicto milite custode nunc loquitur, sed iam demum dicit militem custodem ibi adfuisse, ut scias. Quae dicendi ratio plane diversa est ab illa. Sic c. 47. *vitulus, cui caput in crure esset.* cf. not. ad 14, 1. Hanc Taciti diligentiam in dicendo qui ignorarent, mutarunt *adesset* in *aderat*, quod falsum est, etsi sexcenti codices MSto Agr. similes id exhiberent.

mala rumoribus. MS. Bud. *malorum moribus.*

ferente. Heinsius vult *serente*, quod Oberlino haud malum videtur. Sed cf. not. ad 6, 49. MS. Guelf. *ferentẽ.*

pavidusque. Nec multo post clades rei navalis accipitur, non bello (quippe haud alias tam immota pax) sed certum ad diem in Campaniam redire classem Nero iusserat non exceptis maris casibus. ergo gubernatores quamvis saeviente pelago a Formiis movere, et gravi Africo, dum promontorium Miseni superare contendunt, Cumanis litoribus impacti triremium plerasque et minora navigia passim amiserunt.

XLVII. Fine anni vulgantur prodigia imminentium malorum nuntia. vis fulgurum non alias crebrior et sidus cometes sanguine inlustri semper Neroni expiatum. bicipites hominum aliorumve animalium partus abiecti in publicum aut in sacrificiis, quibus gravidas hostias immolare mos est, reperti. et in agro Placentino viam propter natus vitulus, cui caput in crure esset. Secutaque haruspicum interpretatio: parari rerum humanarum aliud caput, sed non fore validum neque occultum, quia in utero repressum aut iter iuxta editum sit.

haud alias. Ed. Spir. *ut alias.* Eadem mox *a formis* pro *a Formiis.*

promontorium. MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. *promunturium*; ed. Spir. *premuntorium.*

Cap. 47. *sanguine inlustri semper Neroni expiatum.* Grotius delebat *semper*, quia raro cometae apparent. At *semper* est *jedesmal*, nec quaeritur, utrum bis an ter an saepius, nec de praeterito solum tempore, sed de omni Neronis tempore accipiendum est. Ernestius mavult deleri *Neroni* ob locum Sueton. Ner. c. 36. Sed *sanguine* spectat ad caedem, nec verum est cometas semper (e. c. sub Augusto) sic esse expiatos. Melius igitur vulgata intacta manebunt, et ne Rupertiana quidem emendatione (quae est *Herelii*, *Magazin f. Philol. Brem.* 1797.) opus erit: *sanguine illustri semper, Neronis mox piatum*, quam miror placuisse Ricklefsio. MS. Flor. *inlustri*, test. Vict.

gravidas hostias. Ed. Spir. *gravissimas h.* Eadem mox *natũ vitulũ* pro *natus vitulus.*

cui caput. MS. Guelf. *quum c.*

secutaque. Copula *que* non apparet in MS. Harl. — Mox Guelf. *capud* et deinde *qui* pro *quia.*

aut iter iuxta. Muretum et Ernestium offendit *aut*, quod hic in *et* mutandum aut pro *et* accipiendum esse censet; Muretus vult *at*: quorum opinioni favet Ricklefs. Sed vid. not. ad 1, 8. *Aut* distinguit duo momenta eiusdem rei inter se diversa: *quia in utero repressum*, *quia iter iuxta editum* h. e. quia et in utero repressum et iter iuxta editum h. e. quia in u. repressum aut iter i. ed. Ceterum prius membrum respicit ad verba *non fore validum*, posterius respicit ad *neque occultum.* Verbum *repressum* intellige de capite in crure, quod erat indicium inriti conatus.

XLVIII. Ineunt deinde consulatum Silius Nerva et Atticus Vestinus coepta simul et aucta coniuratione, in quam certatim nomina dederant senatores, eques, miles, feminae etiam cum odio Neronis tum favore in C. Pisonem. Is Calpurnio genere ortus ac multas insignesque familias paterna nobilitate complexus claro apud vulgum rumore erat per virtutem aut species virtutibus similes. namque facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem adversus amicos et ignotis quoque comi sermone et congressu. aderant etiam fortuita, corpus procerum, decora facies. sed procul gravitas morum aut voluptatum parcimonia: lenitati ac magnificentiae et aliquando luxu indulgebat. idque pluribus probabatur, qui in tanta vitiorum dulcedine summum imperium non restrictum nec perseverum volunt.

XLIX. Initium coniurationi non a cupidine ipsius fuit, nec tamen facile memoraverim, quis primus auctor, cuius instinctu concitum sit, quod tam multi sumpserunt. promptissimos Subrium Flavium tribunum praetoriae cohortis et Sulpicium Asprum centurionem exstitisse

cf. 1, 38. *praesenti duorum militum supplicio paulum repressi sunt.* Nihili plane est emendatio Broterii: *quia non in ut. repr.*

Cap. 48. *in quam.* MS. Guelf. *in qua.* De illa coniuratione cf. Xiphil. 62, 24 sqq.

Calpurnio. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. Pich. sqq. — *Calphurnio* edd. vett. cum cod. Guelf.

virtutibus. MS. Corb. *virtutis.*

largitionem. MS. Reg. *largitiones.*

ignotis. Ed. Spir. *ignoti.*

parcimonia. Sic edd. Lips. Ryck. Iac. Gron. Bekker. Kiessl. — *parsimonia* edd. vett. et Pichen. Bernegg. al. c. cod. Guelf.

ac magnificentiae. MS. Guelf. *et magnif.*

luxu. Sic MS. Flor. (test. Vict.). cf. not. ad 6, 23. *nuru.* Edd. vett. et recentt. cum MS. Guelf. *luxui.* Pro *indulgebat* in Guelf. prius fuit *indulgebant*: sed littera *n* deleta est.

nec perseverum. Ed. Spir. *nec praeseverum.* MS. Guelf. *neque preseverum.*

Cap. 49. *coniurationi.* Sic MSS. Guelf. (pr. m.) Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. etiam Pichen. et Iac. Gronov., qui simul tacent de MS. Flor. Broterius tamen testatur in illo cod., uti in MSS. Reg. Agr. Corb. ed. Spir., esse *coniurationis,* quod ipse edidit. Sic quoque MSS. Ies. Guelf. (a sec. m.) et Harl. (a sec. m.) eodem teste. cf. 1, 3. *subsidia dominationi*, ibique not.

a cupidine. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) Agr. Bud. Guelf. edd. Spir. Iac. Gronov. Ernest. Brot. sqq. — *a cupiditate* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Iac. Gronovium. MS. Guelf. *proximus* pro *primus.*

constantia exitus docuit. Et Lucanus Annaeus Plautiusque Lateranus consul designatus vivida odia intulere. Lucanum propriae causae accendebant, quod famam carminum eius premebat Nero prohibueratque ostentare vanus adsimulatione. Lateranum consulem designatum nulla iniuria, sed amor rei publicae sociavit. At Flavius Scevinus et Afranius Quintianus, uterque senatorii ordinis, contra famam sui principium tanti facinoris capessivere. nam Scevino dissoluta luxu mens et proinde

constantia exitus. Ed. Spir. *constantiae exitus.*

premebat. MS. Guelf. *promebat*, super *o* adscriptum est *e.*

adsimulatione. Sic MSS. et vett. edd., nisi quod MS. Reg. habet *vanus a simulatione;* MS. Agr. *vanitatis insimulatione;* MS. Farnes. *vana assimulatione*, quae omnia ex emendandi studio profecta videntur. Recentiores editores inde a Bipont. et Oberlin. sequuntur Ursini, Lipsii et Freinshemii coniecturam: *vanus aemulatione.* Interpretantur: *aus eitler Eifersucht*, ut Stromb., vel *aus fruchtloser Eifersucht*, ut Ricklefs. Sed tum debuisset scribi *vana aemulatione. Vanus aemulatione* vereor ne illo sensu careat, et si non caret, *vanam aemulationem* ab hoc saltem loco alienam esse nemo non videt. Ceterum nescio, quo iure veterem scripturam abegerint, quum bono sensu gaudeat. *Vanus* dicitur qui levia et inania pro gravibus et veris sectatur. *Adsimulatio* (sive malis *adsimilatio* cf. not. ad 1, 28.) est studium vel actio adsimulandi. *Adsimulare aliquid* est adfectare, studiose imitari. cf. 4, 59. *adsimulabat iudicis partes;* 16, 17. *adsimilatis Lucani litteris.* Iam *vanus adsimulatione* Nero dicitur, qui ea vanitate uteretur, ut Lucani carmina adsimulare vellet: nimirum uterque poeta eiusdem generis et materiae carmina componebat, Orpheum illum, de quo cf. Stat. Silv. 11, 7, 59. *Vanus* autem propterea audit, quia vanum inritumque illud studium fuit.

consulem designatum. Bekkerus haec uncis inclusit ut suspecta. Praeferunt sane vanitatis speciem, quia proxime praecedit *Lateranus consul designatus.* Attamen potuit haec verba Tacitus iterum addere, non ut doceret Lateranum cons. designatum fuisse, quam potius ut rationem redderet de eo, quod dicit: *Lateranum nulla iniuria sociavit.* Nam si consul designatus fuit, debuit Neronis gratia potius pollere, quippe qui consulem non designavisset sibi invisum. Quae si tibi vera videantur, *consulem designatum* accipe pro *quippe cons. des.* Sed alibi quoque eius generis repetitiones sunt et infr. c. 60. iterum est *Plautius Lateranus consul designatus.*

nulla iniuria. Ed. Spir. omittit haec et dein pergit: *sed amore r. p. sociavit.* Eadem mox *Sceuius* pro *Scevinus*, et deinde *Scenio* pro *Scevino*, sed c. 53. eadem *Scevino.*

Quintianus. Sic vulgo MSS. test. Broterio, et MSS. Guelf. Bud. (test. Oberl.). Sic et edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. (cum sil. V.). — *Quinctianus* edd. Lips. Pich. sqq. Nos cum Iac. Gronovio et Broterio rescripsimus *Quintianus.* cf. not. ad 1, 3. Rhenanus ediderat *Quintilianus.*

principium. Ed. Spir. *principis.* Mox *dissoluto* pro *dissoluta.*

proinde. Sic MS. Guelf. edd. vett. (c. silent. Vict.) et recentt. omnes. cf. not. ad 3, 17.

vita somno languida: Quintianus mollitia corporis infamis et a Nerone probroso carmine diffamatus contumelias ultum ibat.

L. Ergo dum scelera principis et finem adesse imperii deligendumque, qui fessis rebus succurreret, inter se aut inter amicos iaciunt, adgregavere Tullium Senecionem, Cervarium Proculum, Vulcatium Araricum, Iulium Tugurinum, Munatium Gratum, Antonium Natalem, Martium Festum, equites Romanos, ex quibus Senecio e praecipua familiaritate Neronis speciem amicitiae etiam tum retinens eo pluribus periculis conflictabatur. Natalis particeps ad omne secretum Pisoni erat. ceteris spes ex novis rebus petebatur. Adscitae sunt super Subrium et Sulpicium, de quibus rettuli, militares manus, Granius Silvanus et Statius Proximus

mollitia corporis. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) edd. Pichen. sqq. — *mollitie* MSS. Farnes. Corb. Reg. ed. Spir. — *molli corpore* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. sqq. ad Pichenam.

contumelias. Ed. Spir. *contumeliam.*

Cap. 50. *imperii.* Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *imperio* MSS. Reg. Agr. Corb. ed. Spir. quae dein pergit: *delegendum: quisque fessis* etc. Etiam MS. Guelf. habet *quisque* pro *que, qui.* — *deligendumque, qui* edd. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Pich. sqq. — *diligendumque qui* edd. Lips. Oberl. sqq. Veterem scripturam restituere Bekker. et Kiesslingius.

succurreret. Ed. Spir. *succurrerēt.*

adgregavere. Sic MS. Flor. (test. Vict.); *aggregavere* edd. vett. cum MS. Guelf.

Senecionem. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Ald. Lips. Pich. sqq. — *Senectionem* MS. Guelf. ed. Spir.; mox haec *Senecio*, ille *Senetio.* — *Senetionem* edd. Put. Ber. Alc. Rhen. cf. not. ad 13, 12.

Cervarium. Ed. Spir. *cernarium*; eadem mox cum MS. Guelf. edd. Put. et Ber. Alc. *Vulgacium*; sola dein *Mertium* pro *Martium.* — *Araricum* MS. Flor. (t. V.) et edd. Spir. Lips. sqq. *Traricum* MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald.

Tugurinum. Sic edd. Spir. Lips. Pich. sqq. *Aurinum* MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald.

Munatium. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. *Numatium* MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc.

eo pluribus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. (a sec. m.) edd. Spir. Lips. Pich. sqq. — *eo propriis* edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald.

adscitae. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Spir. — *ascitae* edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald.

super Subrium. Sic MS. Guelf. edd. vett. (cum silent. Vict.). Lipsius in suis libris invenit *per Subrium.*

Granius Silvanus. Sic edd. Lips. Pich. sqq. *Granius Sylvanus* edd. Rhen. Ald. *Gaius Silvanus* ed. Spir. *C. Syllanus* MS. Guelf. edd. Put. Ber. (c. silent. Vict.) Alc.

tribuni cohortium praetoriarum, Maximus Scaurus et Venetus Paullus centuriones. sed summum robur in Fenio Rufo praefecto videbatur, quem vita famaque laudatum per saevitiam impudicitiamque Tigellinus in animo principis anteibat fatigabatque criminationibus ac saepe in metum adduxerat quasi adulterum Agrippinae et desiderio eius ultioni intentum. Igitur ubi coniuratis praefectum quoque praetorii in partes descendisse crebro ipsius sermonibus facta fides, promptius iam de tempore ac loco caedis agitabant. et cepisse impetum Subrius Flavius ferebatur in scena canentem Neronem adgrediendi, aut cum ardente domo per noctem huc illuc cursaret incustoditus. hic occasio solitudinis, ibi ipsa frequentia tanti decoris testis pulcherrimum animum exstimulaverant, nisi impunitatis cupido retinuisset magnis semper conatibus adversa.

LI. Interim cunctantibus prolatantibusque spem ac metum Epicharis quaedam incertum quonam modo sciscitata (neque illi ante ulla rerum honestarum cura fuerat) accendere et arguere coniuratos: ac postremo lentitudinis eorum pertaesa et in Campania agens primores

in partes. MS. Guelf. a pr. m. *in partis*: sec. m. fecit *in partes*.

ipsius sermonibus. Sic ed. Spir., quod recipio, quia in MS. Flor. etiam (test. Vict.) est *sermonis* (fortasse ortum e *sermonibus*). MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. sqq. *sermone.* Sed num. plur. in tali contextu usitatior. cf. 1, 13. 16. 47. 3, 52. 13, 6. Hist. 2, 52. et alibi. Scripturam *sermone* creavit vocabulum *crebro.*

cepisse. Sic MS. Guelf. edd. Ber. (c. silent. Vict.) Rhen. sqq. *coepisse* edd. Spir. Put. M. et V. Alc. Sed illi libri plerumque utramque scripturam confundunt. Ante *scena* ed. Spir. omittit *in.*

ardente domo. Cogitandum esse de incendio domus regiae apud coniuratos meditato cum Huetio, Broterio aliisque censeo. Nam aliam interpretationem vocabulum *ardens* vix admittit. Faciunt huc verba c. 52. *in illa invisa et spoliis civium exstructa domo.* I. Fr. Gronovius emendando locum invadebat: *cum madens vino per noctem*; Müllerus: *cum aurea in domo*; Heinsius: *marcente domo* (h. e. marcentibus domesticis).

hic occasio. Ed. Spir. *haec occasio.* De aliis libris ita tacent, ut videantur consentire cum vulgato, quod est a Puteolano editum exstatque in MS. Guelf.

Cap. 51. *spem ac metum.* Lipsius coniecit *spe ac metu*; Acidalius *spem inter ac metum.* Verum vulgata rectissime se habent. Prolatabant spem ac metum h. e. prolatabant executionem rei meditatae eo effectu, ut et spem et metum simul differrent. Mox ed. Spir. *sciscita* pro *sciscitata*, et deinde *autem* pro *ante*; *postremum* pro *po-*

classiariorum Misenensium labefacere et conscientia inligare connixa est tali initio. Erat chiliarchus in ea classe Volusius Proculus occidendae matris Neronis inter ministros non ex magnitudine sceleris provectus, ut rebatur. is mulieri olim cognitus seu recens orta amicitia, dum merita erga Neronem sua, et quam in inritum cecidissent, aperit adiicitque questus et destinationem vindictae, si facultas oriretur, spem dedit posse impelli et plures conciliare. nec leve auxilium in classe, crebras occasiones, quia Nero multo apud Puteolos et Misenum maris usu laetabatur. Ergo Epicharis plura, et omnia scelera principis orditur: neque senatui quid manere,

stremo (cf. 1, 74. 11, 2.); *Missenentium* pro *Misenensium*; *consc͞ia* (per comp.) pro *conscientia*. MS. Guelf. *clarissimorum* pro *classiariorum* — De Epichari cf. Xiphil. 62, 27.

inligare. MS. Corb. *alligare*.

chiliarchus. Sic MSS. Reg. Corb. edd. Spir. Lips. (e suis libris) Pich. sqq. — *navarchus* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. cf. Suet. Vit. c. 13. Quaeritur, an iure Lipsius hanc expulerit scripturam.

in inritum. Ed. Spir. *irritum*, omissa praepositione *in*.

adiicitque. MS. Flor. (test. Vict.) *adicitque*, antiqua scriptura.

oriretur. MSS. Flor. (test. Vict.) Harl. Bodl. Ies. *oreretur*, et sic MS. Flor. constanter. E MS. Guelf. Ernestius prodidit *oraretur*: verum fuit ibi a pr. m. *oreretur*, unde rec. m. fecit *oriretur*.

crebras. MS. Agr. *et crebras*. Mox Guelf. *occaxiones*, vulgari litterarum *x* et *s* permutatione.

neque senatui quid manere. Sic MSS. Vatic. (test. Lips.) Flor. (teste Ryckio) Reg. Agr. Guelf. edd. Lips. Pich. sqq. usque ad Oberlinum, et nuper Kiesslingius. Eadem sunt in MSS. Farnes. Corb. et Bud., nisi quod pro *quid* exhibent *quod*, et ita etiam MS. Flor. (test. Vict.). Scilicet *quid* et *quod* in vett. libris plerumque scribuntur per compendium, et in MS. Guelf. et ed. Spir. hic est ꝗ h. e. *quod*. Qui huic scripturae patrocinantur, sententiam constituunt: „nihil potentiae aut auctoritatis senatui superesse." Mihi olim dativus *senatui* videbatur per σύλληψιν pendere e *provisum*, ut ἐξ ἀναλόγου intelligeres *destinatum*, verbum *manere* acciperes pro *perdurare*, *amplius exspectare*, μένειν, *aushalten*. *Quid* tum ponitur uti apud Sueton. Cal. c. 6. *ne quid gestientes vota reddere morarentur*. Germanice: *und der Senat sei nicht gesonnen irgend länger auszuhalten*, *sondern habe Vorsicht getroffen* etc. Quae tamen ratio plerisque difficilior esse videbitur, neque pugno pro illa qualicunque explicatione. Redeo ad libros, inter quos MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. dant: *neque senatui quod inane esset*: *sed* etc. Eadem habet Rhenanus, nisi quod omittit *sed*. Verbum *esset* exstat etiam in MS. Guelf. post *manere*, sed punctis censoriis notatum. Edd. Oberlin. et sqq. e coniectura Bipont. praeferunt: *neque se iactare*, *quod inane esset*; *provisum* etc. Accedunt aliorum coniecturae. Lipsius: *neque se nautam quidem manere*. Ursinus e suo codice: *neque senatui*, *quod in manus esset*, *provisum* etc. Acidalius: *neque se na-*

sed provisum, quonam modo poenas eversae rei publicae daret. accingeretur modo navare operam et militum acerrimos ducere in partes, ac digna pretia exspectaret. Nomina tamen coniuratorum reticuit. unde Proculi indicium inritum fuit, quamvis ea, quae audierat, ad Neronem detulisset. Accita quippe Epicharis et cum indice composita nullis testibus innixum facile confutavit. sed ipsa in custodia retenta est, suspectante Nerone haud falsa esse etiam quae vera non probabantur.

LII. Coniuratis tamen metu proditionis permotis placitum maturare caedem apud Baias in villa Pisonis, cuius amoenitate captus Caesar crebro ventitabat

tam quid movere: sed pr. etc. Barthius: *neque senatui quid provisum secus, manere quonammodo.* Grotius: *neque senatui fidem manere.* Ernestius: *neque salvi quid manere.* Hillerus: *ne senatum quidem manere* sc. in fide. Rupertius: *neque se fatui vel vani quid monere.* Sed plerique horum incassum coniectaverunt.

eversae. Sic codd. MSS. Flor. Guelf. aliique, edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. et dein Pich. sqq. — *versae* MS. Bud. edd. Rhen. Lips.

navare . . . ducere. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Ryck. Iac. Gronov. Ernest. sqq. Victorius et Pichena intactam reliquere scripturam *navaret . . . duceret,* quae est in MSS. Reg. Corb. edd. Spir. sqq. ad Ryckium.

militum. Sic MS. Bud. edd. Rhen. sqq. — *multum* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. (cum silentio Vict.) Alc.; *multos acerrimos* MS. Corb.; *acerrimo* ed. Spir. cf. not. ad 15, 29. ubi dictum est de confusione vocc. *multum* et *militum.* In Guelf. et hic sec. m. *partis* mutavit in *partes.*

inritum. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *irritum* edd. vett. — MS. Guelf. *unde periculi inditium irritum fuerit.*

innixum. MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. et Put. M. *innisum.* — *inuisum* edd. Put. V. Ber. Alc., vulgari vitio. Rhenanus emendavit *innixum,* quod hodie vulgatur. MS. Guelf. *ī missum.*

probabantur. Sic MSS. Bud. Harl. (a sec. m.) edd. Spir. sqq. (c. sil. Vict.) — *probantur* MSS. Reg. Ies. Guelf.

Cap. 52. *permotis.* Sic MSS. Flor. Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Spir. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. In edd. Lips. et Gruter. omissum id verbum Pichena et Lips. 1607. e MS. Flor. restituere. Mox MS. Bud. *placuit* pro *placitum.* MS. Guelf. *sedem* pro *caedem.*

Baias. Ed. Spir. *Vaias.* Mox ed. Put. V. *in ulla* pro *in villa,* vitio typogr.

crebro ventitabat. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Sed quia interpretes desiderabant vocabulum loci, Pichena con-

balineasque et epulas inibat omissis excubiis et fortunae suae mole. sed abnuit Piso invidiam praetendens, si sacra mensae diique hospitales caede qualiscunque principis cruentarentur. melius apud urbem, in illa invisa et spoliis civium exstructa domo vel in publico patraturos, quod pro re publica suscepissent. Haec in commune, ceterum timore occulto ne L. Silanus eximia nobilitate disciplinaque C. Cassii, apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem sublatus imperium invaderet, prompte daturis operam qui a coniuratione integri essent quique miserarentur Neronem tanquam per scelus interfectum. Plerique Vestini quoque consulis acre ingenium vitavisse Pisonem crediderunt, ne ad libertatem oriretur vel delecto imperatore alio sui mune-

iecit: *quo, eius amoenitate captus, crebro ventitabat.* Lipsius in marg. ed. 1574.: *crebro eo ventitabat,* quod recepit Kiesslingius. Heinsius: *creber eo ventitabat,* quod recepere Bipont. et Oberlin. sqq. Bekkerus veterem scripturam restituit, quam et Lipsius retinuit. Sane illud *eo* satis e contextu intelligitur.

balineasque. MSS. Bud. Ies. Corb. ed. Spir. *balneaque.* Vulgo *balneasque.* Sed constantiae causa edidi *balineasque.* cf. not. ad Hist. 2, 16. 3, 11. 32. 83.

haec in commune. MSS. Harl. Ies. Guelf. *hoc* pro *haec.* MS. Corb. *in communi.*

L. Silanus. Sic edd. Lips. Pich. sqq. — *L. Syllanus* MS. Guelf. edd. vett. (c. sil. Vict.) cf. not. ad 2, 4.

daturis. MS. Guelf. *daturus.*

operam qui a coniuratione etc. Ed. Spir. omittit *operam* et praepositionem *a,* MS. Bud. etiam omittit *a* datque *coniuratiō integri*, quod secundum Oberlinum legendum *coniuratione* vel *coniurationis.*

vitavisse. Ed. Spir. *iuravisse.*

ne ad libertatem oriretur. Sic locum lego e coniectura Pichenae et vestigiis MS. Flor., in quo (test. Vict. c. Pichen.) est: *ne ad libertate moreretur* h. e. *ne ad libertatem oreretur;* nam ita pro *oriretur* illum codicem constanter scribere supra vidimus. cf. not. ad c. 51. *Oriretur* Tacito dicitur pro *exsisteret, surgeret* (cf. c. 51. 12, 35.) et fortasse hic exquisite id verbum posuit de consule, memor formulae: *Oriens consul magistrum populi dicat.* cf. Velius Long. lib. 1. de Orthogr. (p. 2234. ed. Putschii). *Ad libertatem* sc. restituendam, tuendam vel simile quid. Sed quum illud *m* in fine positum ad sequens verbum transisset, exorta est varietas scripturae: MSS. Vat. Reg. Agr. ed. Spir. *ne ad libertatem moraretur.* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. *ne a libertate moveretur.* Falso plerique hodie tradunt eadem inesse MSto Flor. decepti Ryckii adnotatione, qui scribit vulgata etiam MS. Flor. auctoritate niti. Etenim Iac. Gronovius inde attulit atque edidit: *ne ad libertatem moveretur,* quam scripturam retinuere

ris rem publicam faceret. etenim expers coniurationis erat, quamvis super eo crimine Nero vetus adversus insontem odium expleverit.

LIII. Tandem statuere circensium ludorum die, qui Cereri celebratur, exsequi destinata, quia Caesar rarus egressu domoque aut hortis clausus ad ludicra circi ventitabat promptioresque aditus erant laetitia spectaculi. Ordinem insidiis composuerant, ut Lateranus, quasi subsidium rei familiari oraret, deprecabundus et genibus principis accidens prosterneret incautum premeretque animi validus et corpore ingens. tum iacentem et impeditum tribuni et centuriones et ceterorum, ut quisque audentiae habuisset, adcurrerent trucidarentque, primas sibi partes expostulante Scevino, qui pu-

seqq. editores. Sed duo sunt testes contra unum Gronovium. Non defuere coniecturae virorum doctorum. Lips.: *ne aut libertatem moliretur.* I. Fr. Gronov.: *ne a libertate moneretur.* Heins.: *ne ad lib. hortaretur* vel *ferretur* vel *ab eo iretur.*

super eo crimine. Non *außer dieser Anschuldigung*, uti interpretatus est Ricklefs., sed *bei, über dieser Anschuldigung.* Namque crimen coniurationis argumentum praebuit, ut vetus odium expleret.

Cap. 53. *statuere.* Ed. Spir. *statuerunt*, quam formam illa ubique fere substituit. Eadem mox *q̃ Caesar* h. e. *quam C.*, et cum MS. Guelf. *diem* pro *die.*

celebratur. MS. Agr. *celebrantur*, uti volebat Acidalius.

domoque. Sic MS. Flor. (test. Pichen.) edd. Spir. Pichen. sqq. Victorius intactum reliquit *domo* (sine copula), quod est in MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Pichenam.

aditus erant. Ed. Spir. *erant aditus.*

accidens. Sic edd. Rhen. (ex ingenio) sqq. — *accedens* MSS. Bud. Guelf. aliique codd., edd. Spir. Put. Ber. (c. silent. Vict.) Alc.

ingens. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. — *vigens* MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc., vulgari permutatione. cf. Hist. 4, 66. *Corpore ingens* etiam est Hist. 1, 53.

ut quisque audentiae habuisset. Sic MS. Vatic. (test. Lips.) edd. Spir. Lips. Pichen. sqq. At MS. Flor. (test. Vict.) *ut quisque audientiae plus habuisset.* Nimirum MS. Flor. saepius pro *audens* fert *audiens* et hic pro *audentiae* idem *audientiae*, quod dudum Victorius in suo exemplari correxerat in *audentiae.* cf. not. ad 14, 58. MSS. Farnes. Corb. Agr. *audaciae habuisset.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *ut quisque audaciae plus habuisset.* MS. Bud. et inde edd. Rhen. Ald. *ut quisque audivisset.* Censeo vocabulum *plus* suo loco restituendum.

adcurrerent. Ed. Spir. *accurreret;* at mox *trucidarentque.*

partes. MS. Guelf. *partis.*

expostulante. Ed. Spir. *expostulanti.*

gionem templo Salutis (in Etruria) sive, ut alii tradidere, Fortunae Ferentino in oppido detraxerat gestabatque velut magno operi sacrum. Interim Piso apud aedem Cereris opperiretur, unde eum praefectus Fenius et ceteri accitum ferrent in castra comitante Antonia Claudii Caesaris filia ad eliciendum vulgi favorem: quod C. Plinius memorat. Nobis quoquo modo traditum non occultare in animo fuit, quamvis absurdum videretur aut inanem ad spem Antoniam nomen et periculum

in Etruria. Censeo Ernestium vidisse verum, qui verba uncis inclusa glossemate orta referendaque ad *Ferentino in oppido* coniicit, ut templum Salutis Romanum in monte Quirinali situm intelligas.

Ferentino in oppido. Sic e coniectura Cluverii (Ital. Ant. lib. 2. c. 3.) edd. Brot. Oberl. sqq. cf. Sueton. Oth. c. 1. Tacit. Hist. 2, 50. Plin. 3, 5. MSS. et vett. edd. *Ferentano* (ed. Spir. *frĕtano*), tanquam de *Ferento* sive *Forento* in Apulia. cf. Cellar. Geogr. Ant. lib. 2., c. 9. p. 892.

gestabatque. Lipsius: „non is, ait, mos Romae, et per hanc vanitatem homo se palam retexisset." Coniicit: *servabatque* vel *iactabatque.* Frustra. Nam quod attinet ad morem Romanum, hic non impedit, quo minus coniuratus aliquis et caedem patraturus pugionem gestet praeter morem Romanum. Ceterum puta pugionem occulte illi gestatum et coniurationis sociis tantum cognitum.

magno operi. Sic edd. Pichen. sqq. Nam in MS. Flor. Pichena invenerat *magna operis*, uti est quoque in MS. Reg.; *magnoperis* MS. Agr. et ed. Spir. Victorius intactum reliquit *magni operis*, quod praeferunt MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. Gruter., quodque defendit I. Fr. Gronovius e Graecismo. cf. Strabo 14, p. 682. λόφος . . . ἱερὸς Ἀφροδίτης. Cic. Verr. 1, 18. *insula horum deorum sacra putatur.* Lipsius volebat *magnis operis*; Bip. *magnopere.* Sed praestat haud dubie scriptura Pichenae, atque aliud est *insula deorum sacra*, aliud *pugio magni operis sacer.* Illud bene dicitur, hoc ferendum nego. Littera *s* e vocabulo *sacer* adhaesit praecedenti *operi*, et *operis* dein traxit *magni* pro *magno.*

Cereris. MS. Guelf. in contextu *Caesaris*, in marg. *Cereris.*

quod C. Plinius. Ed. Spir. *quod etiam Plinius*; et ita sec. m. correxit in MS. Guelf. cf. 13, 20. Sed 1, 69. et Hist. 3, 38. Noster etiam praenomen addit.

aut inanem ad spem. Sic edd. Pichen. sqq. e vestigiis MS. Flor. in quo (test. Vict. c. Pich. et Iac. Gronov.) est *aut inane aut spem*; et in margine eadem manu et atramento *at ad* h. e. pro *aut* ante *spem* legendum esse *ad.* Cum MS. Flor. in *aut inane aut spem* consentiunt MSS. Reg. Corb. ed. Spir. At MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. Lips. *et inane*, *aut ipsi Antoniam.* Eadem sunt in MS. Guelf., nisi quod is liber habet *aut* pro *et* ante *inane.* Satis credo in MSS. Harl. Bodl. Ies. quoque legi *aut inane*, quia Broterius tantum adfert *inane*, non addito utrum praecedat *aut* an *et.* MS. Bud. *aut ipse.* MS. Agr. *aut inani spei Antoniam*, quod redo-

commodavisse aut Pisonem notum amore uxoris alii matrimonio se obstrinxisse, nisi si cupido dominandi cunctis adfectibus flagrantior est.

LIV. Sed mirum quam inter diversi generis, ordinis, aetatis, sexus, dites, pauperes taciturnitate omnia cohibita sint, donec proditio coepit e domo Scevini: qui pridie insidiarum multo sermone cum Antonio Natale, dein regressus domum testamentum obsignavit, promptum vagina pugionem, de quo supra rettuli, vetustate obtusum increpans asperari saxo et in mucronem ardescere iussit eamque curam liberto Milicho mandavit. Simul adfluentius solito convivium initum: servorum carissimi libertate et alii pecunia donati, atque ipse maestus et magnae cogitationis manifestus erat, quamvis laetitiam vagis sermonibus simularet. Postremo vulneribus ligamenta, quibusque sistitur sanguis, parare eundem Milichum monet, sive gnarum

let manum emendatoris. Recepit tamen Ryckius in contextum. Pro *videretur* idem MS. Agr. dat *videtur* ex eodem emendandi studio.

commodavisse. MS. Agr. et ed. Spir. *commendavisse.* Sed cf. Agr. c. 32.

nisi si cupido. MS. Reg. et ed. Spir. omittunt *si.* Male. cf. not. ad 2, 63.

Cap. 54. *dites.* Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *divites* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Utraque forma passim apud Nostrum legitur.

coepit. MS. Guelf. *cepit*, vulgari confusione.

testamentum. Ed. Spir. per compendium *testm̄.*

in mucronem. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Reg. edd. Spir. Bernegg. sqq. Scilicet MS. Flor. scribit *ĩ mucronem.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. Agr. edd. Puteol. sqq. ad Bernegg. omittunt praepositionem, quae facile potuit absorberi a littera *m.* Oberlinus MS. Agr. falso componit cum MS. Flor. etc. Vid. Ryck. ad h. l.

Milicho. Ed. Spir. *Milico*, et mox *Milicum* et *Milicus.*

carissimi. Huius vocabuli loco in ed. Spir. lacuna est, breviore tamen spatio. Eadem mox *erat manifestus* pro *manifestus erat.*

laetitiam. MS. Reg. *licentiam.*

vagis. MS. Agr. *variis.* Sed cf. not. ad 6, 15. MS. Guelf. *vagis* habet in margine, in contextu *magnis.*

parare .. monet. Sic edd. Put. sqq. Pro *parare* MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. (test. Ernest.) exhibent *partiebatque.* Sed in Guelf. legitur *partiebat*, *quae* etc. In alio MS. bibl. Flor. *partiebatur*, uti est in ed. Spir. — *sartiebat* MS. Bud. Heinsius coniecit *paret exhibeatque.* Hillerus: *sarcire.* Aliud hic latere quam *parare* satis credibile est. — *monet* habent MS. Guelf. edd. vett. (c. silent. Vict.)

coniurationis et illuc usque fidum seu nescium et tunc primum adreptis suspicionibus, ut plerique tradidere de consequentibus. nam cum secum servilis animus praemia perfidiae reputavit simulque immensa pecunia et potentia obversabantur, cessit fas et salus patroni et acceptae libertatis memoria. etenim uxoris quoque consilium adsumpserat, muliebre ac deterius. quippe ultro metum intentabat multosque adstitisse libertos ac servos, qui eadem viderint: nihil profuturum unius silentium: at praemia penes unum fore qui indicio praevenisset.

LV. Igitur coepta luce Milichus in hortos Servilianos pergit: et cum foribus arceretur, magna et atrocia adferre dictitans deductusque ab ianitoribus ad liber-

et recentt. *movere* MS. Harl. ab sec. manu. — *iubet* MS. Bud. unde Rhenanus coniectabat legendum: *sarcienda eundem M. iubet*.

illuc usque. Sic MSS. et edd. ante Rhenanum (c. silent. Vict.). — *hucusque* edd. Rhen. sqq. ad Iac. Gronovium, qui veterem scripturam reposuit e MS. Flor. Altera vitio operarum videtur inrepsisse. cf. Hist. 3, 18.

suspicionibus. Ed. Spir. *scipionibus.* Edd. Put. *areptis suspitionibus.*

de consequentibus. Grotius coniecit: *de conscientibus.* Heinsius pro glossemate habet verba *de conseq.* deletque. Hoc sane in omni re dubia brevissimum est. Ernestius vulgatam scripturam interpretatur de scriptoribus, qui post illa tempora vixere ac scripsere, idque acceptum fuit Strombeckio, Ricklefsio aliisque. Verum satis intelligo Tacitum, illud si voluisset, non scripturum fuisse *ut plerique tradidere de consequentibus.* Immo aliud haec significant. *Consequentia*, ἀκόλουθα, sunt quae aliquam rem comitantur eique sunt consentanea, et unde colligas, quomodo se habeat ea res h. e. unde aliquid consequitur. Iam auctor dicit: Milichum aut gnarum coniurationis et illuc usque fidum fuisse, aut nescium et tunc primum adripuisse suspiciones: hoc plerosque tradidisse, non diserte et expressis verbis de ipsa re, sed de consequentibus h. e. de rebus facinus Milichi comitantibus ita tradidisse, ut inde concluderes nescium ante ipsum fuisse et tunc primum suspiciones adripuisse. Huc enim pertinent, quae referuntur usque ad finem capitis. Nam si uxor ad Milichum dixit: *multos* etc. consequitur illum tunc primum suspiciones adripuisse.

nam cum secum. Edd. Put. M. et V. *nam eum secum.*

simulque. Ed. Spir. *simul*, omisso *que*. Eadem mox *cessat* pro *cessit*.

etenim uxoris. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf., utque videtur alii quoque codd., edd. Put. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *ut enim uxoris* MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. ed. Spir. — *tunc cum uxoris* MS. Corb. Vulgatam scripturam veram contextus arguit.

Cap. 55. *hortos Servilianos.* cf. Hist. 3, 38. Suet. Ner. c. 47.

tum Neronis Epaphroditum, mox ab eo ad Neronem urgens periculum, graves coniuratos et cetera, quae audierat coniectaveratque, docet. telum quoque in necem eius paratum ostendit accirique reum iussit. Is raptus per milites et defensionem orsus ferrum, cuius argueretur, olim religione patria cultum et in cubiculo habitum ac fraude liberti subreptum respondit. tabulas testamenti saepius a se et incustodita dierum observatione signatas. pecunias et libertates servis et ante dono datas, sed ideo tunc largius, quia tenui iam re familiari et instantibus creditoribus testamento diffideret. enimvero liberales semper epulas struxisse et vitam amoenam et duris iudicibus parum probatam. fomenta vulneribus nulla iussu suo, sed quia cetera palam vana obiecisset, adiungere crimen, ut sese pariter indicem et testem

Epaphroditum. Ed. Spir. *Aphroditum.* Sed cf. Suet. Ner. c. 49. Xiphil. 63, 29.

graves coniuratos. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pichen.) et sic MS. Agr. ed. Spir., nisi quod haec vitiose dat *grave: coniuratos.* — Edd. Put. Ber. Alc. Rhen. sqq. cum MS. Guelf. *graves coniurationes;* MS. Bodl. *gravesque.* De aliis MSS. ita tacent, ut videantur conspirare in Puteol. scripturam. E Flor. Heinsius coniiciebat *graves coniuratus*, rara sed proba voce, ut ipse adfirmat. At probius *coniuratos*, quos Milichus dicit *graves*, βαρεῖς, δεινούς, *mächtig*, *wichtig*, ut indicet gravissimos civitatis viros coniurationis participes caveatque, ne princeps rem ut levem accipiat. Quod attinet ad vulgatum, profecto non video, quid sibi velint *coniurationes;* sufficiebat *coniurationem* dici.

coniectaveratque. Ed. Spir. omittit *que.* Eadem mox: *tabulas saepius a se testamenti* etc.

dono. MS. Guelf. *domo.* Idem mox *svp* a sec. m. pro *semper.*

struxisse et vitam amoenam etc. MS. Corb. ed. Spir. *struxisse. diffideret enim vitam amoenam* etc. MS. Agr. *struxisse, egisse enim vitam* etc. Hic voluit emendare, quae illi inepta repetitione peccaverant. Heinsius coniiciebat: *ut vitae amoenum.* Sed vulgata scriptura vera est, intellige verbum substantivum.

crimen, ut sese pariter i. et t. faceret. Sic MS. Agr. edd. Pich. sqq. haud dubie ex emendandi studio: sed sanius quid in MSS. non reperitur. MS. Flor. (test. Pichen. et Iac. Gronov.) *crim l; sisse pariter indicem et testem faceret.* MSS. Reg. Corb. *crimen iussisse pariter ... faceret.* MS. Bud. pro *iussisse* dat *vixisse*; ed. Spir. *dixisse.* MS. Harl. sec. m. *si se pariter ... faceret.* MSS. Harl. (pr. m.) Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. Ald. Lips. Grut. *crimen visum, se pariter ... facere.* Nec defuere virorum doctorum coniecturae. Rhenanus: *adiungere crimen nixum, se pariter ... facere.* Lipsius: *crimini, cuius se pariter ... faceret.* Acidalius: *crimen, cuius se p. ... faceret.* Probat I. Fr. Gronovius, recepit Broterius. Heinsius: *adiungere id crimen, cui* etc. Kiesslingius: *adiungere cri-*

faceret. Adiicit dictis constantiam. incusat ultro intestabilem et consceleratum tanta vocis ac vultus securitate, ut labaret indicium, nisi Milichum uxor admonuisset Antonium Natalem multa cum Scevino ac secreta collocutum et esse utrosque C. Pisonis intimos.

LVI. Ergo accitur Natalis: et diversi interrogantur, quisnam is sermo, qua de re fuisset? cum exorta suspicio, quia non congruentia responderant: inditaque vincla. Et tormentorum aspectum ac minas non tulere. prior tamen Natalis totius conspirationis magis gnarus, simul arguendi peritior de Pisone primum fatetur. deinde adiicit Annaeum Senecam, sive internuntius inter eum Pisonemque fuit sive ut Neronis gratiam pararet, qui infensus Senecae omnes ad eum opprimendum

men visum, cuius ipse se pariter ... faceret. Sed *visum* illud qui habent libri, parum fide digni sunt, satisque apparet omnem varietatem vett. librorum originem traxisse e debilitate MS. Flor. Compendium (;), quod ibi est, iam vidimus supr. 14, 36. in *man;* pro *manus*, et 13, 40. in *cornu;* pro *cornuum.* Quare recte Acidalius *cuius.* In *sisse*, ut mihi videtur, latet *is se.* Nam sine *is* illud *se* ambiguum est.

incusat. MS. Corb. ed. Spir. *accusat.*

Milichum. MS. Guelf. hic habet *Milichium:* supra *Milicho* et *Milichum.* Idem liber hic *seuino*, at supra *Sceuini.*

ac secreta. Sic MSS. Flor. (test. Pichen.) Farnes. Bud. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Broter. — *et secreta* MS. Harl. — *ac secreto* edd. Put. sqq., quod an ulla auctoritate idonea nitatur dubito. Utrumque bonum est; sed respicienda tamen vett. librorum auctoritas. cf. Ovid. Metam. 4, 224. *matri secreta loquenti.*

Cap. 56. *accitur.* Sic MSS. et vett. edd. (c. silent. Vict.) praeter MS. Bud., unde Rhenanus ediderat *accitus*, quod valuit ad Ryckium; is e MSS. Flor. et Agr. veteribusque edd. restituit *accitur.* Varietas originem traxit e compendio scripturae.

interrogantur. MS. Corb. *interrogabantur.*

cum exorta Sic edd. Spir. Ber. (c. silent. Vict.) Bernegg. Gronov. sqq. — *tum exorta* MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. Ald. Lips. Grut. Pich. Sed *cum* melius est. cf. 2, 31. 11, 34. Mox MS. Agr. *Sed tormentorum.*

conspirationis. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Bud. Guelf. (a sec. m.) edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. et nuper Oberlin. sqq. — *coniurationis* edd. Rhenan. (tacite) Ald. Lips. Pichen. sqq.

arguendi peritior. Hoc cernitur in eo, quod indicium tale edidit, quo maxime gratiam Neronis sibi parare posset; tum eo quod in festinando indicio salutem sibi quaeri posse intellexit. Frustra igitur emendant Faërnus: *arguenti paratior*; Pricaeus: *urgenti paratior*; Bipont.: *arguendi promptior*; Lallemandus: *arg. apertior.*

sive internuntius ... fuit. MS. Agr. ex emend. studio: *sive quia internuntius ... fuerit.*

artes conquirebat. Tum cognito Natalis indicio Scevinus quoque pari imbecillitate, an cuncta iam patefacta credens nec ullum silentii emolumentum, edidit ceteros. ex quibus Lucanus Quintianusque et Senecio diu abnuere. post promissa impunitate corrupti, quo tarditatem excusarent, Lucanus Atillam matrem suam, Quintianus Glitium Gallum, Senecio Annium Pollionem, amicorum praecipuos, nominavere.

LVII. Atque interim Nero recordatus Volusii Proculi indicio Epicharin attineri ratusque muliebre corpus impar dolori tormentis dilacerari iubet. at illam non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium, ne

artes. MS. Guelf. a pr. m. habuit *artis*, unde sec. m. fecit *artes.*

an cuncta. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. Vat. (test. Lips.) edd. Lips. Pich. sqq. — *et cuncta* MS. Reg. ed. Spir. — *ante cuncta* MSS. Harl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. Ald., quae scriptura orta est e compendio *ān* (h. e. *ante*), quod aliquis pinxit pro *an.*

iam patefacta. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Sic et MS. Reg. — *quoque iam p.* MS. Corb. De aliis libris ita tacent, ut cum vulgata scriptura videantur consentire.

Quintianusque. cf. c. 49. MS. Flor. (test. Vict.) *Quintilienusque.* MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *Quintilianusque.* Edd. Lips. sqq. *Quinctianusque.*

Atillam. Sic MS. Guelf. edd. Lips. Grut. Pich. sqq. praeter Broterium, qui edidit *Aciliam*, uti est in edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. Sed etiam ed. Spir. habet *Attillam*, duplicata littera; MS. Flor. (test. Vict.) *Atilam*, quare et in Guelf. alterum *l* puncto subscripto notatur. MSS. Bodl. Ies. *Atiliam.* MS. Reg. *Acciliam.* cf. not. ad c. 71. Mox in *Quintianus* eadem est librorum varietas, quam prius vidimus; Victorius tamen intactum reliquit *Quintilianus.*

Glitium. Sic edd. Spir. Oberl. sqq. et sic Gruterus in indice, quum in contextu expressisset *Glicium*, quod est in MS. Guelf. edd. Put. sqq. cum silent. Vict. aliorumque doctorum virorum. Sed *Glitii* sunt in inscriptt. antiquis. cf. Nardin. in Veiis ant. 2, 2. (Thes. Ital. ant. T. 8. P. 3. p. 56.) Vid. Oberl. ad h. l.

Annium. Ed. Spir. *Anneum*; sed c. 71. *Anio* et 16, 30. *Annio.* cf. 6, 9.

praecipuos. Sic MS. Guelf. edd. vett. et recentt. At MS. Flor. (t. Vict.) *praecipue.*

Cap. 57. *attineri.* Ed. Spir. *teneri.* Sed cf. 3, 36. 6, 19. 23.

at illam. Ed. Spir. *Attillam.* Eadem mox omittit verba: *nam dissolutis ... nequibat*, unde suspicio glossematis nasci possit. Sunt vero illa in MS. Guelf. edd. Put. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — Pro *non verbera* Guelf. habet *mō verbera* h. e. *modo.* Sed primus ductus litterae *m* est a rec. manu.

a femina spernerentur, pervicere, quin obiecta denegaret. Sic primus quaestionis dies contemptus. postero, cum ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellae (nam dissolutis membris insistere nequibat), vinclo fasciae, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellae restricto indidit cervicem et corporis pondere connisa tenuem iam spiritum expressit, clariore exemplo libertina mulier in tanta necessitate alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui et viri et equites Romani senatoresque intacti tormentis carissima suorum quisque pignorum proderent. non enim omittebant Lucanus quoque et Senecio et Quintianus passim conscios edere magis magisque pavido Nerone, quanquam multiplicatis excubiis semet sepsisset.

LVIII. Quin et urbem per manipulos occupatis moenibus, insesso etiam mari et amne velut in custodiam dedit. volitabantque per fora, per domos, rura quoque et proxima municipiorum pedites equitesque permixti Germanis, quibus fidebat princeps quasi externis. Continua hinc et iuncta agmina trahi ac foribus

fasciae, quam pectori detraxerat. cf. *Böttiger.* Sabina I, 184. 197. II, 114. MS. Guelf. pro *pectori* fert *praetori.*

connisa. Sic MS. Flor. (t. Vict.) edd. Lips. Gruter. Pichen. sqq. — *connissa* edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. — *connixa* MS. Bud. ed. Spir. — *commissa* MS. Guelf. Eadem scripturae varietas fere semper in eo vocabulo apud vett. libros invenitur.

intacti tormentis.. Sic MSS. Farnes. Corb. Agr. Harl. (in margine), edd. Lips. sqq. — *intactis tormentis* MSS. Flor. (test. Vict. c. aliis) Vatic. (test. Lips.) ed. Spir. Inde orta est scriptura *in tantis tormentis*, quam praeferunt MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Lipsium.

carissima suorum quisque pignorum. Sic MSS. et vett. edd. praeter cod. Bud., qui fert: *carissima quoque suorum pignora*, unde Rhenanus ediderat: *charissima quoque suorum pignorum.* Edd. Lips. 1574. sqq. Gruter. *carissima quaeque suorum pignorum.* Veterem scripturam e MS. Flor. restituit Pichena, quem secuti sunt Lips. 1607. sqq.

Quintianus. Vett. libri, ut supra. Pro *omittebant* edd. Put. M. et V. *mittebant.* MS. Corb. *magisque,* omisso *magis.*

Cap. 58. *proxima municipiorum.* Ed. Spir. *proximi municipiorum.*

Germanis. MS. Guelf. *romanis.*

continua hinc et iuncta agmina. Ricklefs. suspicionem glossematis movit de verbis *et iuncta*, quae nil differre dicit a *continua.* Ut servetur vocabulum *iuncta*, legendum esse: *continuo hinc iuncta agmina trahi.* Sed idem tum, si est, pleo-

hortorum adiacere. atque ubi dicendam ad causam introissent, laetatum erga coniuratos, si fortuitus sermo et subiti occursus, si convivium, si spectaculum simul inissent, pro crimine accipi, cum super Neronis ac Tigellini saevas percunctationes Fenius quoque Rufus violenter urgeret nondum ab indicibus nominatus, sed quo fidem inscitiae pararet, atrox adversus socios. Idem Subrio Flavio adsistenti adnuentique, an inter ipsam cognitionem destringeret gladium caedemque patraret, renuit infregitque impetum iam manum ad capulum referentis.

LIX. Fuere qui prodita coniuratione, dum auditur Milichus, dum dubitat Scevinus, hortarentur Pisonem pergere in castra aut rostra escendere studiaque

nasmus manet. Sunt tamen salva vulgata. Nam Tacitus non semel coniungit vocabula synonyma, ut augeat vim orationis.

laetatum. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. — *laeta tum,* duabus vocibus, ed. Beroald. (cum silent. Vict.) — *latatum* MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Alc.

si fortuitus sermo. Sic MS. Bud. edd. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Lips. Pichen. sqq. usque ad Ernestium, qui restituit *sed fort. s.*, quod exstat in MSS. Harl. Bodl. Ies. Reg. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. cf. c. 71. *occasione coniurationis, sed Neroni invisus.* Verum *si* esse in MS. Flor. satis apparet e silentio trium virorum, qui inspexere. *Sed* licet explicari possit per ante omissum *non modo* (cf. Ramshorn. Gr. § 181. p. 535. b)), durius tamen hic esse videtur, nec locus satis aptus, in quo *non modo* omitti possit. Coniicio *sed fortuitus* ortum ex *et fortuitus* et littera finali praecedentis vocabuli. — Video Kiesslingium etiam reduxisse *si.*

urgeret. MS. Flor. (test. Vict.) *urgueret*, uti solet.

indicibus. Ed. Spir. *iudicibus*, vulgari vitio. cf. not. ad Hist. 1, 8. 4, 40. An. 14, 50. — Mox *Flavio* edd. Lips. Pich. sqq.; *Flavo* MS. Guelf. edd. vett. Sed cf. c. 49.

adnuentique. Sic sive *annuenti* MSS. Bud. Guelf. (a sec. m.) edd. Spir. Put. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. praeter Ryck. et Broterium, qui e MSS. Harl. Bodl. Ies. Agr. dedere *innuentique*, uti voluerat Acidalius, idemque a pr. m. fuit in MS. Guelf. Ernestius tamen animadvertit et *adnuere* dici pro *innuere.* cf. Cic. pro Quint. c. 5. Kiessl. edidit *innuentique.*

destringeret. Sic MS. Flor. (t. Vict.) edd. Ryck. Iac. Gronov. sqq. cf. not. ad 1, 32. 44. et alibi. — *distringeret* MS. Guelf. edd. Spir. sqq. ad Ryckium.

renuit. Sic MS. Flor. (test. Pichena) edd. Spir. Pichen. sqq. et ita iam priores interpretes voluerant. Victorius intactum reliquit *retinuit*, quod est in MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. Lips. Gruter.

Cap. 59. *escendere.* Sic MSS. Lipsii eiusdemque edd. et sqq cf. not. ad 13, 5. — *conscendere* MSS. Bud. Guelf. aliique, edd. Spir. Put. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan.

militum et populi tentare. si conatibus eius conscii adgregarentur, secuturos etiam integros: magnamque motae rei famam, quae plurimum in novis consiliis valeret. Nihil adversum hoc Neroni provisum. etiam fortes viros subitis terreri, nedum ille scenicus Tigellino scilicet cum pellicibus suis comitante arma contra cieret. Multa experiendo confieri, quae segnibus ardua videantur. Frústra silentium et fidem in tot consciorum animis et corporibus sperari: cruciatu aut praemio cuncta pervia esse. venturos qui ipsum quoque vincirent, postremo indigna nece adficerent. quanto laudabilius periturum, dum amplectitur rem publicam, dum auxilia libertati invocat. Miles potius deesset et plebes desereret, dum ipse maioribus, dum posteris, si vita praeriperetur, mortem adprobaret. Immotus his et paululum in publico versatus post domi secretus animum adversum suprema firmabat donec manus mili-

Ald. Sic Sueton. Galb. c. 10. Tib. c. 17. *conscendere tribunal.* MS. Corb. *adversum haec* pro *adv. hoc; minitante* pro *comitante.*

etiam fortes. Ed. Spir. *et fortes.* Eadem mox *necdum* pro *nedum.*

experiendo. MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *experientia.*

confieri. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pichena) edd. Pich. Lips. 1607. sqq. — *fieri* edd. Spir. sqq. ad Pich. cum MS. Guelf.

videantur. Ed. Spir. *videbantur.*

sperari. MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *sperare*, intell. Pisonem. Vulgatum habent MS. Guelf. edd. Put. sqq. cum silentio virorum doctorum.

cruciatu. Sic MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. cf. not. ad 6, 23. sub voc. *nuru.* MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *cruciatui.*

miles potius deesset. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronovio) Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Ernest. sqq. — *dum miles p. d.* MS. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. ad Ernestium. In MS. Guelf. sec. m. addidit illud *dum.*

plebes. Sic edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *plebs* MSS. Harl. Corb. Guelf. ed. Spir. Eadem ed. Spir. *defereret* pro *desereret.* Post *adprobaret* Bekkerus et Kiesslingius bene sustulere signum interrogationis, quod invexerat Rhenanus. MS. Flor. (t. Vict.) *adprobaret;* edd. vett. *approbaret.* Loco particulae *si* ante *vita* in Guelf. est rasura.

immotus his. Sic MSS. Bud. Guelf. Harl. Ies. Corb. edd. Spir. Ernest. sqq. — *immotus iis* MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. ad Ernestium.

firmabat. Sic MS. Flor. (test. Pichena) edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. et dein Pichen. Lips. 1607. sqq. — *firmat* MSS. Bud. Guelf. edd. Rhen. sqq. ad Pichenam.

tum adveniret, quos Nero tirones aut stipendiis recentes delegerat. nam vetus miles timebatur tanquam favore imbutus. Obiit abruptis brachiorum venis. testamentum foedis adversus Neronem adulationibus amori uxoris dedit, quam degenerem et sola corporis forma commendatam amici matrimonio abstulerat. nomen mulieris Arria Galla, priori marito Domitius Silus: hic patientia, illa impudicitia Pisonis infamiam propagavere.

LX. Proximam necem Plautii Laterani consulis designati Nero adiungit adeo propere, ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permitteret. raptus in locum servilibus poenis sepositum manu Statii tribuni trucidatur plenus constantis silentii nec tribuno obiiciens eandem conscientiam. Sequitur caedes Annaei Senecae laetissima principi, non quia coniurationis manifestum compererat, sed ut ferro grassaretur,

adveniret. Ernestius vult *advenit.* Immo miles a Pisone exspectabatur, qui animum firmabat, donec miles adveniret. Est igitur nexus causalis. cf. not. ad 2, 6.

quos Nero. Sic edd. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *quod Nero* ed. Spir. — *quis Nero* edd. Put. M. et V. cum MS. Guelf.

tanquam favore. Sic edd. Rhenan. (ex ingenio) sqq. — *quanquam* pro *tanquam* MSS. et vett. edd. — Pro *favore* MS. Corb. *pavore*, quod ibi emendatum est in *favore.* Contra MS. Harl. *favore*, in margine *pavore.* Quaeritur an Rhenanus recte dederit *tanquam.* Nam *quanquam* non minus bonam sententiam fundit.

obiit. Ed. Spir. *abiit.* Mox pro *forma* MS. Bud. dat *fama.*

Arria Galla. Sic edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — *Atria Galla* MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. aliique codd., edd. Spir. Put. M. et V., quod nomen etiam invenitur in inscriptionibus.

Silus. Sic MS. Flor. (test. Iac. Gronovio) et edd. Ernest. Oberl. sqq. De quo nomine vid. Drakenborch. ad Liv. 32, 28. *Silius* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Rhen. sqq. — *Sillus* ed. Spir. (Similem varietatem vidimus 11, 6.) — *filius* edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc.

infamiam propagavere. Ed. Spir. *propagavere infamiam.*

Cap. 60. *consulis designati.* MS. Flor. (test. Vict.) *cons. des.* Mox MS. Guelf. a sec. m. habet *sepositus* pro *sepositum*, quod ibi fuit a pr. manu.

Statii tribuni. Sic edd. Rhenan. sqq. — *Tatii tribuni* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. — *Tutii tribuni* ed. Spir.

plenus constantis silentii. Ed. Spir. *plenis constantiis silentii.*

caedes Annaei Senecae. cf. Xiphil. 62, 25.

manifestum. Hoc vocabulum omittitur in MS. Ies.; minime vero in MS. Flor. Nam intactum illud

quando venenum non processerat. solus quippe Natalis et hactenus prompsit, missum se ad aegrotum Senecam, uti viseret conquereretur que, cur Pisonem aditu arceret? melius fore, si amicitiam familiari congressu exercuissent: et respondisse Senecam sermones mutuos et crebra colloquia neutri conducere: ceterum salutem suam incolumitate Pisonis inniti. Haec ferre Granius Silvanus tribunus praetoriae cohortis, et an dicta Natalis suaque responsa nosceret, percunctari Senecam iubetur. Is forte an prudens ad eum diem ex Campania remeaverat quartumque apud lapidem suburbano rure substiterat. illo propinqua vespera tribunus venit et villam globis militum sepsit: tum ipsi cum Pompeia Paullina uxore et amicis duobus epulanti mandata imperatoris edidit.

LXI. Seneca missum ad se Natalem conquestumque nomine Pisonis, quod a visendo eo prohiberetur,

reliquere Victorius et Pichena; Ryckius e collat. Iac. Gronovii disertis verbis prodidit *manifestum* esse in MSS. Flor. et Agr., neque Iac. Gronovius id negavit. Verum eiusdem viri ambages Ernestium et Broterium in errorem duxere, ut traderent a MS. Flor. abesse *manifestum*: eundemque nuncium nuper Kiesslingius retulit.

quando venenum. MS. Bud. *quoniam*, quae varietas orta est e compendio scripturae. Nam ed. Spir. scribit: *qn̄ venenum.* Sic et edd. Put. et MS. Guelf.

prompsit. Ed. Spir. *ꝓmisit* h. e. *promisit.* Eadem verbum *missum* ponit post *Senecam.*

uti viseret. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.), et dein Ernest. sqq. — *ut viseret* edd. Alc. Rhen. sqq. ad Ernestium.

amicitiam familiari congressu. Ed. Spir. *amicitia familiari congressum.*

exercuissent. Sic MS. Guelf. edd. Put. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *exercuisset* MS. Bud. ed. Spir.

Granius Silvanus. Sic edd. Rhenan. sqq. — *Grauius Sil.* MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Sed cf. c. 50. Vitiose edd. Oberlin. et sqq. *Cranius.*

praetoriae cohortis. Vocabulum *praetoriae* vitio operarum exciderat edd. Bernegg. Gronov. Ryck. Restituit Iac. Gronovius e MSS. et vett. edd.

suaque. MS. Guelf. *sua quaeque.*

substiterat. Ed. Spir. *sustiterat.*

globis. Sic MSS. Flor. (t. Vict. c. Pichena) Reg. Harl. Ies. Guelf. Bud. Agr. edd. Spir. et nuper Ernest. sqq. — *globus* MS. Corb. edd. Put. sqq. ad Ernestium.

Cap. 61. *a visendo eo.* Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Reg. Agr. Guelf. (a man. sec.) edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.)

seque rationem valetudinis et amorem quietis excusavisse respondit. cur salutem privati hominis incolumitati suae anteferret, causam non habuisse: nec sibi promptum in adulationes ingenium. idque nulli magis gnarum quam Neroni, qui saepius libertatem Senecae quam servitium expertus esset. Ubi haec a tribuno relata sunt, Poppaea et Tigellino coram, quod erat saevienti principi intimum consiliorum, interrogat, an Seneca voluntariam mortem pararet? Tum tribunus nulla pavoris signa, nihil triste in verbis eius aut vultu deprensum confirmavit. ergo regredi et indicere mortem iubetur. Tradit Fabius Rusticus non eo, quo venerat, itinere reditum, sed flexisse ad Fenium praefectum et expositis Caesaris iussis, an obtemperaret, interrogavisse, monitumque ab eo, ut exsequeretur, fatali omnium ignavia. nam et Silvanus inter coniuratos erat augebatque scelera, in quorum ultionem consenserat. voci tamen et aspectui pepercit intromisitque ad Senecam unum ex centurionibus, qui necessitatem ultimam denuntiaret.

LXII. Ille interritus poscit testamenti tabulas: ac denegante centurione conversus ad amicos, quando me-

Alc., et dein Ryck. Ernest. sqq. Praepositionem *a* omittunt MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. edd. Rhenan. sqq.

seque rationem. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichena) Agr. Corb. Bud. (in quo tamen est *rationes*) edd. Spir. Pich. sqq. — *seque ratione* MSS. Harl. Bodl. Guelf. — *se ratione* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Lips. Gruter.; *se rationem* ed. Ald. Qui libri habent *ratione*, iidem dein ferunt *amore*, et sic MS. Bud. E MS. Flor. Pichena prodidit *amorem*, uti est in ed. Spir. Victorius intactum reliquit *amore*. Varietas scripturae orta est ex inscitia eorum, qui non intelligerent usum verbi *excusare*, de quo dictum est ad 1, 59.

valetudinis. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. Pich. sqq. — *valitudinis* edd. vett.

ubi haec. MS. Guelf. *haec ubi.*

deprensum. Sic MS. Flor. (test. Iac. Gronov.). cf. 1, 34 et 35. et alibi. Edd. omnes cum cod. Guelf. *deprehensum.* Vid. not. ad 3, 53.

reditum. Sic MSS. Harl. a manu emendatoris, Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *redditum* MSS. Harl. (a pr. m.) et Guelf. — *redditurum* MS. Reg., si fides habenda Broterio. De ed. Spir. is falsus est: ea non habet *redditurum*, sed *rediturum*. MS. Agr. *reditum a tribuno*, ex interpretamento.

consenserat. MS. Guelf. *consensit.*

ritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum iam et tamen pulcherrimum habeat, imaginem vitae suae relinquere testatur: cuius si memores essent, bonarum artium famam, tum constantis amicitiae laturos. Simul lacrimas eorum modo sermone, modo intentior

Cap. 62. *prohiberetur.* Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. cum silent. Vict. — *prohibetur* MS. Reg. edd. Spir. et Broterii.

iam et tamen pulcherrimum. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov. contra Pichenam, qui prodiderat edideratque *iam, attamen*) Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. et dein Lips. 1607. Iac. Gronov. Broter. et nuper Kiesslingius. — *iam tamen et p.* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. Lips. 1574. sqq. Grut. — *iam, at tamen* edd. Pichen. Bernegg. Gronov. — *iam, tamen* MS. Agr. ed. Ryck. — *iam et pulch.* edd. Ernest. sqq. Namque *tamen* Ernestio frigebat, quod minime verum est. Immo praecipua vi id vocabulum hic utitur, ut mitiget id quod unum tantum se iam habere dixerat: scilicet quamvis unum, pulcherrimum tamen.

habeat. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) et inde edd. Ryck. I. Gronov. Brot. Lallemand. Bip. — *hebat* MS. Bud. — *habebat* vulgo MSS. et edd. Spir. Put. Beroald. Alc. Rhen. sqq. et nuper Ernest. Oberl. sqq., ut e Taciti sententia dicta haec accipias, quo nil frigidius esse potest. Quod Ernestius censet de verbo *habeat* mutando in *haberet*, aut de iactantia, quae sit in verbis, si tanquam a Seneca dicta accipiantur, nihili est. Nam *habeat* ita rectae grammatices rationi convenit, ut restituendum esset, si codd. MSS. dedissent *haberet*. cf. not. ad 1, 19. Nam *quod . . . habeat* est *was er habe; quod . . . haberet, was er haben würde, könnte*, ut ita res e mera cogitatione pendeat. Immo dicit pulcherrimum illud revera sibi haberi. Quod attinet ad iactantiam, *pulcherrimum* Seneca dicit non omnium omnino, sed eorum, quae relinquere amicis possit. Iam vir, qui totam vitam transegit, ut recte vivendi rationem reperiret atque profiteretur, iactantiae non accusandus est, quod in mortis limine amicis iunioribus exemplum suum commendet, virtutisque studium suum omnium rerum suarum pulcherrimum dicat. Quodsi iactantia est, non mitior exstat in verbis: *cuius ... laturos.* Vocabulum *pulcherrimum*, ut *κάλλιστον*, accipiendum est de *honesto.* Kiesslingius, si vel in uno codice bono interpolationis vestigia apparerent, locum sic constitueret: *quod unum iam habeat.*

tum constantis. Sic e coniectura Acidalii et Mureti edd. Oberl. sqq. — MSS. et vett. edd. *tam constantis;* MS. Bud. *iam c.* Et vett. edd. quum locum: *bonarum . . . laturos* sine distinctione exhibuissent incisione facta ante *bonarum;* Lipsius dein edidit: *cuius si memores essent bonarum artium, famam tam constantis a. laturos*, eaque ratio etiam apud sequentes edd. valuit. Faërnus verba *bonarum artium* eiiciebat ut spuria, cum quo consentiunt Bip. qui simul e *tam* faciunt *aeternam.* Sed *tum* omnem loci difficultatem sustulit: significat *praeterea, insuper.* Sic Hist. 1, 46. *tum locupletissimus* etc. Sueton. Iul. c. 27. *tum reorum* etc. Igitur non opus est emendatione Heinsii et Rupertii legentium: *bonarum cum artium, tum constantis a.*

lacrimas. Sic MS. Flor. (t. Vict.) edd. Ernest. Brot. sqq. Priores *lacrymas* vel *lachrymas.* Ed. Spir. *lachrimas.* cf. not. ad 1, 4.

intentior. Ed. Spir. *interior.*

in modum coercentis ad firmitudinem revocat rogitans, ubi praecepta sapientiae? ubi tot per annos meditata ratio adversum imminentia? cui enim ignaram fuisse saevitiam Neronis? neque aliud superesse post matrem fratremque interfectos quam ut educatoris praeceptorisque necem adiiceret.

LXIII. Ubi haec atque talia in commune disseruit, complectitur uxorem et paululum adversus praesentem fortitudinem mollitus rogat oratque, temperaret dolori,

Eadem cum MS. Flor. (test. Vict.) q̃ *matrem* pro *post matrem*. Dein sola q̃ *educatoris* pro *quam ut educatoris*. cf. not. ad 1, 9. ubi similiter ed. Ber. omittit *ut* post *quam*.

ad firmitudinem. MS. Guelf. omittit *ad*.

Cap. 63. *in commune*. Sic MSS. Reg. Bud. edd. Beroald. (c. silent. Vict.) et dein Ernest. Brot. sqq. — *velut in commune* edd. Spir. Put. M. et V. Alc. Rhenan. sqq. ad Ernestium. — *ultro in commune* MSS. Harl. Guelf. — *ultra in c.* MS. Ies. Quae si contuearis, patet parum auctoritatis adesse scripturae *velut*.

et paululum. Sic MS. Flor. (t. Vict.) edd. Spir. Rhenan. (fortasse e MS. Bud.) sqq. Omittitur *et* in edd. Put. M. et V. Beroald. Alc., quae *mollitus* trahunt ad *complectitur*. MS. Guelf. *paululumque*.

adversus praesentem fortitudinem mollitus. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pichen.) edd. Pich. sqq. ad Ernestium et Broterium, qui e MSS. Harl. Ies. Bud. Agr. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. reposuerunt *formidinem* pro *fortitudinem*, et e MSS. Harl. Ies. Guelf. Agr. ed. Spir. *molitus* pro *mollitus*, quod est in MSS. Reg. a pr. m. (sec. m. dedit *molitus*) Bud. Bodl. edd. Put. sqq. ad Ernestium. Oberlinus cum Bip. revocavit Pichenae scripturam; Bekkerus et Kiesslingius maluere sequi Puteolanum. Sed de *formidine* nullus hic sermo est. Immo postquam Tacitus dixit de intrepido viri animo amicorum lacrimas ultro increpantis, transit iam ad describendum modum, quo ille usus sit in uxorem. Nimirum in hanc non eandem fortitudinem usurpavit, sed paululum mollitus rogando orandoque egit, non quasi firmitudine animi in uxoris complexu exciderit, sed uxoris causa sponte animum mollivit atque sermonem. Quare dicitur *adversus* praesentem fortitudinem mollitus. Germanice: *und wider die ihn beherrschende Unerschütterlichkeit ein wenig bewegt*.

rogat oratque. Synonyma. cf. Roth. p. 17. Sic apud Sallustium et Livium *orare et obsecrare*. MS. Bud. *orat rogatque*. — Ceterum Xiphilin. 62, 25. in tradendis his rebus a Tacito diversus est. Nam is: ὁ δὲ δὴ Σενέκας ἠθέλησε μὲν καὶ τὴν γυναῖκα Παυλίναν ἀποκτεῖναι κ. τ. λ.

temperaret dolori, ne aeternum susciperet. Sic MSS. Bud. Agr. edd. Spir. Put. Beroald, (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. At Pichena teste in MS. Flor. legitur *dolorem aeternum*. MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. *dolorem, ne aeternum*. I. Fr. Gronovius corrigebat sic: *temperaret dolorem aeternum suscipere*. Sed lubentius credo *ne* in Flor. abiisse in *m* atque adhaesisse praecedenti vocabulo. Litteras *e* et *i* in MSS. saepius con-

ne aeternum susciperet, sed in contemplatione vitae per virtutem actae desiderium mariti solatiis honestis toleraret. Illa contra sibi quoque destinatam mortem adseverat manumque percussoris exposcit. Tum Seneca gloriae eius non adversus, simul amore ne sibi unice dilectam ad iniurias relinqueret: „vitae" inquit „delenimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis. „non invidebo exemplo. sit huius tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo „fine." Post quae eodem ictu brachia ferro exsolvunt. Seneca, quoniam senile corpus et parvo victu tenuatum lenta effugia sanguini praebebat, crurum quoque et poplitum venas abrumpit. saevisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum uxoris infringeret atque ipse visendo eius tormenta ad impatientiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscedere. Et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia advocatis scripto-

fundi et nonnunquam vix discerni posse notum est. Pro *ne* Heinsius mavult *neu* vel *neve*, quod bonum neque tamen necessarium est; Bipontini *nec*, quod male recepere Oberlinus, Bekkerus aliique. Debuissent saltem scribere *neque*. Sed *neve* omnino aptius est. cf. 1, 35. *neu mortem;* 16, 10. *audiret insontem*, *neve consulatus* etc. Ibid. c. 34. *neu pericula* etc. Possis etiam coniectare: *temperaret*, *dolorem ne aeternum susciperet*. Ita auctoritas sua manet codicibus, qui praeferunt *dolorem*. Sic *non temperare*, *quin* 2, 84. 3, 67. Ceterum pro *temperaret* MS. Ies. habet *temperet*.

in contemplatione. MS. Bodl. *contemplationem*.

unice MS. Guelf. *unicae*.

delenimenta. Sic MS. Bud. edd. Put M. et V. Ber. (c. silent. Vict.), et sic MS. Flor. alibi. cf. not. ad 11, 37. Vulgo *delinimenta*, uti habent MS. Guelf. edd. Spir. Alc. Rhen. sqq. Paulo ante edd. Put. M. et V. habent *delectam* pro *dilectam*. Mox ed. Spir. *maius* pro *mavis*, vulgari vitio.

exsolvunt. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq. — *exolvunt* edd. vett. cum cod. Guelf.

et parvo victu. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Put. sqq. c. silent. Vict. At test. Iac. Gronov. MS. Flor. (a pr. m.) habet *et parco victu*, quod vetus manus vertit in *parvo ictu*, uti est in MSS. Reg. Agr. Ies. — *cum parvo ictu* (sine *et*) ed. Spir. Postquam Iac. Gronov. Ryck. et Broterius ediderant *parco victu;* Ernestius revocavit *parvo v.* Parum refert.

atque ipse visendo. MS. Guelf. *atque ipso visendo*. Ed. Spir. *atque ipse ne visendo*. Eadem mox *dilaberetur* pro *delaberetur*.

abscedere. Sic MSS. Reg. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. et nuper Ernest. Brot. sqq. postquam Rhenanus cum seqq. ediderant *abscederet*, ut e MS. Bud. Sed Oberlinus docuit in illo cod. esse *absceder̄et nov.* lineola litterae *r* imposita: h. c. *abscedere et nov.*

ribus pleraque tradidit, quae in vulgus edita eius verbis invertere supersedeo.

LXIV. At Nero nullo in Paullinam proprio odio, ac ne glisceret invidia crudelitatis, inhiberi mortem imperat. hortantibus militibus servi libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignarae. nam ut est vulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis petivisse: deinde oblata mitiore spe blandimentis vitae evictam: cui addidit paucos postea annos laudabili in maritum memoria et ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset multum vitalis spiritus egestum. Seneca interim durante tractu et lentitudine mortis Statium Annaeum diu sibi amicitiae fide et arte medicinae probatum orat, provisum pridem venenum, quo damnati publico Atheniensium iudicio exstinguerentur, promeret: adlatumque

invertere. MS. Reg. et ed. Spir. *evertere.* Rhenanus malebat *innectere*; Heinsius *insertare*; Hillerus Rac. 15. *inserere* vel *inferre*. Sed vide *verba inversa* apud Terent. Heaut. 2, 3, 131. Ricklefs. bene convertit *umstellen*.

Cap. 64. *inhiberi mortem imperat. hortantibus militibus* etc. MS. Flor. litt. Langob. scr. duoque alii codices eiusdem bibliothecae (teste Pichena) non habent verbum *imperat*. De illo codice consentiunt Victorius et Iac. Gronovius. Consentiunt etiam MSS. Reg. Bud. Agr. Corb. ed. Spir. At MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. post *mortem* addunt *imperat*, plena interpunctione posita ante *hortantibus*. Nempe ex emendandi studio *imperat* accessit, verum non absurde. Auctore Freinshemio edd. Bernegg. Gronov. eiecto verbo *imperat* ferunt *inhibere mortem. Hortantibus* etc. Mox pro *ignarae* Acidalius volebat *ingratae*, quod defendit Herrmann Iustus p. 24.

qui crederent. MS. Reg. *qui crediderint.*

famam sociatae. Ed. Spir. *fama: societatem.* MS. Guelf. *societate.*

mitiore spe. MSS. Corb. Agr. *meliori spe.*

postea. MS. Reg. *post.*

lentitudine. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) Farnes. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Lips. Pichen. sqq. Sic etiam scholiast. Iuvenal. 5, 108. qui hunc locum Taciti adfert. — *lenitudine* MS. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Sed cf. 16, 35. *lentitudine exitus. Tractu et lentitudine* inter synonyma habet Roth. p. 8. Cf. c. 10. *tractu belli.*

Annaeum. MS. Ies. *Annium.* Mox MS. Guelf. *sibi diu* pro *diu sibi.*

quo damnati . . . exstinguerentur. Rhenanus ad h. l. adnotat: „apparet ex regio volumine (MS. Bud.) legi posse: *quo damnatus . . . exstingueretur.*" Oberlinus nihil

hausit frustra frigidus iam artus et cluso corpore adversum vim veneni. Postremo stagnum calidae aquae introiit respergens proximos servorum addita voce: Libare se liquorem illum IOVI LIBERATORI. Exin balneo inlatus et vapore eius exanimatus sine ullo funeris solemni crematur. ita codicillis praescripserat, cum etiam tum praedives et praepotens supremis suis consuleret.

LXV. Fama fuit Subrium Flavium cum centurionibus occulto consilio neque tamen ignorante Seneca destinavisse, ut post occisum opera Pisonis Neronem Piso quoque interficeretur tradereturque imperium Senecae, quasi insontibus claritudine virtutum ad summum fastigium delecto. quin et verba Flavii vulgaban-

animadvertit. Ed. Spir. habet: *quod ante publico Atheniensium iudicio extingueretur.*

frigidus iam artus. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronovio) Reg. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. et dein Iac. Gronov. sqq. — *frigidis iam artubus* MS. Agr. edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. 1574. Ryck. — *artibus* edd. Lips. posteriores Gruter. Pich. sqq. ad Ryckium.

cluso corpore. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. edd. Iac. Gronov. et Broter. — *clauso c.* vulgo MSS. et vett. recentioresque edd. Sed non video, cur illam formam spernamus, quae saepius legitur apud Nostrum. cf. Hist. 1, 33. German. c. 34. et 45.

respergens. Ed. Spir. *respergensque;* mox *audita* pro *addita.*

libare . . . Iovi Liberatori. cf. 16, 35.

inlatus. Sic ed. Spir. *illatus* MS. Guelf. edd. Put. sqq. c. silent. Vict.

praescripserat. Sic MSS. Reg. Bud. Guelf. edd. Spir. Rhen. Ald. Lips. Pich. sqq. — *perscripserat* edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Quaeritur utrum sit verum; nam utrumque verum esse potest. MS. Harl. *scripserat.*

cum etiam tum. H. e. eo tempore, quo adhuc. Frustra Heinsius volebat *etiam num*, quod valet de tempore praesenti, uti *etiam tum* de praeterito. cf. not. ad 1, 3. *integra etiam tum domo sua.* Ryckius tamen recepit Heinsii coniecturam.

Cap. 65. *opera Pisonis.* Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Pichen. sqq. — *ope P.* edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. Gruter. — *opere* MS. Bud.

quasi insontibus claritudine etc. Sic MSS. Flor. (test. Pichena sc. *insontib'*) Reg. edd. Spir. et nuper Bipont. Oberl. sqq. — *quasi insonti, claritudine* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Mox auctore Freinshemio incisio post *insonti* sublata est. Pichena malebat *insonti et claritudine.* Verior *insontibus* pro *ab insontibus* sc. crimine necati Neronis. MS. Agr. *quasi insonti sub claritudine.*

tur: non referre dedecori, si citharoedus demoveretur et tragoedus succederet, quia ut Nero cithara ita Piso tragico ornatu canebat.

LXVI. Ceterum militaris quoque conspiratio non ultra fefellit accensis indicibus ad prodendum Fenium Rufum, quem eundem conscium et inquisitorem non tolerabant. Ergo instanti minitantique renidens Scevinus neminem ait plura scire quam ipsum, hortaturque ultro, redderet tam bono principi vicem. Non vox adversum ea Fenio, non silentium, sed verba sua praepediens et pavoris manifestus, ceterisque ac maxime Cervario Proculo equite ad convincendum eum connisis,

non referre dedecori. MS. Agr. *non differre.* MS. Corb. *non deferre.* Ryckius vocabulum *dedecori* deducit a *dedecorum*, intellecto *quid.* Minime vero. *Dedecori* est dativus. Sententia: nihil interesse ad dedecus h. e. idem esse dedecus. cf. Suet. Oth. c. 5. *nihil referre, ab hoste in acie, an in foro caderet.* Locus 14, 38. *pravitati ipsius referebat* huc non facit.

demoveretur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronovio) Bud. Reg. Guelf. Agr. edd. Spir. et dein Iac. Gronov. sqq. — *dimoveretur* MS. Bodl. pr. m. (ab altera m. *demoveretur*), edd. Put. sqq. ad Iac. Gronov. Sed cf. 11, 38. 14, 12. 2, 43. Contra 6, 24. recte legitur *dimotis.* Vid. ibi not.

Cap. 66. *accensis indicibus.* Sic edd. Lips. Grut. Pich. sqq. — *accensis quoque i.* MSS. et vett. edd. Censent interpretes e superiore versu *quoque* male repetitum. Concedo id fieri potuisse, quanquam satis scio altero etiam loco *quoque* non carere sua vi, nec per se repetitionem eiusdem vocabuli vitium esse. Saepius eiusmodi repetitiones apud Tacitum inveniuntur. cf. *Wagner, in prolus. ante lect. catal. Marburg. semestr. pasch.* 1813. ubi agit de loco An. 3, 22. Alibi *etiam* et *quoque* similiter se excipiunt. cf. infr. c. 72. f. *scortorum quoque cupiens etiam matri eius inlusit.* Sueton. Iul. c. 24. *unam etiam ex Transalpinis conscriptam, vocabulo quoque Gallico.*

ad prodendum. MS. Corb. *ad perdendum.*

renidens. Sic codd. MSS. Guelf. aliique, edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) et dein Gruter. Pichen. sqq. — *renitens* MS. Bud. edd. Alc. Rhenan. Ald. Lips. Sed cf. 4, 60. *falsum renidens vultu.* Ceterum ed. Spir. vitiose scribit *renidius.* Eadem mox *sceuinius* pro *Scevinus.* Deinde *reddere* haud inepte pro *redderet.*

Fenio. MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *Fenius*, aperto vitio, nisi si legas *vocem.*

praepediens. Sic MS. Bud. edd. Put. sqq. c. silent. Vict. — *propediens* MS. Guelf. a manu secunda. — *uepredies* ed. Spir.

Cervario Proculo. MSS. Reg. Guelf. (hic a sec. m.) *cum vario Proculo.*

connisis. Sic edd. Rhen. sqq. — *connissis* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc., uti solent. — *commissis* ed. Spir. — *conisis* MS. Flor. test. Vict.

iussu imperatoris a Cassio milite, qui ob insigne corporis robur adstabat, corripitur vinciturque.

LXVII. Mox eorundem indicio Subrius Flavius tribunus pervertitur, primo dissimilitudinem morum ad defensionem trahens neque se armatum cum inermibus et effeminatis tantum facinus consociaturum: dein postquam urgebatur, confessionis gloriam amplexus interrogatusque a Nerone, quibus causis ad oblivionem sacramenti processisset: „Oderam te" inquit „nec quis-„quam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti. „odisse coepi, postquam parricida matris et uxoris, au-„riga et histrio et incendiarius exstitisti." Ipsa rettuli verba, quia non ut Senecae vulgata erant nec minus nosci decebat militaris viri sensus incomptos et validos. Nihil in illa coniuratione gravius auribus Neronis accidisse constitit, qui ut faciendis sceleribus promptus ita

Cap. 67. *eorundem.* Sic codd. MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichen.) Bud. Guelf. aliique, edd. Spir. Pichen. sqq. — *eorum* edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. Grut. — De Flavio eadem fere refert Xiphil. 62, 24.

pervertitur. MS. Reg. ed. Spir. *praevertitur*, vulgari confusione.

inermibus. MS. Ies. *inermis.* cf. not. ad 1, 6.

et effeminatis. Sic MS. Flor. (test. Pich.) edd. Spir. Pich. Lips. 1607. sqq. Copula *et* omittitur in MSS. Bud. Guelf. aliisque, edd. Put. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Lips. prioribus et Gruter.

tibi fidelior. Ed. Spir. pronomen *tibi* ponit post *fuit.* — De re cf. Xiphil. 62, 24.

auriga et histrio. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. et dein Pichen. sqq. — *et auriga et histrio* MS. Corb. edd. Broter. Oberlin. sqq. — *auriga, histrio* (omissis copulis) MS. Bud. edd. Rhen. Ald. Lips. Gruter. In MSS. Harl. Bodl. Ies. copula deest ante *auriga;* an desit post *auriga,* Broterius tacuit.

histrio. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Put. Alc. Rhen. sqq. — *hystrio* ed. Beroald.; *ystrio* MS. Bud.

exstitisti. MS. Bud. *fuisti.*

quia non. Ed. Spir. *quae non.*

vulgata. MS. Flor. (test. Vict.) *volgata.*

incomptos et validos. Sic MSS. Flor. (t. Pich.) Corb. edd. Spir. et nuper Ernest. Brot. sqq. — *et incomptos et validos* edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Lips. Gruter. In MS Guelf. legitur *et incomptos et invalidos.* MSS. Harl. Bodl. Ies. *et incomptos:* an etiam *invalidos*, Broterius non prodidit. At Pichen. sqq. dederant *incomptos, sed validos.* Verum cf. not. ad 1, 13. In MS. Bud. desunt verba *et validos;* quare Rhenanus suspicabatur legendum: *sensus sed incomptos.*

qui ut. Ed. Spir. *q̃ ut* h. e. *quam ut.*

audiendi, quae faceret, insolens erat. Poena Flavii Veiano Nigro tribuno mandatur. is proximo in agro scrobem effodi iussit, quam Flavius ut humilem et angustam increpans circumstantibus militibus „ne hoc „quidem" inquit „ex disciplina." admonitusque fortiter protendere cervicem: „Utinam" ait „tu tam forti„ter ferias." Et ille multum tremens cum vix duobus ictibus caput amputavisset, saevitiam apud Neronem iactavit sesquiplaga interfectum a se dicendo.

LXVIII. Proximum constantiae exemplum Sulpicius Asper centurio praebuit percunctanti Neroni, cur in caedem suam conspiravisset? breviter respondens non aliter tot flagitiis eius subveniri potuisse. tum iussam poenam subiit. nec ceteri centuriones in perpetiendis suppliciis degeneravere. At non Fenio Rufo par ani-

Veiano. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Beroald. (c. silent. Vict.) et dein Lips. Gruter. Pichen. sqq. — *Veianio* edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. Ald. Lips. 1574. — *Veglano* MS. Ies. — *Veranio* MS. Corb.

quam Flavius. Sic edd. Pich. (e vett. codd., uti profitetur, non addito quibus) Lips. 1607. sqq. — *quem Flavius* edd. Rhenan. Ald. Lips. priores et Gruter. quia in MS. Bud. est *angustum.* Sed cf. 1, 61. *quae scrobes.* MSS. et edd. ante Rhenan. *quamvis Flavius*, unde Freinshemius coniiciebat *qua visa*, haud inepte; nisi malis *quam visam.*

ne hoc quidem. Sic codd. MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. aliique (test. Broterio), edd. Spir. Rhenan. sqq. — *ne haec quidem* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. — MS. Bud. verbum *inquit* ponit post *disciplina.* Mox ed. Spir. *utinam ait fortiter tu tam ferias.*

admonitusque. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichena) Reg. Corb. edd. Spir. Pichen. sqq. Copulam *que* omittunt MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen Ald. Lips. Grut.

sesquiplaga. Ed. Spir. *sex qui plaga.* MS. Guelf. *sexquiplaga.*

Cap. 68. *conspiravisset.* Ed. Spir. *conspirasset.*

subveniri potuisse. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. et dein Pichen. Lips. 1607. sqq. — *subvenire potuisse* MS. Ies. ed. Spir. — *subveniri posse* MS. Bud. edd. Rhen. sqq. ad Pichen. Sed *potuisse* etiam est in MSS. Reg. Harl. Bodl. cf. Xiphil. 62, 24. ὅτι ἄλλως σοι βοηθῆσαι οὐκ ἠδυνάμην. Sueton. Ner. c. 36. *tanquam aliter illi non possent nisi morte succurrere, dedecorato flagitiis omnibus.*

suppliciis. Ed. Ber. *supplicis*, quod Victorius e MS. Flor. correxit in *suppliciis.*

degeneravere. Sic codd. MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. aliique, edd. Spir. Rhen. sqq. — *denegavere* edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

mus, sed lamentationes suas etiam in testamentum contulit. Opperiebatur Nero, ut Vestinus quoque consul in crimen traheretur, violentum et infensum ratus: sed ex coniuratis consilia cum Vestino non miscuerant quidam vetustis in eum simultatibus, plures quia praecipitem et insociabilem credebant. ceterum Neronis odium adversus Vestinum ex intima sodalitate coeperat, dum hic ignaviam principis penitus cognitam despicit, ille ferociam amici metuit saepe asperis facetiis inlusus, quae, ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. accesserat repens causa, quod Vestinus Statiliam Messallinam matrimonio sibi iunxerat haud nescius inter adulteros eius et Caesarem esse.

LXIX. Igitur non crimine, non accusatore exsistente, quia speciem indiciis induere non poterat, ad vim dominationis conversus Gerellanum tribunum cum

contulit. MS. Guelf. *condidit.*
violentum et infensum. Ed. Spir. *violentum infensumque.* Heinsius pro *ratus* vult *aversatus.*
sed ex coniuratis. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronovio) Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Ernest. sqq. — *sed et coniurati* MSS. Bud. Corb. ed. Spir. — *sed coniurati* MS. Reg. edd. Put. sqq. ad Ernestium.
Neronis. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. c. silent. Vict. — *Neroni* MS. Bud. ed. Spir.
ex intima. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. c. sil. Vict. — *ex nimia* MSS. Reg. Corb. ed. Spir. Mox ed. Spir. ante *saepe* addit *eam,* item MS. Guelf. in margine.
repens causa. Sic MSS. et vett. edd. — *recens causa* edd. Lips. posteriores, Gruter. Pichen. sqq. Veterem scripturam Ernestius restituit. cf. not. ad 6, 7. Mox *matrimonium* non est in ed. Spir. Eadem ante *inter* addit *et*, ponit etiam *et* ante *Caesarem.* Ed. Put. V. *ad Caesarem.* — Miror Bekkerum et Kiesslingium revocasse *recens causa.*

Cap. 69. *speciem indiciis induere.* Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Ryckio) Agr. ed. Spir. — *speciem iudiciis i.* MSS. Reg. Corb., si fides est habenda Broterio qui ex ed. Spir. quoque adfert *iudiciis,* ubi est *indiciis.* MS. Bud. et inde edd. Rhen. Ald. Lips. Gruter. Pich. *indicii*, non *iudicii*, ut idem ille Broterius refert. — *iudicis* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. et dein Bernegg. (auctore Freinshemio) sqq. Pro *induere* Guelf. fert *inducere.* Sed vera est scriptura MS. Flor. Quippe *speciem induere alicui rei* est *der Sache einen Anschein*, *eine Gestalt geben*, sc. speciem, qua commendetur et probabilis esse videatur. Iam Nero *speciem indiciis induere non poterat* h. e. indicia si voluisset excitare contra Vestinum, nesciebat, quam speciem istis indiciis indueret, ut probabilia viderentur. Haud inficior vulgatam hodie scripturam etiam fundere bonam sententiam; at potiores libri poscunt aliam.
Gerellanum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. ed. Spir. — *Ge-*

cohorte militum immitit iubetque praevenire conatus consulis, occupare velut arcem eius, opprimere delectam iuventutem, quia Vestinus imminentes foro aedes decoraque servitia et pari aetate habebat. Cuncta eo die munia consulis impleverat conviviumque celebrabat nihil metuens an dissimulando metu, cum ingressi milites vocari eum a tribuno dixere. Ille nihil demoratus exsurgit, et omnia simul properantur: clauditur cubiculo, praesto est medicus, abscinduntur venae, vigens adhuc balneo infertur, calida aqua mersatur, nulla edita voce qua semet miseraretur. Circumdati interim custodia, qui simul discubuerant, nec nisi provecta nocte omissi sunt, postquam pavorem eorum ex mensa exitium opperientium et imaginatus et inridens Nero satis supplicii luisse ait pro epulis consularibus.

LXX. Exin M. Annaei Lucani caedem imperat. Is profluente sanguine ubi frigescere pedes manusque et

relanum MS. Guelf. edd. Put. sqq. Reinesius malebat *Ceretanum*.

occupare. Ed. Spir. et MS. Guelf. *occuparet;* sed mox *opprimere.* — Mox Guelf. pro *arcem eius* habet *arcentius.*

et pari aetate. Copula *et* deest in MS. Bud. contra Taciti consuetudinem.

conviviumque celebrabat. Sic MSS. Flor. (test. Pichena) Guelf. edd. Spir. Pichen. sqq. Victorius tamen vult in MS. Flor. esse *celebrat* et *convivium* sine copula, uti Rhenanus ediderat e MS. Bud. Sed *conviviumque* in aliis quoque MSS. exstat, teste Broterio; omittitur copula in edd. Put. sqq ad Pichenam. Pro *celebrabat* MS. Bodl. edd. Put. Ber. Alc. dant *celebrarat.*

an dissimulando. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *aut dissimulando* MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *ut dissimulando* MS. Ies. — *ut dissimulato metu* MS. Guelf.

exsurgit. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq. — *exurgit* MS. Guelf. edd. vett.

miseraretur. MS. Bud. *misereretur.* Mox Guelf. *circundãti.*

omissi sunt. Sic MSS. Flor. (t. Vict. c. Iac. Gronovio) Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. et Ernest. sqq. — *emissi sunt* edd. Spir. Ber. Alc. Rhen. sqq. ad Ernestium. In MS. Bud. est *omissa.*

ex mensa exitium. Sic edd. Bernegg. sqq. ex optima emendatione Francisci Medicis. MSS. et edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. *et mensae exitium.* MS. Bud. *in mense*, unde Rhenanus fecit *imminens exitium*, idque secuti sunt Ald. Lips. Gruter. Pich. *Exitum* pro *exitium* offert MS. Corb., vulgari confusione. cf. not. ad 13, 1.

et imaginatus et inridens Nero. MS. Guelf. *imaginatus Nero et irridens* (omisso altero *et*).

Cap. 70. *Exin M. Annaei Lucani.* Sic edd. Rhen. (ex ingenio) Ald. Lips. sqq. — *Exin Manenio et Lucani* ed. Spir. — *Mannio et L.* edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil.

paulatim ab extremis cedere spiritum fervido adhuc et compote mentis pectore intelligit, recordatus carmen a se compositum, quo vulneratum militem per eiusmodi mortis imaginem obiisse tradiderat, versus ipsos rettulit: eaque illi suprema vox fuit. Senecio posthac et Quintianus et Scevinus non ex priore vitae mollitia, mox reliqui coniuratorum periere nullo facto dictove memorando.

LXXI. Sed compleri interim urbs funeribus, Capitolium victimis: alius filio, fratre alius aut propinquo aut amico interfectis agere grates deis, ornare lauru domum, genua ipsius advolvi et dextram osculis fatigare. Atque ille gaudium id credens Antonii Natalis et Cervarii Proculi festinata indicia impunitate remuneratur: Milichus praemiis ditatus conservatoris sibi nomen Graeco eius rei vocabulo adsumpsit. E tribunis Granius Silvanus quamvis absolutus sua manu cecidit: Statius Proximus veniam, quam ab imperatore acceperat, vanitate exitus corrupit. Exuti dehinc tribunatu

Vict.) Alc. — *Manenii et L.* MS. Agr. — *Mennenii et Lucani* MS. Guelf. a sec. m. Alii codd. *Manie* vel *Mame.*

intelligit. MS. Flor. (test. Vict.) *intellegit.* cf. not. ad 1, 11.

carmen a se compositum. Ed. Spir. *ab se carmen compositum.*

obiisse. Edd. Spir. Put. M. et V. *obisse*, uti est in MSS. Corb. Guelf. — Corb. fert *eiusdem* pro *eiusmodi.*

versus ipsos. cf. Lucan. 3, 635. et 9, 805 sqq.

suprema vox. Ed. Spir. *summa vox.*

Quintianus. MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. *Quintilianus* — Edd. Lips. sqq. *Quinctianus.* cf. not. ad c. 49.

Cap. 71. *funeribus.* Ed. Spir. *funebribus.* Eadem mox *lauro* pro *lauru.* MS. Guelf. *laurū.* Mox idem *dexteram.*

osculis. MS. Guelf. *oculis.* Mox idem *Milichius.*

gaudium id credens. MS. Agr. et ed. Spir. omittunt *id.*

remuneratur. MSS. Corb. Ies. Harl. (pr. m.) *remunerantur.*

adsumpsit. Sic MS. Flor. (test. Vict.) — *assumpsit* edd. vett. c. cod. Guelf.

e tribunis. MS. Bud. *et tribunus.*

Granius Silvanus. Sic edd. Rhen. sqq. — *G. Sallanus* ed. Spir. — *Gaius Silvanus* edd. Put. M. et V. — *Gauius Siluanus* MS. Guelf. — *Grauius Silvanus* ed. Ber., ubi Victorius delevit litteram *r.* cf. not. ad c. 50.

vanitate exitus. Quaerunt interpretes, quo sensu *vanitas exitus* dicatur. Ricklefs. explicat: „Quia se occiderat priusquam causa caedis adesset," additque non opus esse Faerni emendatione *velocitate* substituentis. Ceterum cum Strombeckio convertit: *durch*

Pompeius, Cornelius Martialis, Flavius Nepos, Statius Domitius, quasi principem non quidem odissent, sed tamen existimarentur. Novio Prisco per amicitiam Senecae et Glitio Gallo atque Annio Pollioni infamatis magis quam convictis data exsilia. Priscum Antonia Flacilla coniunx comitata est, Gallum Egnatia Maximilla, magnis primum et integris opibus, post ademptis: quae utraque gloriam eius auxere. Pellitur et

einen voreiligen Tod. Igitur ille se occidit priusquam veniam ab imperatore accepisset? Sed disertis verbis legimus: *veniam, quam acceperat, corrupit;* neque illud *voreilig* inest voci latinae. Ryckius interpretatur: „abolitionem sibi a principe indultam irritam reddidit alio mox crimine, quod capite luit." Non ferunt id verba Taciti. Immo Statius veniam ab imperatore impetravit et postquam impetraverat, sua manu cecidit, ut urbi ostentaret rarum aliquod facinus, quippe moriens quum vivere posset. Id vero dici poterat vanitatis exemplum. Nam si amore civitatis aut maerore calamitatis publicae vitam sperneret, non debebat veniam accipere, sed contemnere. Alia res fuit in Silano: is *absolutus* sua manu cecidit.

existimarentur. Sic edd. Rhen. Ald. Lips. Gruter. et dein Ernest. sqq. — *extimarentur* MSS. et vett. edd. cf. not. ad 13, 17. Pichena emendaverat *extimerentur*, quod editum est usque ad Ernestium, qui bene restituit Rhenani scripturam. Quippe viri illi non poterant convinci, sed ob malam existimationem dignitate exuti sunt. *(Sie wurden als verdächtige Personen behandelt.)* Nam *existimatur* id quod creditur non e certis documentis, sed quia sic videtur.

Novio Prisco. MS. Guelf. a m. sec. *Nevio.* Edd. Pich. Bernegg. Gronov. Ryck. *Nonio*, vitio operarum ut videtur, quod e Pichen. ed. ad alios libros transiit. Veterem scripturam restituere Ernest. Brot. sqq. In veteri lapide apud Gruterum p. 104. nr. 6. legitur *D. Novius Priscus.*

per amicitiam. Sic *per invidiam patris* An. 13, 43.; *per socordiam praefecti* Hist. 1, 24. *Per* occasionem, ἀφορμήν, indicat. Nil igitur opus est emendatione Ernestii *propter* pro *per* substituentis.

Antonia Flacilla. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *Arcoria Flacilla* ed. Spir. — *Artoria F.* MSS. Flor. (t. Vict.) Reg. — *Artonia* MS. Corb. Sed *Antonia* est in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf.; *Flaccilla* MSS. Flor. (test. Vict.) Bodl. et sic volebat Huetius, recte, ut mihi videtur. — *coniunx* MS. Guelf. edd. vett. c. silent. Vict.

Egnatia. Ed. Spir. *et Gnatia.*

gloriam eius. Sic MSS. et vett. edd. Pro *eius* substituerant *eis* edd. Lips. Gruter. Pich. sqq. Ernestius et Broterius veterem scripturam reposuere. Ille tamen offendit in verbis: *quae utraque*, quae duriora et *utraque* saltem frustra additum existimat. Verum *utraque* primum eo respicit, quod magnis et integris opibus coniugem comitata est: exemplum eximii amoris, egregiae constantiae. Nam cum opibus suis amoenius in urbe vixisset quam in exsilio. Tum quod postea adempta sunt bona, etiam auxit gloriam eius. Nam infortunia virtute para laudibus et admiratione attollimus.

Rufius Crispinus occasione coniurationis, sed Neroni invisus, quod Poppaeam quondam matrimonio tenuerat. Verginium Flavum et Musonium Rufum claritudo nominis expulit. nam Verginius studia iuvenum eloquentia, Musonius praeceptis sapientiae fovebat. Cluvidieno Quieto, Iulio Agrippae, Blitio Catulino, Petronio Prisco, Iulio Altino velut in agmen et numerum Aegaei maris insulae permittuntur. At Cadicia uxor Scevini et Caesonius Maximus Italia prohibentur, reos fuisse se tantum poena experti. Atilla mater Annaei Lucani sine absolutione, sine supplicio dissimulata.

Rufius Crispinus. cf. 12, 42. 15, 45. Hic MS. Agr. ed. Spir. *Ruffrius Crispinus.* MSS. Flor. (test. Ryckio) Bud. Harl. Bodl. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. Ald. *Rufrius Crispinus.* Edd. Lips. Pich. sqq. *Rufus C.* MS. Ies. edd. Brot. sqq. *Rufius C.*

occasione coniurationis. Ed. Spir. *coniurationis occasione.*

Verginium Flavum et Musonium Rufum. MSS. et edd. vett. *Verginium Rufum*, omissis mediis nominibus (edd. Spir. Rhen. *Virginium.* cf. not. ad c. 23.). At duos esse viros sequentia docent. Quare Lipsius volebat: *Verginium et Rufum* vel *Verginium et Musonium Rufum.* Illud auctore Freinshemio ferunt edd. Bernegg. sqq. Sed Bipont. sqq. *Virginium Flaccum et Musonium Rufum.* *Virginium* scribunt, uti scribitur apud Quintil. 3, 6, 44. 4, 1, 23. 7, 4, 24. et 11, 3, 126. Mox etiam apud Nostrum vett. edd. omnes: *nam Virginius;* MS. Flor. (t. Vict.) *nam Verginius.* cf. not. ad Hist. 1, 8 et 9. *Flaccum* addiderunt auctoritate antiquae vitae Persii; sed *Flavum* scribendum vidit Lipsius. cf. Sueton. in Auli Persii vita: *et apud rhetorem Virginium Flavum.* De *Musonio Rufo* cf. Hist. 3, 81.

Catulino. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Lips. Pich. Gruter. sqq. — *Catullino* MS. Harl. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald.

Petronio. Sic MS. Guelf. edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *Pretonio* edd. Put. M. et V. — *Patronio* ed. Spir.

permittuntur. MS. Guelf. *praemittuntur;* in margine *permittuntur.*

Caesonius. Sic suadente Lipsio edd. Pich. sqq. cf. Martial. 7, 43. Edd. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. cum MS. Guelf. *Cesenius.* Ed. Spir. *Cesēnius.* At test. Ryckio MSS. Flor. Agr. *Caesennius.*

reos fuisse se tantum p. e. MS. Guelf. *reos fuisse, sed tamen p. e.*

Atilla. Sic edd. Lips. 1574. Gronov. sqq., nisi quod Broterius edidit *Acilia.* Operarum vitio edd. Lips. quaedam et Gruter. Pich. *At illa;* ed. Bernegg. *Attilla.* MS. Flor. (test. Vict.) ed. Rhen. *Acilia;* MS. Agr. ed. Spir. *Acillia;* edd. Put. M. et V. *Atilia.* cf. not. ad c. 56. Ryckius e MS. Flor. prodidit *Acilla.* MS. Guelf. a sec. m. *Atilia.*

sine supplicio. Sic suadente Lipsio (ex ed. Romana?) Pich. sqq. e cod. Flor., qui fert *sin supplicio.* Alii codd. MSS. et edd. Spir. Put.

LXXII. Quibus perpetratis Nero et concione militum habita bina nummum millia viritim manipularibus divisit addiditque sine pretio frumentum, quo ante ex modo annonae utebantur. Tum quasi gesta bello expositurus vocat senatum et triumphale decus Petronio Turpiliano consulari, Cocceio Nervae praetori designato, Tigellino praefecto praetorii tribuit, Tigellinum et Nervam ita extollens ut super triumphales in foro imagines apud palatium quoque effigies eorum sisteret: consularia insignia Nymphidio, de quo, quia nunc primum oblatus est, pauca repetam: nam et ipse pars Romanarum cladium erit. Igitur matre libertina ortus, quae corpus decorum inter servos libertosque principum vulgaverat, ex C. Caesare se genitum ferebat, quoniam forte quadam habitu procerus et torvo vultu erat, sive C. Caesar scortorum quoque cupiens etiam matri eius inlusit.

M. et V. Alc. Rhenan. Ald. Lips. Grut. *in supplicio.* In ed. Beroald., si recte vidi, est *sine* c. sil. Vict.

Cap. 72. *bina nummum millia.* Xiphil. 62, 27. *τί δ' ἄν τις καταλέγοι, ὅσα ἐπὶ τῇ ἐπιβουλῇ ταύτῃ ἢ τοῖς δορυφόροις ἐδόθη, ἢ τῷ τε Νέρωνι καὶ τοῖς αὐτοῦ φίλοις ὑπέρογκα ἐψηφίσθη;*

addiditque. Ed. Spir. *additque,* et ita Kiesslingius. Eadem mox *bello gesta.* Paulo ante *militum* deest in MS. Corb.

Turpiliano. Sic edd. Lips. sqq. cf. 14, 29. Hic MSS. et vett. edd. *Turpiano.*

Cocceio. Sic edd. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *Coceio* MS. Guelf. — *Caceio* ed. Spir. — *Cocetio* edd. Put. M. et V. cf. 4, 58. 6, 26., ubi idem nomen alius viri.

apud palatium quoque. Sic codd. MSS. Flor. (test. Pichen.) Guelf. aliique, edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. et dein Pichen. sqq. Contra MS. Bud. edd. Rhen. Ald. Lips. Grut. *quoque* ponunt post *eorum.*

sisteret. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. c. silent. Vict. — *statuit* MS. Corb. ed. Spir. et haec: *statuit: vel sisteret consularia* etc.; an ita et MS. Corb. disertè Broterius non prodidit.

consularia insignia. Ante haec verba Beroaldus ex ingenio, ut videtur, addiderat: *dedit etiam.* Quae cum absint a MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. Guelf. ceterisque MSS. et ante Beroaldum edd., recte expunxere editores inde a Berneggero.

de quo, quia. Ed. Spir. *quem quia.* Eadem mox: *nam et ipsa pars romanorum claudius erit.*

igitur. cf. Ramsh. Gr. p. 566. Auctor per particulam *igitur* redit ad propositum, unde erat digressus. cf. not. ad Agr. c. 13.

forte quadam. MS. Bud. *sorte quadam.* Ed. Spir. *forte quodam,* ut MS. Agr. Mox *etiam* abest a MS. Corb.

LXXIII. Sed Nero vocato senatu oratione inter patres habita edictum apud populum et collata in libros indicia confessionesque damnatorum adiunxit. etenim crebro vulgi rumore lacerabatur, tanquam viros et insontes ob invidiam aut metum exstinxisset. Ceterum coeptam adultamque et revictam coniurationem neque tunc dubitavere, quibus verum noscendi cura erat, et fatentur qui post interitum Neronis in urbem regressi sunt. At in senatu cunctis, ut cuique plurimum maeroris, in adulationem demissis Iunium Gallionem Senecae fratris morte pavidum et pro sua incolumitate supplicem increpuit Salienus Clemens hostem et parricidam vocans, donec consensu patrum deterritus est, ne publicis malis abuti ad occasionem privati odii videretur, neu composita aut oblitterata mansuetudine principis novam ad saevitiam retraheret.

Cap. 73. *vocato senatu.* Haec verba Ernestio videbantur abundare, quia paulo ante Tacitus Neronem convocasse senatum iam dixit. Verum auctor haec addit, ut sequentia coniungantur non cum proxime antecedentibus, ubi de Nymphidio disseruit, sed cum superioribus, ubi dixerat senatum a Nerone vocatum. Recipit igitur hisce verbis filum orationis interposita narratione abruptum. Simili modo mox scribit: *at in senatu,* quia ante immiscuerat aliena quaedam. cf. not. ad 1, 62. sub vv. *qui aderat exercitus.*

oratione. MS. Guelf. *orationes,* vitiose. Idem mox *damnatarum* pro *damnatorum.*

viros et insontes. Sic MSS. et vett. edd., nisi quod MS. Guelf. fert *insontos* et in MS. Corb. omittitur *et.* Omittunt etiam edd. Brot. Oberlin. sqq. Verum *et* est pro *etiam.* Vulgi rumore lacerabatur, tanquam praeter sontes coniurationisque manifestos exstinxisset insontes quoque ob invidiam aut metum. Id profecto haud ignorabant non omnino vanam fuisse coniurationis famam. Sic 1, 4. *postquam provecta iam senectus aegro et corpore fatigabatur.* Vid. ibi not. Nihili igitur sunt emendationes Faerni: *claros viros et insontes;* Freinshemii: *claros et insontes;* Heinsii: *tanquam invisos, sed insontes* vel *invisos ut insontes;* Bip.: *veros et insontes.* Mox MS. Corb. *metumque* pro *aut metum.*

fatentur. Cogita de viris Taciti tempore etiam vivis, vel potius de scriptis eorum, unde Tacitus hoc adfert.

demissis. Ed. Spir. et MS. Guelf. *dimissis.*

Clemens. MS. Guelf. *demens.* Mox idem *occaxionem.*

composita aut oblitterata mansuetudine pr. E probabili Lipsii emendatione, quam in contextum recepere Freinshemius sqq. MSS. et vett. edd. *compositam aut oblitteratam mansuetudinem pr.*, nisi quod edd. Put. sqq. ante Pichenam ferunt *et* pro *aut*, quod is restituit e MS. Flor. Veteri scripturae explicandae operam dant Bipontini. *Oblitteratam* intelligunt ultione criminum obscuratam. Sed hac via

LXXIV. Tum dona et grates deis decernuntur propriusque honos Soli (cui est vetus aedes apud circum, in quo facinus parabatur), qui occulta coniurationis numine retexisset, utque circensium Cerealium ludicrum pluribus equorum cursibus celebraretur mensisque Aprilis Neronis cognomentum acciperet, templum Saluti exstrueretur eo loci, ex quo Scevinus ferrum prompserat. Ipse eum pugionem apud capitolium sacravit inscripsitque IOVI VINDICI. in praesens haud animadversum: post arma Iulii Vindicis ad auspicium et praesagium futurae ultionis trahebatur. Reperio in commentariis senatus Cerialem Anicium consulem designatum pro sententia dixisse, ut templum divo Neroni quam maturrime publica pecunia poneretur. quod quidem ille decernebat tanquam mortale fastigium egresso et venerationem hominum merito,

nil expeditur. Unum restat, ut *mansuetudinem* adulatione dictam accipias interpreterisque: *er möchte den befriedigten oder der Rache nicht mehr gedenkenden Gnadensinn des Fürsten zu keiner neuen Grausamkeit aufregen.* Nam adulatione non semel coram principum auribus *mansuetudo* dicitur, quae satis est immansueta atque fera ratio.

Cap. 74. *Tum dona et g. d. decernuntur.* MSS. et vett. edd. addunt *decreta* ante *dona.* Sed quum alterutrum, *decreta* aut *decernuntur*, abundare videretur, Lipsius iubebat expungi *decernuntur;* Oberlinus sqq. maluere *decreta* delere, quod sane potuit inrepere e margine, in qua fortasse scriptum fuit: *dona decreta* ad indicandum loci argumentum. *Iuretus* ad Symmach. 8, 26. vult: *decora dona.* Heinsius: *decreto dono et.* Hillerus Rac. 18.: *discreta.*

deis. Ed. Spir. *diis.* Eadem mox *minime* pro *numine.*

mensisque. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Puteol. sqq. c. silent. Vict. — *mensis quoque* MSS. Reg. Corb. edd. Spir. Brot. Bip.

Scevinus. Ed. Spir. *Scevenius.* MS. Guelf. *Sceuinius.* cf. supr. not.

ipse eum. MS. Reg. *ipse enim.*

in praesens haud. Ed. Spir. *in praesens aut.* cf. not. ad c. 1. et Hist. 3, 42.

ad auspicium et praesagium. MS. Agr. et ed. Spir. omittunt *et*, quae ratio placebat Heinsio. Sed eadem ed. Spir. pro *ad* habet *aut.* Ceterum Roth. p. 8. *auspicium* et *praesagium* inter synonyma locat.

in commentariis senatus. cf. Herrmann Iust. de fid. Tac. p. 19.

ut templum. *Ut* abest a MSS. Harl. Ies. Guelf.

et venerationem hominum merito. Sic edd. Rhen. sqq. Priores edd. post venerationem addunt *item*, et sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. At MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronovio) Bud. *et veneratio item hominum*, quam scripturam e verbis *venerationem hominum* ortam Oberlinus suspicatur. MS. Reg. *venerationem ad deum item hominum merito*, unde Broterius edidit: *venerationem deum merito*, cetera e glossemate esse ratus. Muretus, Ursinus, Schurz-

quod ad omina olim sui exitus verteretur. nam deum honor principi non ante habetur quam agere inter homines desierit.

fleischius volebant *venerationem numinum m.*; Iac. Gronovius: *v. coelitum m.*; Heinsius: *v. in vita numinum m.*

quod ad omina olim sui exitus verteretur. Sic edd. Puteol. sqq. Repeto non ut vera mihi visa, sed inopia melioris scripturae. MS. Flor. (test. Vict.) *quorundam ad omĩa dotum sui exitus verteretur.* Pichena inde adfert *omina dolum.* MS. Bud. *quorundam ad omnia dolum sui exitus verteretur.* Sic et MS. Guelf., nisi quod *dolo.* MS. Corb. altera manu: *ad omina solum sui exitus*, uti edidit Broterius. A prima manu ibi fuit *ad omnia solum.* Ed. Spir. *ꝙ ad oĩa solum sui exitus verteretur.* MS. Bodl. *omina dolo s. e.* MS. Agr. *quod ad omen futurum sui exitus vertebatur*, quae satis praeferunt speciem emendationis. Restat ut, quae viri docti ad emendandum locum coniecerint, memoremus. Rhenanus: *quod clam ad omen ac dolum sui exitus verteret*, non sine Lipsii risu. I. Fr. Gronovius: *Fuerunt tamen, quos id omen propinqui exitus adverteret.* Iac. Gronov.: *quo quondam ad omina dictum citi exitus verteretur.* Hillerus Rac. 19.: *quorundam dolo ad omina sui exitus vertebatur*, quae in locum recepere Oberlin. sqq. Bipont.: *et venerationem merito: item, hominum quorundam ad omina dolo, in signum exitus verteretur.* Rupertius: *verum tamen quorundam ad omina propinqui exitus vertebatur.* Federus in observv. critt. (1818): *quorum tamen a domino ad dolosos sui exitus verteretur.* Hist. 1, 86. extr. Tacitus scribit: *in prodigium et omen imminentium cladium vertebatur.*

C. CORNELII TACITI

AB

EXCESSU DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIBER SEXTUS DECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. 2. Inludit fortuna vanitati Neronis per Bassum, qui thesaurum in Numidia defossum iactat, quem 3. Nero frustra quaerit. 4. Lustrali certamine victoria cantus oblata Neroni et corona facundiae. 5. In eo spectaculo auditorum molestia et Vespasiani periculum. 6. Poppaeam mortuam laudat Nero apud rostra.

7—9. Pulsi Cassius et Silanus necantur. 10. 11. L. Vetus cum Sextia socru et Pollutia filia perit. 12. Accusatoris praemia. Mensium nova nomina. 13. Turbine ventorum vastata Campania. Pestilentia. Lugdunensem cladem princeps solatur. 14. 15. Sosiani fraude Chaldaeorum consultores P. Anteius et Ostorius Scapula delati mortem iussi properant. 16. Taciti super tot cladibus querelae. 17. Rufius Crispinus coactus se interficit. Mella falsis litteris circumventus similique arte Cerialis. 18. 19. C. Petronius erudito luxu notus, Tigellini invidia exosus, venas sibi incidit, flagitia principi codicillis exprobrat. 20. inde Siliae exsilium.

21. 22. Thraseam Paetum accusant Cossutianus et Eprius, 23. Baream Soranum Ostorius Sabinus. 24. Ad Neronem codicillos dat Thrasea. Is patres vocari iubet. 25. 26. Consultat Thrasea, an in curia defensionem tentet. 27. Nero senatum armis obsidet, infrequentiam patrum arguit. 28. 29. Marcellus Eprius Thraseam, Helvidium, Agrippinum, Montanum, 30. Ostorius Baream cum filia Servilia accusant. 31. Eorum miserabilis defensio in senatu. 32. Egnatius pseudostoicus perfide in Soranum agit, cui 33. Cassius Asclepiodotus egregiam fidem praestat. Thraseae, Sorano, Serviliae datur mortis arbitrium. Helvidius, Paconius Italia pulsi. Montanus patri concessus. Accusatores remunerati. 34. Thrasea libat Iovi Liberatori. Anni unius haec gesta, quia reliqua libri fatum invidit.

C. SUETONIO, L. PONTIO TELESINO COSS.

I. Inlusit dehinc Neroni fortuna per vanitatem ipsius et promissa Cesellii Bassi, qui origine Poenus, mente turbida nocturnae quietis imaginem ad spem haud dubiam retraxit, vectusque Romam principis aditum emercatus expromit repertum in agro suo specum altitudine immensa, quo magna vis auri contineretur non in formam pecuniae sed rudi et antiquo pondere. lateres quippe praegraves iacere, adstantibus parte alia columnis, quae per tantum aevi occulta augendis praesentibus bonis. Ceterum, ut coniectura demonstrat,

COMMENTARIUS.

Cap. 1. *Inlusit.* Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *illusit* MS. Guelf. edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *illuxit* edd. Put. M. et V.

Neroni fortuna. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *Neroni fortunae* ed. Put. V. — *Neronis fortuna* MS. Flor. test. Vict.

et promissa. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichena) Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V. et dein Pichen. Lips. 1607. Gruter. sqq. — *ex promisso* MSS. Reg. Guelf. (sec. m.) edd. Spir. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Pichenam. Iac. Gronovius non e sua notatione, sed fraterna cura admonitus existimabat in MS. Flor. esse *et promisso.* Iam vero Victorius Pichenae testimonium confirmat.

Cesellii. Sic edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — *Ceselli* MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Put. M. et V. — *Cceselli* MS. Guelf.

haud dubiam. Sic MS. Guelf. (a sec. m.) edd. Spir. Put. sqq. — *haud dubie* MSS. Flor. (test. Vict.) Bodl. Ies. Corb., aeque bene, ut mihi videtur: et ita fuit in MS. Guelf. a pr. manu.

retraxit. MS Corb. *detraxit.*

principis. MS. Agr. *et principis.*

lateres quippe .... columnis. Strombeckius interpretatur: *Darüber lägen mächtige Ziegelsteine, auf der andern Seite ständen Säulen.* Rectius Ricklefs.: *denn überschwere Platten lägen da, indem anderswo Barren ständen.* Verba: *parte alia* inserviunt distinctioni, dicitque Bassus partem specus esse repletam lateribus praegravibus, partem aliam columnis: illos iacere, has adstare. *Lateres* intellige aureos. Sic Graecis *πλίνθοι* dicuntur. cf. Hemsterh. ad Lucian. 4, p. 390. Ceterum ed. Spir. fert *graves* pro *praegraves;* mox *enim* pro *aevi.*

praes. bonis. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Reg. Bud. Corb. edd. Spir. Lips. Pich. Grut. sqq. — *praes. bonis latuerint* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald.

ut coniectura demonstrat. Sic MSS. et vett. edd. Recte et plane ad Taciti scribendi rationem. cf. not. ad 2, 26. sub v. *consultum est.* Sed cum indicativus displicuisset, Acidalio et Freinshemio suasoribus a Bernegg. sqq. editum est *demonstret*, quod tolerari saltem potest. Quod autem cum Ernestio edunt *demonstraret (wie Vermuthung andeuten würde)*, falsum est, nec ullus hic eius formae locus. Non tamen reticebo in MS. Guelf. *t* in fine verbi *demonstrat* esse in litura.

Dido Fenissam Tyro profugam condita Carthagine illas opes abdidisse, ne novus populus nimia pecunia lasciviret aut reges Numidarum et alias infensi cupidine auri ad bellum accenderentur.

II. Igitur Nero non auctoris, non ipsius negotii fide satis spectata, nec missis per quos nosceret, an vera adferrentur, auget ultro rumorem mittitque, qui velut partam praedam adveherent. Dantur triremes

Dido Fenissam. Sic MS. Flor. test. Vict. cum Iac. Gronovio. De forma accus. *Dido* cf. Virgil. Aen. 4, 383. — *Didonem* MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Puteol. sqq. In scripturam *Fenissam* cum MS. Flor. consentit MS. Bud. edd. Lips. sqq. — *Phoenissam* ferunt MSS. Agr. Guelf. et vett. edd.

Carthagine. MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. habent *Cartagine.*

et alias. Haec in MS. Reg. et ed. Spir. non reperiuntur: in Guelf. eadem erasit rec. manus posuitque lineolas in litura.

Cap. 2. *nec missis per quos nosceret.* Sic MS. Flor. test. Vict. (tacent Pichena et Iac. Gronovius) edd. Ernest. Broter. Oberlin. sqq. Vulgus MSStorum et edd. vett. post *missis* addunt *visoribus*, quod vocabulum ut in se non habet, quo displiceat, ita frustra adest. Quare puto Kiesslingium illud non satis recte revocasse cum Bip.

adferrentur. Sic MSS. Reg. Corb. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. et dein Gronov. Ryck. sqq. Conspirat MS. Flor., qui in fine versus habet *adferre* et ab initio sequentis versus *rentur*, quod haud dubie legendum erit *adferrentur*. Aliud tamen inde factum est. Nam MSS. Bud Agr. Guelf. Harl. les. edd. Spir. Rhen. sqq. usque ad I. Fr. Gronovium ferunt *assererentur*. Ernestius frustra coniecit *asseverarentur*. Nihil loco aptius est quam *adferrentur*, de quo verbo cf. 1, 32. 50. 2, 82. 4, 25. Germanice: *ob die Nachrichten wahr wären.*

partam praedam. Sic MSS. et vett. edd., nisi quod MS. Bud. male habet *partem* pro *partam*, et Guelf. omittit *praedam.* Ernestius tamen suadente Acidalio dedit *paratam.* Nam *partam praedam* per latinitatem aliter dici non posse adfirmat, nisi de praeda ea, quae labore constet: quod minime verum est. *Partum* est nostrum *gewonnen*, Gallorum *gagné:* opponitur iis rebus, quae adhuc versantur in nascendo ideoque sunt incertae. cf. Hist. 4, 70. *velut parto imperio fruebatur.* Quod cum ita sit, nil aptius esse potest quam scriptura: *velut partam praedam (als eine schon gewonnene Beute)*, sc. cum tamen res adhuc versaretur in incerto et sperari tantum posset. Igitur abegi inutilem emendationem.

adveherent. Sic MSS. et vett. edd., ac ne suspicio quidem ulli ante Ernestium interpretum exstitit aliquid hic esse emendandum. Sed ille quum ad hunc Annalium librum cum audaci quodam emendandi studio accessisset, pro *adveherent* dedit *aveherent.* Hoc enim adfirmat legitimum verbum et ordinarium esse in hac re. At spectanda est ratio locorum. Si quem mitto, ut aliunde mihi aliquid ferat, tum mitto ut *advehat.* cf. 1, 64. *legiones, ut advexerat, reportat.* Sueton. Oct. c. 43. *si quando quid invisitatum advectum esset.* Id. Ner. c. 45. *accidit, ut navis nuntiaretur pulverem advexisse.* Id. Claud. c. 20. *navem, qua magnus obeliscus ex Aegypto fuerat advectus.*

et delectum navigium iuvandae festinationi. nec aliud per illos dies populus credulitate prodentis diversa fama tulere, ac (forte quinquennale ludicrum secundo lustro celebratur) a narratoribus oratoribusque praecipua ma-

Noster infr. c. 14. *advehiturque propere Sosianus.* Sin vero mitto, qui a me ferat in alium locum, tum mitto, ut *avehat.* cf. Sueton. Iul. c. 66. *in quascunque terras iubebo avehi.* Id. Tit. c. 8. *delatores in asperrimas insularum avehi imperavit.* Liv. 38, 42. *Minucius et Manlius Carthaginem avecti sunt.* Ib. 45, 33. Noster infr. c. 23. Hist. 4, 18. 5, 3. Iam hoc loco Nero recte dicitur misisse, qui *adveherent:* non enim a Nerone in Africam, sed inde ad Neronem illa ferenda erant. Video et Kiesslingium revocasse veterem scripturam.

et delectum navigium. Sic MSS. et vett. edd. Boxhornio auctore Ernest. Oberlin. sqq. edidere *et delectum remigium.* Nesciunt enim, cur *triremes* et *navigium* distinguantur: navigii nomine etiam venire triremes. At hic non distinguuntur: particula *et* significat *et quidem*, ut saepissime. Dicit auctor datas triremes et quidem delectum navigium h. e. non triremes forte obvias aut quascunque, sed e triremibus qui aderant optimas, celerrimas esse delectas sc. iuvandae festinationi. cf. 1, 24. *cohortes delecto milite*; 1, 65. *cum delectis (mit den besten).* Ceterum *delectum navigium* non pendet e verbo *dantur;* sed intelligitur *est* ad *delectum.* Lipsius, uti solet, *dilectum* edidit.

festinationi. In MS. Guelf. rec. manus addidit *s*, ut sit *festinationis.* Haud inepte.

populus. Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. vocabulo auctiores scribunt *populus plus*, quod vitium natum est e compendio scripturae *popls*, quod testante Gronovio est in MS. Flor., vel *plus*, uti alii habent codices test. Broterio. *Populus* sine *plus* exstat in MS. Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. Victorius scripturam Beroaldinam intactam reliquit.

credulitate prodentis diversa fama tulere. Formam *tulere* habent MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Reg. Corb. edd. Gronoviorum, Ernest. Brot. sqq. — *tulerat* pro *tulere ac* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. In Guelf. rec. manus post *tulerat* addidit *ac.* — *tulerat: ac* edd. Spir. Beroald. Alc. Rhen. sqq. usque ad I. Fr. Gronovium, et post eum Ryck. Iam quae verbum *tulere* praecedunt, in omnibus MSS. et vett. edd. sunt, uti nos edimus. Ex Boxhornii coniectura Gronovii, Ernest. Brot. sqq. maluere *prudentes* pro *prodentis.* Non fero. Nam *populum* et *prudentes* sibi invicem opponi non usitatum est: immo prudentibus opponitur vulgus. cf. 1, 47. *primo prudentes, dein vulgum . . . fefellit. Populus* ad totam spectat civitatem. Sic Hist. 1, 12 *Non sane crebrior tota civitate sermo per illos menses fuerat.* Accedit, quod nulla erat mutandi necessitas: nam egregiam sententiam fundit vetus scriptura. *Populus . . . tulere* dictum est ut 12, 40. *iuventus ... invadunt.* De verbo *ferre* cf. not. ad 6, 49. et 15, 46. *Prodentis* est a *prodere* h. e. narrare. *Credulitate prodentis diversa fama* h. e. ita ut secundum credulitatem prodentis exsisteret diversa fama. Nimirum eundo crescit fama et in diversas abit fabulas credulitate prodentis. Hoc sibi vult Tacitus.

ac (forte q. l. s. l. celebratur) a narratoribus oratoribusque etc. Vulgo haec eduntur ita: *Ac forte q. l. s. l. celebrabatur: a narra-*

teria in laudem principis adsumpta est. non enim solitas tantum fruges, nec confusum metallis aurum gigni, sed nova ubertate provenire terram et obvias opes de-

toribus oratoribusque etc. Sed ex tali distinctione male se habent huius loci partes. Nam quae sequuntur post *celebrabatur*, omni vinculo carent, quo cum praecedentibus cohaereant. Debebat addi: *qua occasione* vel simile quid. Parenthesi posita cuncta egregie procedunt. Solet autem Noster in hunc modum exhibere, quae *παρέργως* addit, et sunt exempla passim obvia. cf. 13, 59. 14, 10. 59. 15, 12. 36. Auctor dicebat: Non aliud per illos dies populum fama tulisse, ac praecipuam materiam in laudem principis a narratoribus oratoribusque inde esse adsumptam. Iam, uti debebat, qua potissimum occasione id factum sit, addit verbis interpositis. Restat ut dicamus de varia vett. librorum scriptura. *Celebratur* restitui e MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. pro *celebrabatur*, quod exstat in edd. Put. sqq. MS. Guelf. *celebrebatur*. De aliis MSS. silentium est. — Verba: *a narratoribus oratoribusque* in hunc modum a Bipont. et Oberlino restituta sunt e MS. Flor. qui fert: *anaratoribus oratoribusque* (test. Vict. c. Pich.). Quaeritur, qui sint *narratores* intelligendi. Bipontini intelligunt poetas, quibus narrationes tribuuntur apud Quintil. 2, 4. 1, 9. Verum propterea poetae in universum non poterant narratores dici. Lucem adfero tenebris e Sueton. de cl. Rhet. 1., ubi de ratione rhetorum, qui Romae florebant, refert haec: *Sed ratio docendi nec una omnibus, nec singulis eadem semper fuit, quando vario modo quisque discipulos exercuerunt. nam et dicta praeclare per omnes figuras, per casus et apologos aliter atque aliter exponere et n a r r a t i o n e s tum breviter et presse, tum latius et uberius explicare consuerunt.* etc. Igitur *narrare* est declamatorum. Hinc idem verbum dicitur de prologis ludorum. cf. Terent. Andr. prol. 5 sqq. *Nam in prologis scribundis operam abutitur, non qui argumentum narret, sed qui malevoli veteris poetae maledictis respondeat.* Denique illud verbum proprium est de fabularum scriptoribus. cf. Phaedr. 1, 6, 2. 5, 2, 14. et alibi. *Narratores* igitur intellige quodvis declamantium et in narratione versantium genus, rhetorum, prologorum, poetarum, quos e communi genere communi narratorum vocabulo auctor designat. Pretium est noscere monstra scripturae in aliis libris inventa: *ab aratoribus oratoribusque* MSS. Vatic. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Corb. Bud. edd. Spir. Beroald. Alc. — *ab oratoribus oratoribusque* edd. Put. M. et V. — *ab auctoribus oratoribusque* MS. Agr. ex emendandi studio. — *oratoribusque*, deleto priore vocabulo, edd. Rhen. sqq. usque ad Iac. Gronovium, qui ex suo ingenio edidit: *ab actoribus oratoribusque.* Broterius e coniectura Lipsii maluit: *a vatibus oratoribusque.* Lipsius tamen voluerat: *ac rhetoribus oratoribusque* vel *ac vatibus oratoribusque.* Pichena: *adulatoribus oratoribusque.*

adsumpta. Sic MS. Flor. test. Vict. — *assumpta* edd. vett. cum cod. Guelf.

solitas tantum. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Male Rhenanus sqq. *tantum solitas*, lapsu operarum, ut mihi videtur. Idem artifex mox dedit *metallis confusum aurum* pro *confusum metallis aurum*, uti habent MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc.

provenire terram. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichena) Reg,

ferre deos: quaeque alia summa facundia nec minore adulatione servilia fingebant securi de facilitate credentis.

III. Gliscebat interim luxuria spe inani consumebanturque veteres opes, quasi oblatis quas multos per annos prodigeret. quin et inde iam largiebatur: et divitiarum exspectatio inter causas paupertatis publicae erat. Nam Bassus effosso agro suo latisque circum arvis, dum hunc vel illum locum promissi specus adseverat sequunturque non modo milites, sed populus agrestium efficiendo operi adsumptus, tandem posita vecordia non falsa antea somnia sua seque tunc primum elusum admirans pudorem et metum morte voluntaria effu-

Harl. Bodl. Corb. Guelf. Bud. edd. Spir. et nuper Ernest. Brot. sqq. — *provenire terrae* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *pr. terra* edd. Rhen. Ald. — *pr. terras* edd. Lips. Pich. Gruter. sqq. — *sed novam ubertatem provenire terra* MS. Agr. Quae scribendi varietas orta est ex ignoratione usus, qui hic obtinet in verbo *provenire* h. e. *προχωρεῖν*, gallice *prospérer*. cf. Plaut. Trucul. 2, 4, 33. et 2, 6, 35., quibus exemplis contra Boxbornium bene usus est I. Fr. Gronovius. Roth. in Quaest. Gr. (*Neues Arch. f. Phil. u. Päd.* 1830. p. 39.) *provenire* per cognationem pro *abundare*, *scatere* dictum putat. Mox ed. Spir. *alii* pro *alia; minores* pro *minore.* Hoc etiam in MS. Flor. esse testatur Vict.

Cap. 3. *oblatis.* Hoc in codice Guelf. non legitur.

multos per annos. MS. Corb. *per multos annos.*

arvis. MS. Agr. *agris*: in margine *arvis.*

hunc vel illum locum promissi specus. Sic MS. Flor. test. Ryckio ex collat. Iac. Gronovii; testantur et Victorius et Pichena per silentium. Nam sic edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Ceteri libri vett. nugantur: *hunc vel illum locum promi specus* MS. Bud. edd. Put. M. et V. — *hoc vel illo loco promi specus* MSS. Bodl. Guelf. — *haec vel illo loco promi specus* MSS. Harl. Ies. In Harl. sec. manus correxit *hoc.* — *hunc vel illum locum* (omissis reliquis verbis) MSS. Reg. Agr. ed. Spir.

adsumptus. Sic MS. Flor. test. Vict. — *assumptus* edd. vett. cum cod. Guelf.

non falsa antea. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) edd. Pich. sqq. usque ad Ernestium, qui e MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. Rhenan. Lips. reposuit *ante*, ut multitudo *ὁμοτελεύτων* vitaretur. Sed ea ratio non videtur sufficere, ut quid moliamur contra codicem Flor. et accurate scribendi genus. Et in Guelf. non expressis litteris *ante* legitur, sed *añ* per compendium. Pro *falsa* MS. Harl. habet *falso.*

tunc primum. MS. Reg. ed. Spir. *tunc primo.* Pro *tunc* Ernestius malebat *nunc.* Sed vid. not. ad 2, 26. sub vv. *nullo tum alio hoste.*

admirans. MS. Flor. test. Vict. *ammirans.*

git. quidam vinctum ac mox dimissum tradidere, ademptis bonis in locum regiae gazae.

IV. Interea senatus propinquo iam lustrali certamine, ut dedecus averteret, offert imperatori victoriam cantus adiicitque facundiae coronam, qua ludicra deformitas velaretur. Sed Nero nihil ambitu nec potestate senatus opus esse dictitans, se aequum adversus aemulos et religione iudicum meritam laudem adsecuturum, primo carmen in scena recitat: mox flagitante vulgo ut omnia studia sua publicaret (haec enim verba dixere) ingreditur theatrum cunctis citharae legibus obtemperans, ne fessus resideret, ne sudorem nisi ea, quam indutui gerebat, veste detergeret, ut nulla oris aut narium excrementa viserentur. postremo flexus genu et coetum illum manu veneratus sententias iudicum opperiebatur ficto pavore. Et plebs quidem urbis histrionum quoque gestus iuvare solita personabat certis

vinctum. Ed. Spir. *incertum.*

Cap. 4. *lustrali.* MS. Guelf. *lustrari.*

adiicitque. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichen.) Bud. Guelf. edd. Spir. Pichen. sqq. Scilicet MSS. Flor. (test. Vict.) et Bud. (t. Oberl.) habent *adicitque.* Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. Gruter. omittunt *que.* De huius cap. rebus cf. Xiphil. 61, 20.

adversus aemulos. MSS. Harl. Bodl. Guelf. Corb. ed. Spir. habent *adversum.* MS. Reg. *adversum aequos aemulos.* Lipsius coniiciebat *seque unum adversum aemulos.* Acidalius volebat *seque aequum adv. aemulos religione* etc. Sed haec sunt ludicra criticorum, nec quidquam hic mutandum. *Aequum* intellige de gradu et loco, non de animo. Sic *aequi impatiens* 6, 25. *Adversus* exprimit quamcunque rationem, quae est inter duo sibi invicem opposita.

adsecuturum. Sic MS. Flor. test. Vict. — *assecuturum* edd. vett. — *assequuturum* MS. Guelf.

flagitante vulgo. Ed. Spir. *vulgo flagitante.*

cunctis citharae legibus obtemperans cf. Dio 61, 20. Sueton. Ner. c. 24.

viserentur Sic MS. Ies. (a sec. manu) edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. De MS. Agr. Ryckius ita tacet, ut idem inesse videatur. Sed MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Bud. Guelf. aliique, ed. Spir. *viserent*, quod aeque bonum est, intellecto *spectatores.* Potuit tamen e *viserent˜* facile fieri *viserent.*

et coetum. Ed. Spir. cum cod. Guelf. *et cetum.* Edd. Pich. Bernegg. Gronov. Ryck. omittunt *et* vitio operarum, ut videtur. Restituit Iac. Gronovius. Nam vett. libri eam copulam habent.

et plebs quidem urbis. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. Bud. Guelf. edd. Spir. Rhenan. sqq. — *verbis* pro *urbis* habent MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Riv. Alc. — Mox pro *quoque* ed. Spir. fert *quae.*

modis plausuque composito. crederes laetari: ac fortasse laetabantur per incuriam publici flagitii.

V. Sed qui remotis e municipiis severamque adhuc et antiqui moris retinentes Italiam, quique per longinquas provincias, lasciviae inexperti, officio legationum aut privata utilitate advenerant, neque aspectum illum tolerare neque labore inhonesto sufficere, cum manibus nesciis fatiscerent, turbarent gnaros ac saepe a militibus verberarentur, qui per cuneos stabant, ne quod temporis momentum impari clamore aut silentio segni praeter-

plausuque composito. MS. Agr. *apposito*, quod ortum est e compendio *oposito.*

per incuriam. E verissima Acidalii emendatione, quam recepere Ernest. Bip. Oberl. sqq. MSS. et edd. ante Ernest. *per iniuriam*, quod retinuit Broterius atque cum Huëtio explicuit: „etsi sibi iniuria per publicum hoc flagitium fieret et magnum sibi dedecus conscisceretur." Sed haec non insunt.

Cap. 5. *severamque . . . Italiam.* Sic MSS. et vett. edd. excepto uno cod. Agr., in quo leguntur haec: *severaque et adhuc antiqui moris retinente Italia.* In contextum haec recepere Freinshemius, Gronovii, Ryckius, nuper Lünemannus et Rupertius. cf. 2, 38. 5, 11. Sed quod ibi legitur *nobilitatis retinens* et *modestiae retinens*, inde non sequitur eandem hic esse structuram. Bona etiam est formula *retinere* (*noch haben*) *severam adhuc et antiqui moris Italiam*, quam Ernestius bene revocavit. cf. 1, 45. *iras retinebant*; 1, 12. *ferociam retinere.* Pro *adhuc* MS. Guelf. fert *adhaec*; idem *est* pro *et* ante *municipiis*.

per longinquas provincias. MS. Flor. test. Pich. *per longuas*, unde aliorum codicum exaratores et editores vett. fecere *per longas*, quod ab Ernestio reductum hodie editur. Rectius tamen Pichena et sqq. edunt *per longinquas*, quod sibi vult compendium MS. Flor. Nam licet *longus* quoque pro *longinquus* dicatur (Silius 6, 628), apud Tacitum *longum* ubique est de tempore diuturnum (1, 1. 8. 46. 53. 69. sqq.), de spatio longe porrectum (1, 20. 50, 63.); *longinquum* de distantia longe remotum. cf. Hist. 1, 76. *longinquae provinciae.*

lasciviae inexperti. Sic edd. Put. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *lasciviam experti* MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. ed. Spir. Coaluit syllaba *in* cum praecedenti vocabulo.

neque aspectum. MS. Guelf. *nec aspectum.*

labore inhonesto. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. — *labori inhonesto* edd. Rhen. sqq. Sed antiqua scriptura vera est. *sufficere* absolute dicitur. cf. 1, 13. *quinam adipisci principem locum s u f f e c t u r i abnuerent.* Qua in re illi non suffecerint (h. e. non satis facere potuerint), additur in ablativo, *labore inhonesto* (*in Ansehung der schandbaren Arbeit*). *Non sufficere labori* spectat ad vires (*unterliegen*).

turbarent gnaros. MS. Agr. *turbarentque.* Ed. Put. V. *ignaros.*

saepe. MS. Guelf. *spe.*

iret. Constitit plerosque equitum, dum per angustias aditus et ingruentem multitudinem enituntur, obtritos et alios, dum diem noctemque sedilibus continuant, morbo exitiabili correptos. quippe gravior inerat metus, si spectaculo defuissent, multis palam et pluribus occultis ut nomina ac vultus, alacritatem tristitiamque coeuntium scrutarentur. unde tenuioribus statim inrogata supplicia, adversus inlustres dissimulatum ad praesens et mox redditum odium. Ferebantque Vespasianum, tanquam somno conniveret, a Phoebo liberto increpitum aegreque meliorum precibus obtectum, mox imminentem perniciem maiore fato effugisse.

VI. Post finem ludicri Poppaea mortem obiit fortuita mariti iracundia, a quo gravida ictu calcis adflicta est. neque enim venenum crediderim, quamvis quidam scriptores tradant odio magis quam ex fide: quippe liberorum cupiens et amori uxoris obnoxius erat. Corpus non igni abolitum ut Romanus mos, sed regum externorum consuetudine differtum odoribus conditur tumuloque Iuliorum infertur. ductae tamen publicae exsequiae, laudavitque ipse apud rostra formam eius et quod divinae infantis parens fuisset aliaque fortunae munera pro virtutibus.

constitit. MS. Flor. (test. Vict.) *consistit.* Paulo ante ed. Put. M. *sildutio* pro *silentio.*

plerosque equitum. MSS. Reg. Agr. ed. Spir. *plerosque militum.*

sedilibus. Ed. Spir. *sedibus.* Eadem mox *erat* pro *inerat.*

morbo exit. correptos. Xiphl. 63, 15. dicit quosdam *προςποιεῖσθαι ἐκθνήσκειν καὶ νεκρῶν δικὴν ἐκ τῶν θεάτρων ἐκφέρεσθαι.*

inrogata. Sic MS. Flor. (test. Vict.). — *irrogata* edd. vett. cum cod. Guelf.

adversus. Ed. Spir. et MS. Guelf. *adversum.*

redditum odium. MS. Bud. a pr. m. *editum*; a sec. m. *redditum.* Illud volebat Groslotius. Sed *reddi* dicuntur, quae ultionis studio fiunt (*vergelten*). cf. 14, 33. *tanquam reddituri supplicium.*

Vespasianum. Edd. Spir. Put. M. et V. cum MS. Guelf. *Vespesianum*, quae scriptura in vett libris frequens est. cf. not. ad Hist. 1, 1. Mox ed. Spir. *facto* pro *fato.*

Cap. 6. *ictu calcis.* Ed. Spir. *calcis ictu.* Xiphil. 62, 27. extr. *καὶ ἡ Σαβίνη ὑπὸ τοῦ Νέρωνος τότε ἀπέθανε. κυούσῃ γὰρ αὐτῇ λὰξ, εἴτε ἑκὼν εἴτε ἄκων, ἐνέθορεν.*

amori uxoris. Guelf. *amori uxori.*

Romanus mos. MS. Agr. *Romanis mos.*

formam eius. Ed. Spir. *famam eius*, vulgari confusione. cf. not. ad 15, 59. Paulo ante *publicae* est in MS. Guelf. edd. Spir. Lips. poste-

VII. Mortem Poppaeae ut palam tristem ita recordantibus laetam ob impudicitiam eius saevitiamque nova insuper invidia Nero complevit prohibendo C. Cassium officio exsequiarum. quod primum indicium mali neque in longum dilatum est, sed Silanus additur, nullo crimine, nisi quod Cassius opibus vetustis et gravitate morum, Silanus claritudine generis et modesta iuventa praecellebant. Igitur missa ad senatum oratione removendos a re publica utrosque disseruit, obiectavitque Cassio, quod inter imagines maiorum etiam C. Cassii effigiem coluisset ita inscriptam: DUCI PARTIUM. quippe semina belli civilis et defectionem a domo Caesarum quaesitam. ac ne memoria tantum infensi nominis ad discordias uteretur, adsumpsisse L. Silanum iuvenem genere nobilem, animo praeruptum, quem novis rebus ostentaret.

rioribus, Grut. Pich. sqq. — *publice* in edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Lips. 1574.

Cap. 7. *recordantibus.* Muretus coniecit *recondentibus;* Ernestius *ita laetam, recordantibus impudicitiam* etc. Frustra, ut bene videre Hillerus Rac. 18. et Oberl. ad h. l. *Palam tristem* et *recordantibus* (*durch die Erinnerung*) *laetam* sunt opposita

Silanus. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq. — *Syllanus* MS. Guelf. edd. vett. Eadem mox iterum est librorum varietas in eo nomine.

praecellebant. Ed. Spir. *praecellebat*, quod aeque bonum et fortasse rectius est. cf. not. ad 13, 12.

obiectavitque. MSS. Corb. Agr. ed. Spir. *obiectatumque.* Vulgatum accuratius rem ad Neronem refert, quum in *obiectatum* etiam senatores cogitari possint.

Duci Partium. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. sqq. cum silentio Victorii, Pichenae et Iac. Gronovii. At MSS. Bud. et Corb. *dux partium*, quod suadentibus Rhenano, Lipsio, Ernestio adripuit Oberlinus ut unice verum, nec defuit obsequium recentiorum editorum. Nam Ernestius ad h. locum: „non potuit esse in imagine scriptum *duci partium*, quasi ea imago ipsi consecrata esset et honori eius posita." Immo potuit. Nam solebant sic veteres in eiusmodi inscriptionibus usurpare dativum. cf. Plutarch. in Cicer. p. 876. *καὶ τὸ μὲν ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς, ὃ πολὺν χρόνον ἔχων ἐπὶ τῆς οἰκίας ἱδρυμένον, ἐτίμα διαφερόντως, εἰς Καπιτώλιον κομίσας ἀνέθηκεν ἐπιγράψας· Ἀθηνᾷ Ῥώμης φύλακι.* Sic Suet. Vit. c. 10. *lapidem: Memoriae Othonis, inscriptum.* Noster supr. 15, 74. *inscripsitque Iovi Vindici.*

ac ne memoria. Sic suadentibus Faerno, Ursino, Lipsio et I. Fr. Gronovio edd. Ernest. sqq. — *ac memoria* MSS. Flor. (test. Vict. c. Ryckio) Agr. Bud. Reg. Corb. ed. Spir. — *ac ut memoria* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Scilicet *ne* periit in *memoria;* hinc emendationis causa positum *ut*. Mox ed. Spir. *videretur* pro *uteretur.*

animo praeruptum. Sic MSS. Flor. Vatic. Bud. Harl. Bodl. Ies. Corb. Guelf. (a pr. m.) edd. Lips.

VIII. Ipsum dehinc Silanum increpuit iisdem quibus patruum eius Torquatum, tanquam disponeret iam imperii curas praeficeretque rationibus et libellis et epistolis libertos: inania simul et falsa. nam Silanus intentior metu et exitio patrui ad praecavendum exterritus erat. Inducit posthac vocabulo indicum qui in Lepidam Cassii uxorem, Silani amitam, incestum cum fratris filio et diros sacrorum ritus confingerent. Trahebantur ut conscii Vulcatius Tullinus ac Marcellus Cornelius senatores et Calpurnius Fabatus eques Romanus: qui appellato principe instantem damnationem frustrati mox Neronem circa summa scelera distentum quasi minores evasere.

IX. Tum senatus consulto Cassio et Silano exsilia decernuntur: de Lepida Caesar statueret. Deportatusque in insulam Sardiniam Cassius et senectus eius exspectabatur. Silanus tanquam Naxum deveheretur,

sqq. — In MS. Flor. (test. Vict.) scriptum est *pruptum*, unde alii fecere *promptum*, quod exstat in MSS. Reg. Guelf. (a sec. m.) Harl. (in margine) edd. Spir. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. cf. not. ad 5, 3.

Cap. 8. *patruum*. Ed. Spir. *patratum*. Eadem mox cum MS. Agr. *metu intentior* pro *intentior metu*.

epistolis. MS. Flor. (test. Vict.) *epistulis*. cf. not. ad 1, 30.

inania simul et falsa. MS. Bud. et inde edd. Rhen. Ald. Lips. Grut. *et inania simul et falsa*. Priorem copulam expunxit Pichena, qui ad h. locum scribit: „vulgo *et inania*. Sed abstulimus redundantem, *et*, Florentini, ac Veneti." Voluit haud dubie scribere: „fide Fl. ac V." Nam illud *et* abest a MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. — Oberlinus Pichenae notam ita accepit, quasi in Flor. et Ven. esset *et inania*.

exterritus erat. De hoc verbo cf. 1, 38. 42. 45. 56. 2, 55. et not. ad 2, 62. A MS. Reg. abest *erat*.

confingerent. MS. Guelf. *confingeret*.

Vulcatius. MS. Flor. (test. Vict.) *Volcacius*. MS. Guelf. *Volocatius* (in marg. *Vulcatius*) et *Rulinus* pro *Tullinus*.

Calpurnius, Sic edd. Lips. sqq. *Calphurnius* MS. Guelf. edd. vest., hic cum sil. Vict. Mox MS. Guelf. *dominationem* pro *damnationem*.

— Cap. 9. *Tum senatus consulto*. Restituo *tum* ex ed. Spir. Vulgo *tunc*. Deinde *senatus consulto* est in edd. Ber. Alc. Rhen. Lips. sqq. usque ad Ryckium, cui melius visum *consulto senatus*, uti legitur in edd. Spir. Put. M. et V. Sic et Ernest. Brot. sqq. Sed cf. 6, 15. et 17. 3, 51. 14, 64. Hist. 2, 5. At MS. Flor. test. Ryck. et lac. Gronovio habet *tum consulto senatu*. Immo testatur Victorius ibi esse *S. C.*, uti codex ille solet scribere. Exstat tamen *consulto senatus* in MSS. Agr. Guelf. et fortasse aliis; MS. Bud. fert *consulto senatu* test. Rhen. et Oberlino. Bekkerus edidit *consulto senatu*. Non adversabor, si ita est in MS. Flor.

et senectus eius. Sic edd. Ernest. Brot. sqq. e felicissima coniectura Francisci Medicis. — MSS.

Ostiam amotus: post municipio Apuliae, cui nomen Barium est, clauditur. Illic indignissimum casum sapienter tolerans a centurione ad caedem misso corripitur: suadentique venas abrumpere animum quidem morti destinatum ait, sed non permittere percussori gloriam ministerii. At centurio quamvis inermem, praevalidum tamen et irae quam timori propiorem cernens premi a militibus iubet. nec omisit Silanus obniti et intendere ictus, quantum manibus nudis valebat, donec a centurione vulneribus adversis tanquam in pugna caderet.

X. Haud minus prompte L. Vetus socrusque eius Sextia et Pollutia filia necem subiere, invisi principi, tanquam vivendo exprobrarent interfectum esse Rubellium Plautum generum Lucii Veteris. Sed initium detegendae saevitiae praebuit interversis patroni rebus ad accusandum transgrediens Fortunatus libertus adscito Claudio Demiano, quem ob flagitia vinctum a Vetere Asiae proconsule exsolvit Nero in praemium accusationis. Quod ubi cognitum reo seque et libertum pari

et ed. Spir. *et senatus eius.* — MS. Agr. *et penates eius.* — Edd. Put. M. et V. Ber. Rhen. sqq. *et senatus ius.* Verum similis est sententia 13, 33. *traxit senecta, donec diem obiret.*

Ostiam amotus. MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. ferunt *Hostia amotus* h. e. e portu Ostiensi nave avectus. — *Hostiam* sive *Ostiam* edd. Lips. Pich. sqq.

post municipio. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *postea municipio.* — Iidem libri mox *est* ponunt post *Barium*, uti habetur in edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. atque sic repono. Edd. Rhen. sqq. *cui nomen est Barium.*

ministerii. MS. Guelf. *ministerii.*

quamvis inermem. cf. not. ad 1, 6. Mox ed. Spir. *nudis manibus.*

premi. Sic *pressus* 14, 5. et Hist. 4, 2. *pressere.*

Cap. 10. *haud minus prompte.* Ed. Spir. *haud his minus prompte* h. e. *haud iis m. p.* Eadem mox *sotiusque* pro *socrusque*; *illusit* pro *invisi.*

L. Vetus. MS. Guelf. *L. Vectus.* Sed mox *L. Veteris.*

vivendo. MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. et ed. Spir. *vincendo.*

interfectum esse. Ernestius putat veterem scripturam fuisse *interfectum a se.*

Rubellium. Ed. Spir. *Rubellum.* cf. 14, 59.

ad accusandum. Sic MSS. edd. vett. et recentiores inde a Ryckio. *ad accusationem* edd. Pich. Bernegg. Gronov., incertum consulto an fortuito.

exsolvit. Sic MS. Flor. (test. Vict.). — *exolvit* edd. vett. cum Guelf. Mox ed. Spir. *super in-*

sorte componi, Formianos in agros digreditur. illic eum milites occulta custodia circumdant. Aderat filia super ingruens periculum longo dolore atrox, ex quo percussores Plauti mariti sui viderat, cruentamque cervicem eius amplexa servabat sanguinem et vestes respersas, vidua implexa luctu continuo, nec ullis alimentis, nisi quae mortem arcerent. Tum hortante patre Neapolim pergit. et quia aditu Neronis prohibebatur, egressus obsidens, audiret insontem neve consulatus sui quondam collegam dederet liberto, modo muliebri eiulatu, aliquando sexum egressa voce infensa clamitabat, donec princeps immobilem se precibus et invidiae iuxta ostendit.

XI. Ergo nuntiat patri abiicere spem et uti necessitate. Simul adfertur parari cognitionem senatus et trucem sententiam. nec defuere qui monerent magna ex parte heredem Caesarem nuncupare atque ita nepotibus de reliquo consulere. Quod aspernatus, ne vitam

gruens longo dolore periculum atrox.

sanguinem et vestes respersas. MS. Agr. more suo emendat: *sanguine vestes respersas.* Est vero hic ἓν διὰ δυοῖν.

implexa. Acidalius suspicabatur *implexa* natum e repetitione vocis *amplexa*, ideoque delendum censebat. Hinc certatim coniecere, Heinsius: *exesa*; Trillerus (Observv. cr. 3, 2.): *impleta*; Bip.: *inflexa.* Sed vana haec et vix memoratu digna sunt.

nec ullis alimentis. MS. Agr. more suo emendationis causa addit *usa*, quod edidit Ryckius nemine imitatore. Mox MSS. Reg. Corb. Guelf. (in marg. a sec. m.) ed. Spir. ante *egressus* male addunt *ne*, quae particula originem dedit scripturae codicis Agr. *ne occideret insontem.* Pro *aditu* MS. Guelf. fert *habitu.*

sexum egressa. Ed. Spir. *sexu egressa.* Vulgatum verum et Tacito conveniens. cf. Hist. 4, 51. An. 3, 24. et 30.

precibus et invidiae. Sic MSS. et vett. edd., nisi quod MS. Bud. omittit copulam *et*, quod acceptum fuit Oberlino. Veterem scripturam restituere Bekker. Lünemann. Kiessling. I. Fr. Gronovius malebat *invidia*, quod recepere Bipontini. Oberlinus *iuxta* adverbialiter sumptum rectius cum dandi casu strui censet. cf. Liv. 24, 19. Sed nullae hic sunt regendi partes in particula *iuxta*: dativi pendent e verbo *ostendit*, et inter se coniunguntur per *et*, ut 1, 48. *innocentes ac noxios iuxta cadere.* Liv. 23, 28. *per dubios infestosque populos iuxta intentus.* Id. 9, 13. *iuxta obsidentes obsessosque inopia vexavit.*

Cap. 11. *ergo nuntiat.* Ed. Spir. *aegro nuntiat.* Eadem mox *abicere* pro *abiicere.*

simul adfertur. Teste Rhenano *simul* omittitur in MS. Bud.

defuere. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. — *defuerunt* edd. Ber. Alc. — *defuerent* edd. Put. M. et V.

proxime libertatem actam novissimo servitio foedaret, largitur in servos quantum aderat pecuniae, et si qua asportari possent, sibi quemque deducere, tris modo lectulos ad suprema retineri iubet. Tum eodem in cubiculo, eódem ferro abscindunt venas properique et singulis vestibus ad verecundiam velati balineis inferuntur, pater filiam, avia neptem, illa utrosque intuens et certatim precantes labenti animae celerem exitum, ut relinqueret suos superstites et morituros. Servavitque ordinem fortuna, ac seniores prius, tum cui prima aetas, exstinguuntur. Accusati post sepulturam decretumque, ut more maiorum punirentur. et Nero intercessit

proxime libertatem. Ed. Spir. *proxime libertate.* Eadem ante *foedaret* repetit *actam.*

asportari. Ed. Spir. *exportari.* Sed cf. Suet. Cal. c. 59. *cadaver eius clam in hortos Lamianos asportatum.*

sibi quemque. MS. Reg. ed. Spir. *sibi quaeque*, cuius varietatis causa exstitit compendium *quēque*, quod abiit in *quęque.*

properique et singulis etc. Ed. Spir. *propereque in singulis* etc. et ita secunda manus correxit in MS. Guelf. Idem Guelf. mox *aviā neptē*, vitiose.

relinqueret. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronovio) Bud. Corb. ed. Iac. Gronov. — *relinquerent* Guelf. aliique MSS. et edd. vett. recentioresque ante Iac. Gronovium et post illum. Sed bene *relinqueret* sc. anima. Nam omnes quidem precabantur labenti animae celerem exitum sc. quisque suae, non tamen eo consilio, ut omnes relinquerent suos superstites, sed ut quisque suos relinqueret. Nam si omnes reliquissent suos superstites, nemo superstes fuisset.

ac seniores prius, tum cui prima aetas, exstinguuntur. Sic edd. Oberlin. sqq. ex emendatione Acidalii. Nam MS. Flor. test. Ryckio fert *ac seniore prius.* Dubito an verum Ryckius prodiderit. Nam Pichena, Victorius et Iac. Gronovius tacent intactumque relinquunt *ac senior prius*, quod praeferunt edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. et sic MS. Agr. Contra MS. Bud. habet *seniorem.* Quae varietas et ipsa originem traxit e compendio *seniō*, quod exstat in Guelf. — Mox *exstinguuntur* exstat in MSS. Harl. Bodl. Corb. edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhenan sqq. *exstinguitur* MSS. Bud. Guelf. Agr. Ies. ed. Spir. et haec quidem punctum ponit post *prius.* Edimus vulgatam hodie scripturam, quanquam satis dubiae fidei. *Seniores* intelliguntur Vetus et Sextia. Sed tum in dubio manet, utrum Vetus an Sextia prior decesserit. Tacitus tamen expressis verbis scribit servatum ordinem. Accuratius igitur debebat illum ordinem exponere. *Primam aetatem* explicant iuventutem sc. Pollutiae. Sed *prima aetas* non est iuventus, immo infantia, nec puto illo sensu primam aetatem tribui posse Pollutiae. Quod cum ita sit, melius fortasse recipiemus alteram Acidalii coniecturam, qua locum constuit sic: *ac senior prius, tum cui proximā aetas, exstinguuntur* h. e. prima Sextia, dein Vetus, et postremo Pollutia. Nam quia *proxima* in vett. libris per compendium scribitur, facile inde potuit oriri *prima.*

mortem sine arbitro permittens. ea caedibus peractis ludibria adiiciebantur.

XII. P. Gallus eques Romanus, quod Fenio Rufo intimus et Veteri non alienus fuerat, aqua atque igni prohibitus est. liberto et accusatori praemium operae locus in theatro inter viatores tribunicios datur. Et mensis, qui Aprilem eundemque Neroneum sequebatur, Maius Claudii, Iunius Germanici vocabulis mutantur, testificante Cornelio Orfito, qui id censuerat, ideo Iunium mensem transmissum, quia duo iam Torquati ob scelera interfecti infaustum nomen Iunium fecissent.

XIII. Tot facinoribus foedum annum etiam dii tempestatibus et morbis insignivere. vastata Campania turbine ventorum, qui villas, arbusta, fruges passim disiecit pertulitque violentiam ad vicina urbi: in qua

sine arbitro. Sic MSS. Flor. (test. Pichena) Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Pichen. Bernegg. Ryck. Ernest. sqq. cf. 1, 26. *an praemia sub dominis, poenas sine arbitro esse?* Victorius tamen intactum reliquit *sine arbitrio*, quod praeferunt MSS. Agr. (de quo falsa tradiderunt Oberlinus cum Broterio) Guelf. Bud. edd. Spir. Ber. Rhen. Lips. (qui tamen ante Pichenam coniecerat *sine arbitro*) et utraque Gronoviorum. Torrentius volebat *suo arbitrio;* Faber *eius arbitrio* vel *libero arbitrio;* I. Fr. Gronovius *sine arbitrio remittens.* Verum viderunt Lipsius et Pichena.

Cap. 12. *Neroneum.* Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Lips. sqq. *Neronem* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. De re cf. 15, 74.

Orfito. Ed. Spir. *Orphito.* cf. 12, 41.

testificante. Sc. in commentariis, unde haec Tacitus hausit.

Iunium mensem transmissum. h. e. praeteritum, neglectum, oblivioni traditum. cf. 4, 21. *quod ut atrocius vero tramissum;* 4, 55. *Hypaepeni ... tramissi ut parum validi;* 15, 31. *inania transmittuntur.* Hist. 4, 9. *oblivio transmisit.*

duo iam Torquati. cf. 13, 35. 16, 8.

nomen Iunium. Sic e coniectura Lipsii edd Pich. sqq. — *nomen iunctum* MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Bud. ed. Spir., de qua non recte tradidit Ernestius. Victorius intactum reliquit *n. Iunii tum*, quod est in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. Lips. Grut. In margine Lipsius posuit *Iunium.* Quaeritur an defendi possit scriptura *iunctum*, h. e. illi mensi inditum, sc. Iunium, quod satis e contextu patet.

Cap. 13. *foedum annum.* MS. Flor. (test. Vict.) *foedum in annum.*

insignivere. Ed. Spir. *insignuere.* Mox ed. Put. V. *turbidine* pro *turbine.*

pertulitque. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. *perculitque.*

ad vicina urbi. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Agr. edd. Spir. Lips. Grut. Pich. sqq. cf. Hist. 4, 46. Iac. Gronovius testatur in MS. Flor.

omne mortalium genus vis pestilentiae depopulabatur nulla coeli intemperie, quae occurreret oculis. sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur. non sexus, non aetas periculo vacua. servitia perinde et ingenua plebes raptim exstingui inter coniugum et liberorum lamenta, qui, dum adsident, dum deflent, saepe eodem rogo cremabantur. Equitum senatorumque interitus quamvis promiscui minus flebiles erant, tanquam communi mortalitate saevitiam principis praevenirent. Eodem anno delectus per Galliam Narbonensem Africamque et Asiam habiti sunt supplendis Illyrici legionibus, ex quibus aetate aut valetudine fessi sacramento solvebantur. Cladem Lugdunensem quadragies sestertio solatus est princeps, ut amissa urbi reponerent: quam pecuniam Lugdunenses ante obtulerant turbidis casibus.

priore manu scriptum fuisse *menia:* et *ad moenia urbis* legitur in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. Gryph. — *ad moenia vicina urbi* MS. Bud. — De MS. Oxon. Iac. Gronovii non recte tradidit Ernestius, quasi consentiat cum Bud. Immo Iac. Gronovius diserte dicit ibi esse *ad moenia urbis*, quod ipse probat. Idem Ernestius *urbis* inesse MS. Florentino putabat, quod nemo unquam ante prodiderat. Immo test. Vict. ibi est *urbi*, quod etiam Ryckius habet; Iac. Gronovius de hac voce incertus erat, quia nihil adnotaverat. Est etiam error de MS. Bud. apud Ryckium et Broterium, qui inde adferunt *ad moenia vicium urbi.*

depopulabatur. MSS. Bodl. Ies. *populabantur.* Guelf. *populabatur.*

occurreret. MS. Guelf. *occurret.*

perinde et. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. Harl. edd. Spir. Ernest. sqq. cf. 2, 2. *perinde odium pravis et honestis.* Hist. 4, 43. *perinde dives et eloquentia clarus.* Contra edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *perinde ac.* MSS. Bud. et Guelf. plane carent copula.

liberorum. MS. Guelf. edd. Spir. Put. *libertorum.* — Edd. Ber. sqq. (c. silent. Vict.) *liberorum.*

praevenirent. MS. Guelf. *pervenirent.*

delectus. MS. Bud. edd. Lips. Grut. *dilectus.* — Mox ed. Spir. *Asiamque* pro *et Asiam; illiricis* pro *Illyrici.* In MS. Guelf. sec. manus addidit illud *s.*

solvebantur. Ed. Spir. *saluebantur.* — Mox *sextertium* pro *sestertio.* Ed. Put. M. *sextertio;* edd. Put. V. sqq. *sestertio.*

cladem Lugd. cf. Senec. ep. 92.

obtulerant. MS. Corb. *contulerant.*

turbidis casibus. Ed. Spir. *turpidis.* MSS. Harl. Ies. *classibus* pro *casibus.*

XIV. C. Suetonio, L. Telesino coss. Antistius Sosianus factitatis in Neronem carminibus probrosis exsilio, ut dixi, multatus postquam id honoris indicibus tamque promptum ad caedes principem accepit, inquies animo et occasionum haud segnis Pammenem eiusdem loci exsulem et Chaldaeorum arte famosum eoque multorum amicitiis innexum similitudine fortunae sibi conciliat. Ventitare ad eum nuntios et consultationes non frustra ratus, simul annuam pecuniam a P. Anteio ministrari cognoscit. neque nescium habebat Anteium caritate Agrippinae invisum Neroni opesque eius praecipuas ad eliciendam cupidinem eamque causam multis exitio esse. igitur interceptis Anteii litteris, furatus etiam libellos, quibus dies genitalis eius et eventura secretis Pammenis occultabantur, simul repertis quae de ortu vitaque Ostorii Scapulae composita erant, scribit ad principem magna se et quae incolumitati eius conducerent adlaturum, si brevem exsilii veniam impetravisset: quippe

Cap. 14. *Telesino.* Ed. Spir. *Tilesino.*

ut dixi. 14, 48.

multatus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Lips. Pich. sqq. — *mulctatus* edd. vett. cf. not. ad 1, 77.

inquies. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Lips. sqq. — *inquietus* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. et sic cod. Guelf., qui mox habet *occisionum* pro *occasionum.*

Pammenem. Sic MS. Vat. edd. Lips. sqq. — *Parmenem* vel *Parmenen* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. — *parmanem* ed. Spir. — *Pammanem* MS. Corb. *Pammenes* quidam citharoedus est apud Dion. 63, 8.

innexum. Sic edd. Ernest. sqq. e coniectura Freinshemii et Lipsii. — *innixum* MS. Guelf. edd. vett. (c. silent. Vict.) et recentt. usque ad Ernestium. — *annixum* MS. Bud. — *inmixtum* MS. Ies.

consultationes. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Corb. Harl. (in marg.) edd. Spir. Pich. sqq. — *consolationes* MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Lips. Hic tamen ante Pichenam *consultationes* voluerat. *consultatores* MS. Agr.

simul. Sic MSS. Bud. Guelf. Corb. edd. Spir. Rhen. sqq. — *simulque* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. cum silentio Victorii. Broterius prodidit in Flor. esse *simul,* quo auctore, nescio. Nam Pichena et Iac. Gronovius tacent. Pro *annuam* MS. Bud. dat *nimiam.* In Guelf. *annuam* est a sec. manu.

a P. Anteio. Ed. Spir. *ab Anteio.* MS. Bud. hunc virum ubivis *Ponteium* vocat; scilicet coaluit praenomen cum nomine.

opesque eius. Ed. Spir. omittit *eius.* Mox MS. Guelf. edd. vett. *Antei* pro *Anteii*, quod primum est in edd. Lips. posterioribus, Grut. Pich. sqq.

magna se. Ed. Spir. *se magna.* Eadem mox c. MS. Guelf. *facta* pro *fata;* illa sola *inter eos* pro *inter reos.*

Anteium et Ostorium imminere rebus et sua Caesarisque fata scrutari. Exin missae liburnicae advehiturque propere Sosianus. ac vulgato eius indicio inter damnatos magis quam inter reos Anteius Ostoriusque habebantur, adeo ut testamentum Anteii nemo obsignaret, nisi Tigellinus auctor exstitisset. monitus prius Anteius ne supremas tabulas moraretur: atque ille hausto veneno tarditatem eius perosus intercisis venis mortem adproperavit.

XV. Ostorius longinquis in agris apud finem Ligurum id temporis erat. eo missus centurio, qui caedem eius maturaret. Causa festinandi ex eo oriebatur, quod Ostorius multa militari fama et civicam coronam apud Britanniam meritus ingenti corporis robore armorumque scientia metum Neroni fecerat, ne invaderet pavidum semper et reperta nuper coniuratione magis exterritum. Igitur centurio, ubi effugia villae clausit, iussa imperatoris Ostorio aperit. is fortitudinem saepe adversum hostes spectatam in se vertit. et quia venae quanquam interruptae parum sanguinis effundebant, hactenus manu servi usus, ut immotum pugionem extolleret, adpressit dextram eius iuguloque occurrit.

monitus prius Anteius. MS. Flor. test. Iac. Gronovio *monitus prius Anteio*, qua scriptura Ryckio et Iac. Gronovio videtur confirmari coniectura Acidalii et Freinshemii: *exstitisset*, *monito prius Anteio.* Victorius et Pichena intacta reliquerunt vulgata. MS. Agr. test. Heinsio ipsos ablativos illos praefert.

Cap. 15. *causa festinandi.* MS. Corb. *c. maturandi.*

ex eo oriebatur. MS. Agr. ed. Spir. *exoriebatur*, omisso *eo.* Gruterus omittendum censebat totum illud: *ex eo oriebatur*, quod tamen non est alienum a Taciti elocutione cf. not. ad 11, 4. Mox ed. Spir. *corpori* pro *corporis.* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. *ingenti corpore armorumque scientia.* In Bodl. altera manus emendavit *corporis.* Vulgatam scripturam sequuntur edd. Ber. sqq. cum sil. Vict.

ne invaderet. Edd. Put. M. et V. *ne invaderetur.*

coniuratione. MS. Guelf. *cogitatione.*

iussa imperatoris Ostorio aperit. Sic edd. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Consentit MS. Corb. apud Broterium. MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Reg. ed. Spir. *iussa in P. Ostorio.* MSS. Harl. Ies. Guelf. *iussa inde post Ostorio.* MS. Bodl. edd. Put. M. et V. *iussa inde Ostorio.* MS. Bud. *iussa inpost. ostorio.* MS. Agr. *iussa P. Ostorio.*

is fortitudinem saepe adversum hostes spectatam. Sic MS. Guelf.

XVI. Etiam si bella externa et obitas pro re publica mortes tanta casuum similitudine memorarem, meque ipsum satias cepisset aliorumque taedium exspectarem quamvis honestos civium exitus tristes tamen et continuos aspernantium. at nunc patientia servilis tantumque sanguinis domi perditum fatigant animum et maestitia restringunt. neque aliam defensionem ab iis, quibus ista noscentur, exegerim quam ne oderint tam segniter pereuntes. Ira illa numinum in res Romanas fuit, quam non ut in cladibus exercituum aut captivitate urbium semel edito transire licet. detur hoc inlustrium virorum posteritati, ut, quomodo exsequiis a promiscua sepultura separantur, ita in traditione supremorum accipiant habeantque propriam memoriam.

edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc., nisi quod ed. Spir. ante *hostes* vitiose addit *in*. Edd. Rhen. sqq. *is fortitudinem adversum hostes saepe spectatam*, e MS. Bud.

Cap. 16. *satias.* Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Vatic. (test. Lips.) et inde edd. Lips. Grut. Pich. sqq. cf. 6, 38. Guelf. aliique libri MSS. (test. Broterio) edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. *satietas*, quae forma et alibi apud Nostrum invenitur et reposita est a Broterio, quia nesciebat unde *satias* inrepserit. Potuisset hoc discere ex ed. Lips. 1574. in notis p. 749.

aliorumque t. exspectarem. Ed. Spir. omittit *que* datque *expectaret* pro *exspectarem*; mox *continuo* pro *continuos*; *ab his* pro *ab iis* In MS. Guelf. etiam postrema littera voc. *continuos* erasa est. Idem mox omittit *at*, habetque *patria* pro *patientia*.

noscentur. MS. Guelf. *noscerentur.*

ne oderint. Sic MSS. Corb. Agr. edd. Bip. Oberl. sqq. suasoribus Rhenano, Mureto, Lipsio, Grotio; et sic corrigendum esse iam Victorius viderat. — *oderim* MSS. Flor. Bud. Guelf. aliique, edd. Spir. sqq. ad Bipont., quae scriptura non prorsus inepta esse videtur. Dicit auctor, se nolle a lectoribus petere, ut faveant tam servili patientiae, immo id solum se rogare, ut concedant, ne oderit tam segniter pereuntes h. e. ne cum odio eos tradat eorumque memoriam inmoderate increpet. Alterius scripturae sententia est: „a lectore non exigimus, ut illorum plus quam servilem patientiam defendat aut excuset, sed hoc tantum, ne istos odio prosequatur; nam res fuit plane fatalis." cf. Rhenau. a h. l.

numinum. MS. Guelf. *nimium:* in margine „vel *numinum.*"

captivitate. Ed. Spir. *in captivitate.* De vocabulo *captivitatis* cf. 11, 23. 13, 25. Hist. 3, 70. 83.

semel edito. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. ed. Spir. Adsentit cod. MS. Bud. qui fert *semel edicto.* Sententia: postquam semel editum, narratum de ea re est. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *semel editam.* Mox MS. Reg. *dentur haec* pro *detur hoc.*

a promiscua sepultura. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Rhen. sqq. — *a proxima sepultura* MS. Bud. — *ac promiscua sepulchra* edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (Ernestius falsa tradiderat) Alc.

XVII. Paucos quippe intra dies eodem agmine Annaeus Mella, Cerialis Anicius, Rufius Crispinus ac C. Petronius cecidere: Mella et Crispinus equites Romani dignitate senatoria. nam hic quondam praefectus praetorii et consularibus insignibus donatus ac nuper crimine coniurationis in Sardiniam exactus accepto iussae mortis nuntio semet interfecit. Mella quibus Gallio et Seneca parentibus natus petitione honorum abstinuerat per ambitionem praeposteram, ut eques Romanus consularibus potentia aequaretur. simul acquirendae pecuniae brevius iter credebat per procurationes administrandis principis negotiis. Idem Annaeum Lucanum genuerat, grande adiumentum claritudinis. quo interfecto dum rem familiarem eius acriter requirit, accusatorem concivit Fabium Romanum ex intimis Lucani amicis. Mixta inter patrem filiumque coniurationis scientia fingitur adsimilatis Lucani litteris. quas inspectas Nero ferri ad eum iussit opibus eius inhians. At Mella, quae tum promptissima mortis via, exsolvit venas, scriptis codicillis, quibus grandem pecuniam in Tigellinum gene-

Vocabulum *sepultura* abest a MSS. Harl. Bodl. Ies., additum in marg. Bodl. et Guelf. Ceterum iidem libri habent *a promiscua*. Pro *separantur* ed. Spir. *seperantur*.

Cap. 17. *Annaeus*. Sic edd. Lips. sqq. *Anneus* MS. Guelf. edd. Spir. Rhen. et MS. Flor. (test. Vict.) *Anneius* edd. Put. Ber. Alc. — Mox *Mela* MSS. Flor. (t. Vict.) Bud. edd. Spir. Broter. *Mella* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ante Broterium et post illum.

Anicius. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. *Anitius* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. cum cod. Guelf.

Rufius. Sic edd. Ryck. Ernest. sqq. cf. not. ad 12, 42. Hic *Ruffus* MS. Bud. edd. Spir. Put. M. et V.; *Rufus* MS. Guelf. edd. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq.

ac C. Petronius. Sic edd. Rhen. sqq. (et sic ille vir dicitur c. 18. omnium librorum auctoritate). — *ac Petronius* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. omisso praenomine *C.*, quod absorptum est a praecedenti *ac*. Mox ed. Spir. *in sardinia* pro *in Sardiniam*.

Mella quibus Gallio et S. Ed. Spir. *Mela quidem Gallia et S.* Eadem mox post *praeposteram* omittit verba: *ut eques r. c. potentia*.

fingitur. Sic edd. Put. sqq. — MSS. Flor. (test. Vict.) et Guelf. *finguntur*. Ed. Spir. *scientia. Finguntur litterae assimulatis* etc.

adsimilatis. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. cf. not. ad 1, 28. *assimulatis* edd. vett.

Nero ferri ad eum iussit. Ed. Spir. *ad eum ferri Nero iussit*. Eadem mox *Confusianum* pro *Cossutianum*. MS. Guelf. *Consutianum*.

rumque eius Cossutianum Capitonem erogabat, quo cetera manerent. Additur codicillis tanquam de iniquitate exitii querens ita scripsisse: se quidem mori nullis supplicii causis, Rufium autem Crispinum et Anicium Cerialem vita frui infensos principi. quae composita credebantur de Crispino, quia interfectus erat, de Ceriale, ut interficeretur. neque enim multo post vim sibi attulit minore quam ceteri miseratione, quia proditam C. Caesari coniurationem ab eo meminerant.

XVIII. De C. Petronio pauca supra repetenda sunt.

additur. MS. Agr. *addit*, quod Ryckio placet, ut intelligatur Nero. Sed potius ad acta publica *additur* spectat, unde Noster hauriebat.

scripsisse. Sic MSS. Flor. (si fides habenda silentio Victorii) Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. et nuper Oberl. sqq. — *scripsisset* MSS. Harl. (a sec. m.) Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. I. Fr. Gronovius volebat: *querentem scripsisse.* Sed recepta scriptura bene se habet e graecismo. cf. 2, 27. *defertur moliri res novas.* Coniunge: *additur scripsisse codicillis tanquam de i. e. querens.* Herodot. 8, 137. *οἱ δὲ τὸν μισθὸν ἔφασαν δίκαιοι εἶναι ἀπολαβόντες οὕτω ἐξιέναι.*

Rufium. Sic edd. Ryck. Ernest. sqq. *Rufrium* MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Guelf. ed. Put. M. — *Ruffrium* ed. Spir. — *Ruffium* ed. Put. V. — *Rufium* edd. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. — *Rufum* edd. Rhen. sqq.

autem. Sic MSS. et vett. edd. (cum sil. Vict.) et nuper Ryck. Brot. Bip. Oberl. sqq. Pichena tanquam e MS. Flor. dederat *tamen.* Verum Iac. Gronovius docuit in MS. Flor. esse *aū* h. e. *autem.* In Guelf. legitur *aut.*

Anicium. Sic MS. Guelf. edd. Rhen. sqq. — *Anitium* edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. — *Annitum* ed. Spir. cf. not. supra et ad 15, 74. Mox ed. Spir. *quoniam* pro *quia* ante *interfectus.*

coniurationem. Lipsius intelligit *Aemilii Lepidi.* Suet. Cal. c. 24. et Dio 59, 22. Sed Reimarus ad Dion. 59, 25. §. 257. docuit haec Taciti verba non spectare ad Aemilii Lepidi, sed aliam coniurationem, de qua Zonar. p. 557 sq. *τοῦτον δὲ τὸν τρόπον βιοὺς πάντως ἐπιβουλευσήσεσθαι ἔμελλε καὶ ἐφώρασε τὴν ἐπίθεσιν καὶ συλλαβὼν Νίκιον* (Anicium) *Κερεάλιον καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ Σέξτον Παπήνιον ἐβασάνισε, καὶ ἐπεὶ μηδὲν ἐξελάλησεν, ἀνέπεισε τὸν Παπήνιον σωτηρίαν αὐτῷ καὶ ἄδειαν ὑποσχόμενος κατειπεῖν τινων ἢ ἀληθῶς ἢ ψευδῶς, καὶ ἐκεῖνον αὐτίκα καὶ τοὺς ἄλλους ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ ἀπέκτεινεν.* Etenim quae Zonaras Papinio tribuit, debuisset cum Tacito tribuere Ceriali. Patet quippe eandem plane rem Nostro in mente fuisse. Reimarus recte etiam dicit in eo falsum esse Zonaram, quod Papinium Cerialis filium facit.

Cap. 18. *pauca supra rep.* Sic MS. Flor. (test. Iac. Gronovio) edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. et dein Iac. Gronov. sqq. cf. Hist. 4, 48. — *pauca super* MSS. Harl. Bodl. et sic Ovid. Met. 15, 308. *plurima cum subeant, audita aut cognita vobis, pauca super referam.* In Guelf. scribitur *sup* h. e. *super.* A MS. Corb. *supra* abest. MS. Bud. et inde edd. Rhen. sqq. *de C. Petronio supra. Pauca repetenda*

Nam illi dies per somnum, nox officiis et oblectamentis vitae transigebatur: utque alios industria ita hunc ignavia ad famam protulerat, habebaturque non ganeo et profligator ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. ac dicta factaque eius quanto solutiora et quandam sui negligentiam praeferentia, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur. Proconsul tamen Bithyniae et mox consul vigentem se ac parem negotiis ostendit: dein revolutus ad vitia seu vitiorum imitationem inter paucos familiarium Neroni adsumptus est elegantiae arbiter, dum nihil amoenum et molle adfluentia putat, nisi quod ei Petronius adprobavisset. Unde invidia Tigellini quasi adversus aemulum et scientia voluptatum potiorem. ergo crudelitatem principis, cui ceterae libidines cedebant, adgreditur amicitiam Scevini Petronio obiectans corrupto ad indicium servo ademptaque defensione et maiore parte familiae in vincla rapta.

XIX. Forte illis diebus Campaniam petiverat Caesar et Cumas usque progressus Petronius illic attinebatur. nec tulit ultra timoris aut spei moras: neque tamen

sunt. Edd. Lips. posteriores sqq. *supra pauca r. s.*

nam illi dies. Particula *nam* transitum facit poniturque elliptice. cf. Ramshorn. Gr. § 187. 1, 1. p. 563. et not. ad 14, 44.

per somnum. Ed Spir. *quidem per somnium.* Sed cf. Hist. 2, 90. *somno et luxu pudendus.* An. 15, 49. *vita somno languida.*

transigebatur. Ed. Spir. et MS. Agr. *transigebantur.* Sed vid. not. ad 1, 10. sub v. *abstulerat.* Mox in MS. Bud. deest *ac* ante *dicta.*

et quandam sui negligentiam pr. MS. Guelf. *et quadam sui negligentia preferentia.*

proconsul Bithyniae. cf. not. ad 1, 74.

et mox consul. Ed. Spir. *et mox consulem.*

vigentem. Sic MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. edd. Rhen. sqq. *ingentem* MS. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. cf. not. ad 15, 53. Mox MS. Corb. ed. Spir. *deinde* pro *dein.*

imitationem. Sic vulgo MSS. et edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Lips. Pich. sqq. — *imitatione* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. et nuper Bip. Oberl. sqq. idemque MS. Flor. inesse testatur Iac. Gronovius. Vix credo, quum de ea re tacuerint Pichena et Victorius. Vetus scriptura etiam Kiesslingio placuit.

Neroni. MS. Bud. *Neronis.*

adgreditur. Ed. Spir. *accendit,* ex interpretamento. Sed cf. Hist. 1, 78. An. 13, 37. Mox eadem ed. Spir. cum cod. Guelf. *vincula* pro *vincla.*

amicitiam Scevini. MS. Guelf. *Sceuinii amiciciã.*

Cap. 19. *progressus.* Intelligitur Petronius in comitatu Neronis.

praeceps vitam expulit, sed incisas venas ut libitum obligatas aperire rursum et adloqui amicos, non per seria aut quibus gloriam constantiae peteret. audiebatque referentes nihil de immortalitate animae et sapientium placitis, sed levia carmina et faciles versus. servorum alios largitione, quosdam verberibus adfecit. iniit et vias, somno indulsit, ut quanquam coacta mors fortuitae similis esset. Ne codicillis quidem (quod plerique pereuntium) Neronem aut Tigellinum aut quem alium potentium adulatus est: sed flagitia principis sub nominibus exoletorum feminarumque et novitate cuiusque stupri perscripsit atque obsignata misit Neroni, fregitque annulum, ne mox usui esset ad facienda pericula.

XX. Ambigenti Neroni, quonam modo noctium suarum ingenia notescerent, offertur Silia matrimonio senatoris haud ignota et ipsi ad omnem libidinem adscita ac Petronio perquam familiaris. agitur in exsilium, tanquam non siluisset, quae viderat pertuleratque,

ut libitum. MSS. Reg. Corb. Guelf. (a m. sec.) ed. Spir. *ad libitum.*

gloriam constantiae. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *constantiam gloriae* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — Rhenanus dedit *constantiae gloriam*, et sic emendatum est in MS. Harl. Reduxi eum verborum ordinem, qui loco convenit.

iniit et vias. Sic libri vett. At Bip. Oberl. sqq. maluere: *iniit epulas* coniecturam Marclandi ep. crit. ad Harium p. 89. Nam *vias inire* non convenire ingenio Petronii et illi tempori videbatur. Nihil tamen in vetere scriptura est, quod displiceat. Quippe *vias iniit* non vult Petronium viarum spatia ex uno oppido in aliud pedibus emensum esse, sed illum non mansisse intra parietes, processisse in publicas vias, quasi cuncta solita usurparet. Iniisse et epulas facile crediderís; sed cum vett. libri de hac re nil addant, cur obtrudamus scriptori, profecto non video.

ut quanquam coacta. Sic edd. Rhen. sqq. (non ed. Spir., ut falso tradidit Ernestius). — *ut quam coacta* MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Harl. Bodl. Ies. Corb. ed. Spir. (haec per compendium q̃). — *utque coacta* MS. Guelf. — *ut quasi coacta* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. E MS. Reg. adferunt *quamquam;* fortasse tamen ibi quoque est compendium q̃. Emendationem Rhen. esse veram vix dubitabis. Eiusmodi varietates compendio scripturae debentur.

ne codicillis quidem. Ed. Spir. *ne codicillos quidem.*

perscripsit. Operarum lapsu Oberlinus habet *praescripsit*: imitati sunt Weikertus, Naudetus aliique.

misit. MS. Guelf. *mittit.*

annulum. Ed. Spir. et MS. Guelf. *anulum.* cf. not. ad 2, 2.

Cap. 20. *Silia.* Ed. Spir. cum cod. Guelf. *filia.*

proprio odio. At Minucium Thermum praetura functum Tigellini simultatibus dedidit, quia libertus Thermi quaedam de Tigellino criminose detulerat, quae cruciatibus tormentorum ipse, patronus eius nece immerita lueret.

XXI. Trucidatis tot insignibus viris ad postremum Nero virtutem ipsam exscindere concupivit interfecto Thrasea Paeto et Barea Sorano, olim utrisque infensus et accedentibus causis in Thraseam, quod senatu egressus est,

proprio odio. Pichena *proprium odium* referebat ad Neronem, ut Silia multata diceretur non ob secreta vulgata, sed proprio Neronis in illam odio: atque sic locum accepit Ricklefs. Perperam. Silia acta est in exsilium, tanquam non siluisset proprio odio, h. e. tanquam non loquacitate, ut fit, aut inducta ad proditionem a Neronis osore peccavisset, sed tanquam proprio in Neronem odio incitata illius flagitia patefecisset. Plane supervacanea est Freinshemii emendatio: *pertuleratque. Proprio odio hanc: Numicium* etc.

at Minucium Thermum. Sic e coniectura Ryckii edd. Oberlin. sqq. — *Municium Thermum* MS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronovio). — *Munitium Therinum* MS. Agr. ed. Spir. — *Munitium Thermium* MS. Corb. — *Numicium Thermum* MSS. Bodl. Bud. edd. Rhen. sqq. — *N. Terinum* MSS. Guelf. Harl. Ies. — *N. Termum* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. — *Thermum* esse cognomen *Minuciorum* aliunde satis constat.

Tigellini. Ed. Spir. *Tigilum.* Edd. Put. sqq. c. cod. Guelf. *Tigillini*, ut MS. Bud. *Tigellini* edd. Lips. sqq. cf. not. ad 14, 48.

dedidit. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. (pr. m.) edd. Put. sqq. *deditum* MSS. Flor. (test. Vict. c. Ryckio) Reg. Bud. Agr. Corb. ed. Spir., aperto vitio. Etiam in MS. Guelf. sec. m. addidit *um* post *dedidit*. Acidalius volebat *dedit*, quod plerumque Tacito eo sensu ponitur. cf. 1, 10. *sane Cassii et Brutorum exitus paternis inimicitiis datos.* Similia sunt 2, 58. 3, 69. 15, 59. et alibi. Quia non frustra adesse *deditum* in potioribus libris videbatur, olim conieci legendum: *dedit reum* h. e. Tigellini simultatibus Thermum concessit reum. Sic c. 23. *poscere reum.* Defenditur tamen vulgatum exemplis: 3, 23. *cuius senectae atque orbitati et obscurissimae domui... dederetur.* Minus huc facit c. 10. *neve consulatus sui quondam collegam dederet liberto.* Suet. Iul. c. 24. *dedendum eum hostibus.*

quia libertus. Ed. Spir. *quod libertus.*

lueret. Acidalius volebat *luere* (h. e. luerunt). Sed non opus est numero plurali. cf. not. ad 13, 12. et optativum sic recte poni, non indicativum, docuimus ad 15, 46. Pro *patronus eius* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. ferunt *patronus atrocius eius.*

Cap. 21. De huius cap. rebus cf. Xiphil. 62, 26. — *egressus est.* Muretus, Acidalius et Pichena malebant *esset;* Ernestius *erat.* Sed aoristus bene se habet. cf. 1, 53. *scripsit;* 2, 62. *transtulit;* 6, 30. *imposuit;* 6, 9. *patefecit;* 12, 31. *restiterunt.* Mox *censuit, obtinuitque.* Quod Tacitus dein scripsit *praebuerat*, recte fecit; nam hoc non poterat narrari tanquam res certo quodam tempore facta,

cum de Agrippina referretur, ut memoravi, quodque iuvenalium ludicro parum exspectabilem operam praebuerat: eaque offensio altius penetrabat, quia idem Thrasea Patavii, unde ortus erat, ludis cesticis a Troiano Antenore institutis habitu tragico cecinerat. Die quoque, quo praetor Antistius ob probra in Neronem composita ad mortem damnabatur, mitiora censuit obtinuitque: et cum deum honores Poppaeae decernuntur, sponte absens funeri non interfuit. Quae oblitterari

immo Thrasea ita se gesserat, ut parum exspectabilem operam praeberet, vel talis erat, qui p. e. o. praebuisset. Quam eximiam Taciti in scribendo curam perperam inconstantiam nonnulli vocant. Paulo ante ordinem vocabulorum: *Thrasea Paeto et Barea Sorano* Pichena restituit e MS. Flor. Consentit Victorius et ed. Spir. Contra MS. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *Barea Sorano et Thrasea Paeto.*

referretur. Ed. Spir. *ferretur.* Edd. Put. cum MS. Guelf. *referetur*, pervulgari vitio.

ut memoravi. cf. 14, 12.

parum exspectabilem. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *parum et exspectabilem* MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Corb. — *parum spectabilem* MS. Agr. — *parum in exspectabilem* ed. Spir. — *parum expetibilem* MS. Bud. edd. Rhenan. sqq. Per analogiam *exspectabilis* et *expetibilis* pari sunt fide; neutrum apud scriptores ante Taciti aetatem legitur; ea tamen non est auctoritas MS. Bud., ut ceterorum librorum scriptura illius verbis cedat. Similiter in dial. de Orat. c. 29. permutantur *exspectantur* et *expetuntur.*

Patavii. Ed. Spir. *Patavi.*

ludis cesticis. Sic edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *cetastis* MSS. Flor. (t. Vict. c. al.) Vat. Reg. Corb. ed. Spir. — *cestatis* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. — *testatis* MS. Ies. — *cerastis* MS. Agr. — Puteolani scriptura videtur originem traxisse e Virgil. Aen. 5, 69. 420 Grotius volebat *xysticis*; Pignorius in origg. Patav. c. 8. *Iselasticis.* cf. Plin. ep. 10, 119 et 120. Ernestius *Selasticis*, quod in vett. libris interdum invenitur pro *iselasticis.* Ne vulgatum temere mutaretur, suasit Ryckius. Mox post *tragico* MS. Bud. addit *ornatus.* Frustra.

deum honores. Sic MS. Bud. edd. Rhenan. sqq. Consentit MS. Flor. test. Vict.; ibi enim est *dm̄.* — *divini honores* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. — *deinde honores* MSS. Reg. Corb. Agr. ed. Spir. De deum honoribus Poppaeae decretis cf. Dio 63, 26.

decernuntur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. Pich. Iac. Gronovio per silentium) Bud. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *decernerentur* MSS. Agr. Guelf. edd. Ryck. Ernest. sqq. Sed cf. Ramshorn. Gr. § 189. III. 1.) p. 575 sq. Sic Cic. ad Att. 10, 16. *Quum redeo, Hortensius venerat et ad Terentiam salutatum deverterat.* Video Kiesslingium etiam revocasse *decernuntur.*

sponte absens. H. e. nulla iusta de causa; voluit abesse. Acidalius frustra coniiciebat *senatu absens.*

non interfuit. Sic MSS. Reg. Corb. edd. Spir. Put. sqq. — *non interfuerit* MSS. Flor. (t. Vict. cum

non sinebat Capito Cossutianus praeter animum ad flagitia praecipitem iniquus Thraseae, quod auctoritate eius concidisset iuvantis Cilicum legatos, dum Capitonem repetundarum interrogant.

XXII. Quin et illa obiectabat: principio anni vitare Thraseam solemne iusiurandum: nuncupationibus votorum non adesse, quamvis quindecimvirali sacerdotio praeditum: nunquam pro salute principis aut coelesti voce immolavisse: adsiduum olim et indefessum, qui vulgaribus quoque patrum consultis semet fautorem aut adversarium ostenderet, triennio non introisse curiam: nuperrimeque, cum ad coercendos Silanum et Veterem certatim concurreretur, privatis potius clientium negotiis vacavisse. secessionem iam id et partes, et si idem multi audeant, bellum esse. „Ut quondam C. Caesarem" inquit „et M. Catonem, ita nunc te, Nero, et „Thraseam avida discordiarum civitas loquitur. Et „habet sectatores vel potius satellites, qui nondum contumaciam sententiarum, sed habitum vultumque eius

Pichena) Harl. Bodl. Guelf. Bud. — *non interfuerat* MS. Ies. Quarum scripturarum nulla absurda est; diversam tamen quaeque habet rationem. *Non interfuit* rem ἀορίστως exprimit; *non interfuerat* respicit ad tempus funeris; *non interfuerit* enuntiat suspicionem vel coniecturam scriptoris, qua non dicit se repperisse id in actis, sed coniicere Thraseam funeri non interfuisse, quia, cum honores Poppaeae decernerentur, sponte absens fuit. — Mox pro *ad flagitia* MS. Corb. et ed. Spir. habent *ad flagitium*.

iniquus Thraseae. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pichena) Reg. Corb. ed. Spir. — *inimicus Thraseae* MSS. Bud. aliique libri, edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Sed cf. not. ad 3, 4.

Cap. 22. *obiectabat.* Ed. Spir. *oblectabat.* Eadem mox *vitaret Thrasea* et *adesset*, quanquam deinde addit *praeditum.* Pro *voce* ea habet *voci.*

nunquam — immolavisse. cf. Xiphil. 61, 20.

aut adversarium. MS. Guelf. *et* habet pro *aut.*

ostenderet. MS. Reg. *ostentaret.* Pro *introisse* ed. Spir. *introisset.*

introisse. Sic MS. Guelf. ed. Spir. — *introiisse* edd. Put. sqq.

nuperrimeque. Copula deest in MS. Bud. Mox MS. Agr. ed. Spir. *clientum* pro *clientium.* cf. not. ad 2, 45.

si idem multi. MS. Bud. edd. Rhen. sqq. *si multi idem.* Veterem ordinem e MS. Flor. restituit Iac. Gronovius.

audeant. MS. Bud. *habeant.*

te, Nero, et Thraseam. Ed. Spir. *tenebo transeam.* MS. Guelf. *Thrasea* pro *Thraseam.*

„sectantur, rigidi et tristes, quo tibi lasciviam exprobrent. Huic uni incolumitas tua, tuae artes sine honore. prosperas principis res spernit: etiamne luctibus et doloribus non satiatur? Eiusdem animi est Poppaeam divam non credere, cuius in acta divi Augusti et divi Iulii non iurare. spernit religiones, abrogat leges. Diurna populi Romani per provincias, per exercitus curatius leguntur, ut noscatur, quid Thrasea non fecerit. Aut transeamus ad illa instituta, si potiora sunt, aut nova cupientibus auferatur dux et auctor. Ista secta Tuberones et Favonios, veteri quoque rei publicae ingrata nomina, genuit. Ut imperium evertant, libertatem praeferunt: si perverterint, libertatem ipsam adgredientur. Frustra Cassium amovisti, si gliscere et vigere Brutorum aemulos passurus es. Denique nihil ipse de Thrasea scripseris, discepta-

quo tibi. Sic suadente Rhenano edd. Pichen. sqq., quum prius in MS. Guelf. edd. Put. Ber. sqq. legeretur *qui tibi.* Emendationem praeivere MSS. Flor. Reg. ed. Spir., qui libri ferunt *quod ibi;* MS. Bud. *quod tibi.* Eiusmodi varietates compendiis scribendi originem debent.

huic uni. Ed. Spir. *huic una.*

tuae artes sine honore. Sic edd. Bipont. Oberl. sqq. ex emendatione I. Fr. Gronovii. 'Nam inepte MSS. et vett. edd. *sine arte sine honore.* In MS. Flor. Pichena vidit *artes;* Victorius tamen intactum reliquit *arte.* Lipsius volebat: *inc. tua sine cura, artes sine honore.* Iac. Gronovius: *inc. tua sive artes sine honore.*

etiamne. MS. Agr. *etiamnum* sine interrogatione, quod Ryckio praeferendum videbatur et Bipontinis.

religiones. Sic MS. Guelf edd. Put. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — *legiones* MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Agr. Corb. ed. Spir. Ita vidimus confundi *legiones* et *regiones* An. 13, 7.

curatius. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. 1574. sqq. cf. not. ad 1, 13. — *accuratius* edd. Put. Ber. Alc. Rhen. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. — *curatium* MS. Reg. ed. Spir. — *curantium* MS. Corb. Bud. — Mox ed. Spir. omittit *ad* ante *illa.* MS. Agr. *in illa.* MS. Guelf. *at transeamus.*

Favonios. Ed. Spir. cum cod. Guelf. *Fabonios.* Mox eadem ed. Spir. cum MS. Reg. omittit verba: *libertatem praeferunt: si perverterint.* Contra MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhenan. sqq. ante Pichenam omittunt *libertatem* ante *ipsam.* Reposuit Pichena e MS. Flor. (consentit Victorius), et sic MSS. Corb. Bud. Sed hic dat *egredientur* pro *aggredientur.* MS. Guelf. *preferant* pro *praeferunt.*

amovisti. Ed. Spir. *admonuisti.* Mox *ipse* post *nihil* deest in MS. Corb. et ed. Spir. — MS. Reg. dat *decertatorem* pro *disceptatorem.*

„torem senatum nobis relinque." Extollit ira promptum Cossutiani animum Nero, adiicitque Marcellum Eprium, acri eloquentia.

XXIII. At Baream Soranum iam sibi Ostorius Sabinus eques Romanus poposcerat reum ex proconsulatu Asiae, in qua offensiones principis auxit iustitia atque industria et quia portui Ephesiorum aperiendo curam insumpserat vimque civitatis Pergamenae prohibentis Acratum Caesaris libertum statuas et picturas avehere inultam omiserat. sed crimini dabatur amicitia Plauti et ambitio conciliandae provinciae ad spes novas. Tempus damnationi delectum, quo Tiridates accipiendo Armeniae regno adventabat, ut ad externa rumoribus intestinum scelus obscuraretur, an ut magnitudinem imperatoriam caede insignium virorum quasi regio facinore ostentaret.

relinque. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Put. Alc. Rhen. sqq. — *relinquere* ed. Ber. (vitio operarum).

ira. MS. Agr. *irae*, quod malebat Heinsius.

Cossutiani. Edd. Put. M. et V. *consutiani.* MS. Guelf. hic *cosuciani.*

Cap. 23. *iam sibi Ostorius.* Sic edd. Lips. 1574. sqq. — *iam subitorius* ed. Spir. cum MSS. Guelf. Vat. — *iam sibi Torius* MS. Flor. (test. Iac. Gronov.) edd. Put. M. et V. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. — Bipontini cogitant de *Obultronio Sabino.* cf. 13, 28. In MS. Bud. deest *Sabinus.*

vimque civitatis. Ed. Spir. *nunquam civitatis.*

Acratum. Sic MSS. Flor. (t. V.) Guelf. edd. Put. Rhen. sqq. — *ac ratum* ed. Spir. — *Atratum* edd. Ber. Alc. cf. 15, 45.

picturas avehere. Sic MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *picturas se vehere* MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir., ubi *a* abiit in *e*, cui *s* adhaesit e praecedenti voc.

inultam. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Vatic. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Spir. Alc. Rhen. sqq. — *multam* edd. Put. M. et V. Ber. — *invitam* ed. Gryph. — *in ultima* MS. Corb. cf. not. ad An. 14, 44. Hist. 3, 77.

damnationi. MS. Bud. *damnationis.*

delectum. Ed. Spir. *deletum.* Edd. Lips. Grut. *dilectum*, uti solent.

accipiendo. MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. *accipiendae*, aperto vitio.

ut ad externa rumoribus. H. e. *ut rumoribus*, qui exsisterent ad externa. Nam *ad* significat occasionem, in qua aliquid fit. cf. 2, 2. *laetantes ut ferme ad nova imperia.* Acidalius frustra volebat addi *versis.* Nec melius Gruterus: *ad externa rumorum.* Hillerus *rumoribus* mutabat in *ruentibus.*

insignium virorum. Sic MS. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *illustrium virorum* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc.

regio. MS. Guelf. *egregio.*

XXIV. Igitur omni civitate ad excipiendum principem spectandumque regem effusa Thrasea occursu prohibitus non demisit animum, sed codicillos ad Neronem composuit requirens obiecta et expurgaturum adseverans, si notitiam criminum et copiam diluendi habuisset. Eos codicillos Nero properanter accepit spe exterritum Thraseam scripsisse, per quae claritudinem principis extolleret suamque famam dehonestaret. quod ubi non evenit vultumque et spiritus et libertatem insontis ultro extimuit, vocari patres iubet. Tum Thrasea inter proximos consultavit, tentaretne defensionem an sperneret.

XXV. Diversa consilia adferebantur. quibus intrari curiam placebat, securos esse de constantia eius dixerunt: nihil dicturum nisi quo gloriam augeret. Segnes et pavidos supremis suis secretum circumdare;

Cap. 24. *demisit.* Sic edd. Rhen. sqq. — *dimisit* MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc.

et copiam. Ed. Spir. *ut copiam.*

spe exterritum Th. scripsisse. *Spe* est in edd. Rhenan. sqq. pro *saepe*, quod habent MSS. et vett. edd., et *spe* pro *saepe* esse scribendum Victorius iam ex ingenio notaverat in suo exemplari. Faërnus legebat *sperans.* Sed alibi etiam *spe* et *saepe* confunduntur. — *Scripsisse* exstat in MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Reg. Agr. Corb. edd. Spir. Pichen. sqq. — *sensisse* in MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. Lips. Grut. At Lipsius ante Pichenam divinaverat *scripsisse* esse legendum. I. Fr. Gronovio placebat *sensisse*, Gruterus malebat *inservisse.* Frustra.

claritudinem. MS. Corb. ed. Spir. *claritatem.*

quod ubi non evenit. Sic edd. Rhen. sqq., atque sic locum esse legendum Victorius in suo exemplari ex ingenio notaverat. Edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. *quo dubie non venit.* MS. Guelf. *quo dubiae non venit.* De aliis codd. MSS. altum est silentium.

et spiritus. MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *et spiritum.* Sed cf. c. 26. et Hist. 3, 66. *Spiritum* h. e. vitam. cf. 1, 22. MS. Ies. omittit *et.*

iubet. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Agr. Bud. Guelf. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. Victorius et Pichena intactum reliquerunt *iussit*, quod exstat in edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq.

Cap. 25. *securos esse.* MS. Flor. (test. Vict.) *securos et sese.* Vulgata tuentur ceteri libri omnes.

circumdare. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Corb. Guelf. edd. Spir. Lips. 1574. sqq. Nam Lipsius etiam in suis libris hanc scripturam invenerat. MSS. Harl. Ies. Bodl. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. *otium dare.* In marg. Bodl. additum *secretum circumdare.* MS. Bud. *secretum otium circumdare.*

aspiceret populus virum morti obvium, audiret senatus voces quasi ex aliquo numine supra humanas. posse ipso miraculo etiam Neronem permoveri. sin crudelitati insisteret, distingui certe apud posteros memoriam honesti exitus ab ignavia per silentium pereuntium.

XXVI. Contra qui opperiendum domi censebant, de ipso Thrasea eadem: sed ludibria et contumelias imminere. subtraheret aures conviciis et probris. non solum Cossutianum aut Eprium ad scelus promptos: superesse qui forsitan manus ictusque per immanitatem ausuri:

ex aliquo numine. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *ex quodam numine* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *ex aliquo numinum* MS. Corb.

supra humanas. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — *supra humanos* MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronovio) Reg. Corb. edd. Spir. et nuper Oberl. sqq. suadentibus Ryckio et Iac. Gronovio. *Humanos* enim dici pro humano genere probant exemplis: Varr. apud Non. Marc. 2, 98. Cic. ad Att. 13, 21. Iustin. 42, 3. Sed quanquam nemo de hoc usu dubitat, huic tamen loco melius convenit scriptura Puteolani. Quare cum Bekkero et Kiesslingio eam revocavi. Multa sane auctoritate cod. Flor. valet in contextu constituendo: caveamus tamen, ne ad absurda nos abducat, praesertim in tali re, ubi error perfacilis fuit.

etiam Neronem. MS. Guelf. *etiam ipsum Neronem.*

permoveri. Ed. Spir. *promoveri.* Sed cf. 1, 21.

sin crudelitati. Sic MSS. Flor. (testantur Pich. et Vict., hic per silentium) Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Pich. sqq. At Iac. Gronovius adfirmat in MS. Flor. esse *si in crudelitati.* MS. Reg. ed. Spir. *si incredulitati.* MS. Corb. *si in incredulitate.* Edd. Rhen. Ald. Lips. Grut. *sin crudelitas persisteret.* Etenim *persisteret* est in MS. Bud., quum ceteri libri tueantur *insisteret.*

Cap. 26. *de ipso Thrasea eadem.* Ed. Spir. omittit *eadem;* et prius ea fert *censebat* pro *censebant.* MS. Agr. more suo sapit: *nihil de ipso Thrasea.* MS. Bud. ante *domi* addit *eum.*

subtraheret etc. Ed. Spir. *subtrahere aures comitiis.* MS. Guelf. etiam *subtrahere.* Idem mox *forsitam.*

per immanitatem ausuri. Sic edd. Oberl. sqq. e coniectura Acidalii et Boxhornii. Nam quod veteres libri praebent: *per immanitatem Augusti* sine idoneo sensu esse plurimis videtur. Nec iuvat MS. Agr., dum scribit: *per immanitatem Augusti intentarent.* In margine idem liber vult: *per immanitatem ingererent*, omisso *Augusti* vocabulo. Lipsius: *ictusque parent. Immanitatem Augusti etiam bonos metu sequi.* Acidalius: *ictusque per immanitatem ausuri sint* vel *ausint.* Grotius: *auderent*, quod recepere Bipontini. Ryckius praeeunte Salinerio veterem scripturam defendit, dicitque ἀποσιώπησιν esse, qualis exstat apud Virgil. Aen. 1, 135. *Quos ego: sed motos praestat componere fluctus.* Nomen *Augusti* idem refert ad Neronem. cf. Suet. Ner. c. 46. Quam explica

etiam bonos metu sequi. Detraheret potius senatui, quem perornavisset, infamiam tanti flagitii, et relinqueret incertum, quid viso Thrasea reo decreturi patres fuerint. Ut Neronem flagitiorum pudor caperet, inrita spe agitari, multoque magis timendum, ne in coniugem, in familiam, in cetera pignora eius saeviret. Proinde intemeratus, impollutus, quorum vestigiis et studiis vitam duxerit, eorum gloria peteret finem. Aderat consilio Rusticus Arulenus flagrans iuvenis, et cupidine laudis offerebat se intercessurum senatus consulto: nam plebis tribunus erat. Cohibuit spiritus eius Thrasea, ne vana et reo non profutura, intercessori exitiosa inciperet. sibi actam aetatem et tot per annos continuum vitae ordinem non deserendum: illi initium magistratuum et integra quae supersint. multum ante secum expenderet, quod tali in tempore capessendae rei publicae iter ingrederetur. Ceterum ipse, an venire in senatum deceret, meditationi suae reliquit.

tionem vix concoques, nisi praeditus firmiore stomacho, qualem profitetur eiusdem rationis amator Hillerus Rac. 18.

detraheret. Ed. Spir. *detrahere.* Mox MS. Agr. post *quem* addit *totiens*, subiectis tamen punctis.

infamiam. Sic MS. Harl. (pr. manu) edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. In Harl. altera manus delevit *m* posterius, uti in Guelf., ut esset *infamia*, quod legitur in MSS. Bud. Corb. ed. Spir. *infamia* etiam MS. Flor. inesse testatur Broterius, nescio qua fide. Nam Pichena et Iac. Gronovius tacite edunt *infamiam.*

fuerint. Ed. Spir. *fuerunt.*

inrita. Sic MS. Flor. test. Vict. — *irrita* edd. vett. cum cod. Guelf., qui et hic fert *sepe* pro *spe.*

Arulenus. In MS. Guelf. sec. manus ex *Arulenus* fecit *Aruleius.*

plebis tribunus. Sic edd. Put. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. At Iac. Gronovius in MS. Flor. invenit ediditque *plebi tribunus*, uti est in MSS. Reg. Corb. — Editio Spir. habet *plebis tribus.* In MS. Guelf. legitur *pl. Tribunus.*

spiritus eius. cf. not. ad c. 24. MS. Bud. *spem eius.*

tali in tempore. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. edd. Spir. Pich. sqq. cf. 1, 65. Victorius intactam reliquit scripturam *tali tempore*, quae exstat in MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. usque ad Pichenam.

capessendae. Ed. Spir. *capescendae.*

an venire in senatum. Ed. Spir. *an in senatum venire.*

XXVII. At postera luce duae praetoriae cohortes armatae templum Genetricis Veneris insedere. aditum senatus globus togatorum obsederat non occultis gladiis: dispersique per fora ac basilicas cunei militares. inter quorum aspectus et minas ingressi curiam senatores. Et oratio principis per quaestorem eius audita est. nemine nominatim compellato patres arguebat, quod publica munia desererent eorumque exemplo equites Romani ad segnitiam uterentur. etenim quid mirum e longinquis provinciis haud veniri, cum plerique adepti consulatum et sacerdotia hortorum potius amoenitati inservirent? quod velut telum adripuere accusatores.

XXVIII. Et initium faciente Cossutiano maiore vi Marcellus summam rem publicam agi clamitabat: con-

Cap. 27. *praetoriae.* In Guelf. sec. manus hoc vocabulum in margine addidit.

Genetricis. Sic MS. Flor. (test. Iac. Gronovio) edd. Ber. (c. silent. Vict.) Iac. Gronov. Weikert. Bekker. Kiessl. Accinunt nummi et inscriptt. neque aliena est eadem scriptura a libris. cf. Oudendorp. ad Suet. Iul. c. 61. *Genitricis* edd. Spir. Put. Alc. Rhen. sqq. cum MS. Guelf.

insedere. MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) et ed. Spir. *insidere*, quod aeque bonum est. Mox ed. Spir. *balasicas* pro *basilicas*.

eorumque. MS. Bud. *eodemque.*

ad segnitiam. MSS. Corb. Guelf. ed. Spir. *ad segnitiem.*

uterentur. Sic MS. Flor. test. Vict. — *verterentur* alii codd. MSS. et edd. omnes. Sed puto haud absurde dictum *exemplo alicuius uti ad segnitiam.* Sic Noster in Agr. c. 18. *prosperitate rerum in vanitatem usus.* Ibid. ab initio capitis plane similis est locus verborumque confusio. Vid. not.

mirum e longinquis. MSS. Harl. Ies. Guelf. ed. Spir. pro *e* ferunt, *est*, et sic fortasse MS. Reg., a quo praepositio abesse dicitur. Scilicet aliquis praepositionem *e* accepit pro ē h. e. *est.*

haud veniri. Sic edd. Pich. sqq. e coniectura Lipsii. Nam in MS. Flor. Pichena invenit *had veniri.* Victorius intactum reliquit *adveniri*, quod est in ceteris MSS. et edd. vett. Alii tentant alia. Acidalius: *haud adveniri;* Heinsius: *haud subveniri;* Grotius et Iac. Gronovius: *non adveniri.* Ceterum cogita de senatoribus, qui habitabant in provinciis. cf. 11, 25. 12, 23.

hortorum. Ed. Spir. *oratorum.*

velut telum. MS. Corb. *sicut telum.* In Guelf. quoque *velut* est in litura.

adripuere. MS. Bud. et ed. Spir. *corripuere.*

Cap. 28. *maiore vi.* Ed. Spir. *maior aevi.*

summam rem publicam. Sic edd. Ryck. Iac. Gronov. sqq. et sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Corb. Victorius intactum reliquit *summam rei publicae*, quod est in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. vett. et sic *summae rerum et imperii* Hist. 2, 33. MS. Bud. fert *r. p.* cf. not. ad 12, 5. Ed. Spir. *clamitabat* ponit post *Marcellus.*

tumacia inferiorum lenitatem imperitantis deminui. nimium mites ad eam diem patres, qui Thraseam desciscentem, qui generum eius Helvidium Priscum in iisdem furoribus, simul Paconium Agrippinum paterni in principes odii heredem et Curtium Montanum detestanda carmina factitantem eludere impune sinerent. Requirere se in senatu consularem, in votis sacerdotem, in iureiurando civem, nisi contra instituta et caerimonias maiorum proditorem palam et hostem Thrasea induisset. Denique agere senatorem et principis obtrectatores protegere solitus veniret, censeret, quid corrigi aut mutari vellet: facilius perlaturos singula increpantem quam nunc silentium perferrent omnia damnantis. Pacem illi per orbem terrae an victorias sine damno exercituum displicere? Ne hominem bonis publicis maestum et qui fora, theatra, templa pro solitudine habe-

deminui. Sic edd. Spir. Lips. sqq. — *diminui* edd. Put. Beroald. Rhen. (c. sil. Vict.). In MS. Guelf. a pr. m. fuit *diminui;* sec. manus fecit *deminui.* cf. not. ad 1, 14. 2, 42. 3, 61.

in iisdem. Ed. Spir. *in hisdem.* Mox eadem *Ragonium* pro *Paconium*; MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. *Ragonium*; Rhen. sqq. *Paconium.* Infra c. 33. libri consentiunt in *Paconius.* Quo spectet *paternum odium* vid. apud Suet. Tib. c. 61.

factitantem. MS. Guelf. *factitatem.*

sinerent. Ed. Spir. *sineret.* De verbo *eludere* cf. not. ad 14, 62.

requirere se in senatu etc. Pichena et Ernestius *requirere se* accipiunt pro *requisiturum se* ob sequens *induisset.* Male. Sententia est: oportere consularem adesse in senatu etc. nec Thraseam officia sua deserturum fuisse, nisi ... induisset. Etenim est hic particulae *nisi* eadem ratio, de qua diximus ad 1, 35. 4, 64. et alibi.

contra instituta. Ed. Bip. *contemnens instituta.*

agere senatorem. Sic MSS. et vett. edd. praeter cod. MS. Agr., qui fert *ageret.* Hoc recepere Oberlinus sqq. Nam diu absentem male dici aiunt *agere senatorem.* Perperam. *Agere senatorem* est senatorem esse. cf. not. ad 1, 4. Iam hoc obiicitur Thraseae, quod senatorem agat, cuius sit principis obtrectatores odisse, et nihilominus illos protegat. Copula *et* hic eadem utitur ratione, qua est 1, 13. in *avidum et minorem.* Vid. ibi not. I. Fr. Gronovius frustra coniecit: *denique agere senatorem, ut principis o. protegeret, solitus, veniret* etc.

perlaturos. Ed. Spir. *prolaturos.* MS. Guelf. *prelaturos.*

increpantem. MS. Flor. (test. Vict.) *increpatium;* ed. Spir. *increpantium.* Vulgatum tuentur edd. Put. sqq. cum cod. Guelf.

pacem illi. Ed. Spir. *pacis illi.* Eadem mox: *pro sollicitudine haberet.*

maestum. MS. Corb. *infestum.*

ret, qui minitaretur exsilium suum, ambitionis pravae compotem facerent. Non illi consulta haec, non magistratus aut Romanam urbem videri. abrumperet vitam ab ea civitate, cuius caritatem olim, nunc et aspectum exuisset.

XXIX. Cum per haec atque talia Marcellus, ut erat torvus ac minax, voce, vultu, oculis ardesceret, non illa nota et celebritate periculorum sueta iam senatus maestitia, sed novus et altior pavor manus et tela militum cernentibus. simul ipsius Thraseae venerabilis species obversabatur: et erant qui Helvidium quoque miserarentur innoxiae adfinitatis poenas daturum. Quid Agrippino obiectum nisi tristem patris fortunam? quando et ille perinde innocens Tiberii saevitia concidisset. enimvero Montanum probae iuventae neque famosi carminis, quia protulerit ingenium, extorrem agi.

XXX. Atque interim Ostorius Sabinus Sorani accusator ingreditur orditurque de amicitia Rubellii Plauti,

facerent. In Guelf. sec. manus e *facerent* fecit *faceret.*

Cap. 29. *ut erat.* Sic edd. Pichen. sqq. e vestigiis MS Flor., in quo Pichena invenit *uteret.* cf. 1, 41. *isque ut erat recens dolore et ira.* Victorius tamen ex illo codice adfert *ureret.* Num fuit *fureret?* Sed MSS. Reg. Corb. Agr. Guelf. ed. Spir. *vinceret.* MS. Bud. *verteret*, quod recepere Bipontini, ut sit pro *verteretur* sc. in speciem torvi. Nemo imitabitur. MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. *inveheretur.*

ac minax Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *et minax* MS. Guelf. edd. Put. sqq.

celebritate Sic MSS. et vett. edd. consensu Auctore Freinshemio edd. Bernegg. et Gronoviorum praeferunt *crebritate.* Ryckius, Ernestius sqq. reposuere veterem scripturam; namque *celebritate* pro *crebritate* dici illi docuere. Mox *iam* ante *senatus* abest a MS. Corb.

et altior pavor. Sic edd. Spir. Put M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *ulterior* pro *et altior* MSS. Guelf. Bud. Harl. Bodl. Ies.

obversabatur. Ed. Spir. *obseruabatur.*

poenas. MS. Guelf. *poenam.*

Tiberii. MS. Flor. (test. Vict.) *Tiberi*, per contractionem.

probae iuventae. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Vat. (test. Lipsio) Guelf. (hic *probe*) et sic vulgo MSS., edd. Spir. Lips. 1574. sqq. — *probe viventе* MS. Corb. — *probe viventem* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhenan. Ald. Varietas orta est e vulgari confusione syllabarum *iu* et *vi*; nam *e* et *ae* plerumque promiscua sunt in vett. libris. In fine cap. ed. Spir. *magi* pro *agi.* MSS. Corb. Guelf. *non famosi.* MS. Agr. ante *quia* addit *sed.*

Cap. 30. *Ostorius.* Vett. libri *Torius.* cf. not. ad c. 23.

Rubellii Plauti. Ed. Spir. *Rubelli Plautique.*

quodque proconsulatum Asiae Soranus pro claritate sibi potius accommodatum quam ex utilitate communi egisset alendo seditiones civitatum. Vetera haec, sed recens et quod discrimini patris filiam connectebat, quod pecuniam magis dilargita esset. Acciderat sane pietate Serviliae (id enim nomen puellae fuit), quae caritate erga parentem, simul imprudentia aetatis, non tamen aliud consultaverat quam de incolumitate domus et an placabilis Nero, an cognitio senatus nihil atrox adferret. Igitur accita est in senatum steteruntque diversi: ante tribunal consulum grandis aevo parens, contra filia intra vicesimum aetatis annum, nuper marito Annio Pollione in exsilium pulso viduata desolataque, ac ne patrem quidem intuens, cuius onerasse pericula videbatur.

XXXI. Tum interrogante accusatore, an cultus dotales, an detractum cervici monile venum dedisset, quo pecuniam faciendis magicis sacris contraheret? primum strata humi longoque fletu et silentio, post altaria et aram complexa „Nullos" inquit „impios deos, nul-

proconsulatum. Sic suadente Lipsio edd. Pich. sqq. MSS. et vett. edd. *procos.* vel *proconsul.* Ob sequens *accommodatum* emendatio non vera esse nequit. cf. c. 23.

recens et quod discrimini. Sic MS. Agr. edd. Bipont. Oberl. sqq. et sic volebat Pichena, qui cum Victorio in MS. Flor. invenit: *recens et quot* h. e. *et quod.* Nam *d* et *t* ibi saepe permutantur. Freinshemius emendabat *id quod;* Iac. Gronovius *et quo;* I. Fr. Gronovius *recens et discrimini.* Vulgo MSS. et vett. edd. sqq. *recens discrimini.* MS. Bud. *recens discrimen patris in filiam connectebat.*

id enim nomen puellae fuit. Haec Bekkerus bene uncis inclusit, uti sunt in edd. Put. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. — Lipsius uncos omisit.

aliud. MS. Flor. (test. Vict.) *aliut*, ut supra *quot* pro *quod.*

cognitio. MS. Guelf. *cognito.*

adferret. Sic MS. Flor. t. Vict. — *afferret* edd. vett. cum MS. Guelf.

steteruntque. Ed. Spir. *sternuntque.* Mox MS. Corb. *vigesimum.*

in exsilium pulso. cf. 15, 71. Edd. Put. M. et V. *Anio* pro *Annio.*

viduata desolataque. Ed. Spir. addit *est.* Teste Victorio vocabulum *viduata* abest a MS. Flor.

ac ne patrem quidem. MS. Guelf. *ac patrem quidem.*

Cap. 31. *altaria et aram.* Sic Plin. Panegyr. c. 1. *electus quippe inter aras et altaria.* Emphasis causa duo nominantur, quae coniuncta erant. Nam *altare* est superior pars arae, in qua sacra adolentur.

„las devotiones, nec aliud infelicibus precibus invo„cavi quam ut hunc optimum patrem tu Caesar, vos „patres servaretis incolumem. sic gemmas et vestes et „dignitatis insignia dedi, quomodo si sanguinem et „vitam poposcissent. Viderint isti antehac mihi ignoti, „quo nomine sint, quas artes exerceant: nulla mihi „principis mentio nisi inter numina fuit. nescit tamen „miserrimus pater: et si crimen est, sola deliqui."

XXXII. Loquentis adhuc verba excipit Soranus proclamatque non illam in provinciam secum profectam, non Plauto per aetatem nosci potuisse, non criminibus mariti connexam: nimiae tantum pietatis ream separarent, atque ipse quamcunque sortem subiret. Simul in amplexus occurrentis filiae ruebat, nisi interiecti lictores utrisque obstitissent. Mox datus testibus locus: et quantum misericordiae saevitia accusationis permoverat, tantum irae P. Egnatius testis concivit. cliens hic So-

Hinc *altaris aram* dixit Prudentius in Cathem. 7, 203. et Peristeph. 10, 49. Ceterum MS. Guelf. pro *altaria* habet *altare.*

nec aliud. MS. Guelf. *nec aliquid.* cf. not. ad 1, 4. Vix abstineo quin reponam.

infelicibus precibus. cf. not. ad 2, 75.

vos patres. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Reg. Agr. Corb. edd. Spir. Ryck. Brot. — *et vos patres* MSS. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. et nuper Ernest. Oberl. sqq.

gemmas et vestes et dignitatis insignia. ἓν διὰ δυοῖν. cf. Roth. p. 46.

sanguinem et vitam. Synonyma, ut apud Cic. pro Rosc. A. c. 3. Vid. Roth. p. 8. Mox *mihi* deest in MS. Reg. ante *ignoti.* Guelf. pro *mihi* habet *modo.* Idem mox *artis.*

principis mentio. Ed. Spir. *mentio principis.*

Cap. 32. *non Plauto.* Ed. Spir. *non Plautio.* Mox MS. Guelf. *tamen,* ut saepe, pro *tantum.*

separarent, atque ipse qu. s. s. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronovio) Agr. Reg. Corb. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *ipse* excidit in MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies., quod in Harl. additum est a sec. m. — *separarent a se quamcunque* etc. edd. Put. sqq. usque ad Ryckium.

utrisque obstitissent. MS. Guelf. *obstitissent utrisque.*

quantum misericordiae. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Valic. (t. Lips.) Corb. Reg. edd. Spir. Lips. 1574. sqq. — *quantum nunc* MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Puteol. sqq. ad Lipsium. Scilicet *nunc* factum est e compendio *mīc* (h. e. *misericordiae*), quod exstat in MS. Flor. aliisque libris.

permoverat. Ed. Spir. *promoverat,* vulgari vitio.

tantum irae P. Egnatius. MS. Agr. *tantum invidiae Egnatius.* Ed. Spir. *tantum in repu. Egna-*

rani et tunc emptus ad opprimendum amicum auctoritatem Stoicae sectae praeferebat habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus, ceterum animo perfidiosus, subdolus, avaritiam ac libidinem occultans. Quae postquam pecunia reclusa sunt, dedit exemplum praecavendi quomodo fraudibus involutos aut flagitiis commaculatos sic specie bonarum artium falsos et amicitiae fallaces.

XXXIII. Idem tamen dies et honestum exemplum tulit Cassii Asclepiodoti, qui magnitudine opum praecipuus inter Bithynos, quo obsequio florentem Soranum celebraverat, labentem non deseruit: exutusque omnibus fortunis et in exsilium actus aequitate deum erga

tius. De viro eiusque testimonio cf. Xiphil. 62, 26.

honesti exercitus. Sic e coniectura Lipsii edd. Pichen. sqq. Consentiunt MSS. Flor. et Agr. teste Ryckio. Sed Iac. Gronovius Ryckium de MS. Flor. falsum arguit, et Victorius intactam reliquit scripturam *honesti et exerciti*, quae exstat in vulgo MSS. et edd. vett. atque defenditur a I. Fr. Gronovio et Iacobo filio. Verum locus simillimus 15, 45. Lipsii emendationi patrocinatur.

subdolus. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Ernest. Brot. sqq. Bekkerus nuper revocavit *et subdolus*, quod est in edd. Spir. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Edd. Put. M. et V. omittunt vocem *subdolus.* — Mox ed. Spir. habet *et* pro *ac* ante *libidinem*, et sic edidit Broterius e MS. Corb.

pecunia reclusa sunt. Pecunia sc. accepta ad opprimendum amicum; *reclusa* h. e. ne amplius occultaret. Mox ed. Spir. *sic e specie.*

aut flagitiis. MS. Guelf. *ac flagitiis.*

Cap. 33. *Cassii Asclepiodoti.* Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Rhen. sqq. — *Asclepiodoci* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *Asclepiodici* MS. Guelf. — *classii Asclopiodoti* ed. Spir. De viro cf. Xiphil. l. l.

Bithynos. Sic edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *Bythinos* MS. Guelf. — *Bithinos* edd. Put. — *Bithinios* ed. Spir.

labentem. Sic MSS. Flor. (si fides silentio Victorii habenda est) Bud. Guelf. et forsitan alii libri, de quibus tacent, edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *labantem* MSS. Reg. Agr. Corb. edd. Ryck. Lallemand. et Brot. — *Labeantem* (prima litt. maiuscula) ed. Spir. — Ernestius *labentem* bene defendit ex opposito *florentem.* Nam flos, qui prius florebat, deinde cadit vel labitur.

aequitate deum. Aequitas non est *Gleichgültigkeit*, incuria, socordia, uti interpretantur; immo spectat id verbum ad ἰσομοιρίαν bonorum et malorum, quae obtinet in rebus terrestribus: quanquam Tacitus non est alienus ab eorum opinione, qui putant non esse curae deis securitatem hominum aut timendam malis ultionem. cf. Hist. 1, 3.

bona malaque documenta. Thraseae Soranoque et Serviliae datur mortis arbitrium. Helvidius et Paconius Italia depelluntur. Montanus patri concessus est, praedicto ne in re publica haberetur. Accusatoribus Eprio et Cossutiano quinquagies sestertium singulis, Ostorio duodecies et quaestoria insignia tribuuntur.

XXXIV. Tum ad Thraseam in hortis agentem quaestor consulis missus vesperascente iam die. Inlustrium virorum feminarumque coetus frequentes egerat, maxime intentus Demetrio Cynicae institutionis doctori, cum quo, ut coniectare erat intentione vultus et auditis, si qua clarius proloquebantur, de natura animae et dissociatione spiritus corporisque inquirebat, donec advenit Domitius Caecilianus ex intimis amicis et ei, quid senatus censuisset, exposuit. Igitur flentes queritantesque qui aderant facessere propere Thrasea neu pericula sua miscere cum sorte damnati hortatur,

et Paconius. Sic edd. Put. sqq. — *et Pachonius* MS. Guelf. — *Epachonius* (copula coaluit cum vocabulo) ed. Spir. cf. not. ad c. 28.

ne in re publica. Lipsius explicat: ut Romae quidem, sed procul ab honore omni et publicis muneribus haberetur. Alii rem publicam accipiunt de urbe, ut Montanus rus relegatus videatur. Utrumque inesse puto, unumque ex altero sequi. Nam stricte urbs (h. e. moenia tectaque urbana) res publica significatu Romano dici nequit; valet id verbum omnino de institutis civitatis, quorum tamen sedes erat urbs.

Ostorio. Sic edd. vett. omnes cum silent. Vict. — *Ostrio* MS. Guelf. cf. not. ad c. 23 et 30.

Cap. 34. *Tum ad Thraseam* etc. MS. Agr. *Tum ad Thraseam consilia mortis agentem; mox quem illustrium virorum foeminarumque coetu frequentem egerat.* Ed. Spir. *mortis* pro *in hortis*; mox *cetus frequentem egerat maxime intentum* etc.

auditis. Sic MSS. Flor. (test. Vict. ç. Iac. Gronovio) Agr. Bodl. Corb. Bud. edd. Spir. Bip. Oberl. sqq. — *auditus* MSS. Harl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *auditu* edd. Rhenan. sqq. absque MSStorum auctoritate. — *audita* MS. Reg.

queritantesque. Sic MSS. Flor. (test. Vict. per silentium) Guelf. et alii codd. MSS., edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. — *querentesque* MSS. Reg. Agr. ed. Spir. — *quiritantesque* e coniectura Rhenani edd. Lips. 1574. sqq. cf. Laurenberg. in Antiquario. Lugd. 1622. Veterem scripturam reduxere Ernest. Broter. sqq. cf. Plin. Panegyr. c. 29. ibique Schwarz. et Plin. ep. 6, 20.

facessere. MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Ald. *facescere*, uti solent.

miscere. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. et nu-

Arriamque tentantem mariti suprema et exemplum Arriae matris sequi monet retinere vitam filiaeque communi subsidium unicum non adimere.

XXXV. Tum progressus in porticum illic a quaestore reperitur laetitiae propior, quia Helvidium generum suum Italia tantum arceri cognoverat. Accepto dehinc senatus consulto Helvidium et Demetrium in cubiculum inducit, porrectisque utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens propius vocato quaestore „Libamus" inquit „IOVI „LIBERATORI. Specta, iuvenis. et omen quidem „dii prohibeant, ceterum in ea tempora natus es, qui„bus firmare animum expediat constantibus exemplis."

per Bekker. — *miscerent* MS. Agr. edd. Bipont. Oberl. sqq. Nimirum *neu* videbatur poscere eam formam. Sed in verbis precantium oratione obliqua exhibitis particula *neu* optime quoque ponitur cum infinitivo. cf. 1, 35. *neu mortem* etc. cf. ibi not. Quodsi vis tamen *miscerent*, necessario cum Heinsio scribendum erit *facesserent*. Nullo modo autem ferri potest: *hortatur facessere neu miscerent.*

Arriae matris. cf. Plin. ep. 3, 16. Martial. 1, 14.

Cap. 35. *senatus consulto.* MS. Flor. (test. Vict.) *S. C.*, uti solet.

porrectisque. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. aliique codd. MSS., edd. Ber. (c. sil. Vict.) Pich. sqq. — *porrectis* sine copula edd. Put. M. et V. Alc. Rhenan. sqq. — *productisque* MSS. Reg. Agr. ed. Spir. Frustra viri docti coniecturis indulgent: Acidalius vult *prosectis* (sic et Freinshemius) vel *perfectis* vel *perictis;* Ernestius *perruptis.*

effudit. MS. Agr. *fudit*, et deinde *super aspergens.* MS. Guelf. *effundit* et deinde *superaspergens.* MS. Bud. *superspergens.* *Fudit* etiam in ed. Spir. est.

libamus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Corb. Bodl. (a sec. m.) ed. Spir. — *libemus* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Verum non patet, quid sibi velit coniunctivus; nil enim exhortationis inest. Immo illa ipsa sanguinis unda Thrasea libat Iovi Liberatori. cf. Xiphil. 62, 26. extr. *ἐντεμὼν οὖν τὴν φλέβα ἀνέτεινε τὴν χεῖρα καὶ ἔφη, „Σοὶ τοῦτο τὸ αἷμα, ὦ Ζεῦ Ἐλευθέριε, σπένδω."* MS. Flor. (test. Vict.) *Iobi* pro *Iovi.* cf. not. ad 11, 5.

omen quidem. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhenan. (e Bud., ut videtur) sqq. — *omen quod* MS. Ies. edd. Put. Ber., quae varietas originem traxit e compendio scripturae. In MS. Guelf. est *omen* ꝗ, quod alibi significat *quid.* MS. Corb. *omen di prohibeant.*

expediat. Sic MSS. et vett. edd. — *expedit* edd. Lips. 1574. sqq. et Gruter. Veterem scripturam Pichena revocavit e MS. Flor.

Post lentitudine exitus graves cruciatus adferente obversus in Demetrium * *

lentitudine. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *lentitudinem.* Mox eadem ed. Spir. *gravis* pro *graves.*

obversus. Sic MS. Flor. test. Vict. — *obversis* vulgus MSStorum, edd. Put. sqq. — *conversis* MS. Reg. ed. Spir. Scholiast. ad Iuvenal. 5, 36. de Thrasea: *Accusatus crimine maiestatis defendi se noluit secandasque venas praebuit: conversusque ad Demetrium Cynicum, Nonne tibi (inquit) libare videor Iovi liberatori? Atque singulis amicis oscula offerens exanimatus est.* — At Taciti verba iniqua sorte perierunt!

ADDENDA.

An. I, 8. *ex quis maxime insignes visi.* Edd. Beroald. et Alciat. male dividunt: *ex quis maxime insignes visi, ut porta triumphali funus duceretur. Gallus Asinius* etc.

An. I, 35. *propius incedentes.* Verba: *ad vocem* p r o p i u s *intellige ὤν* sunt commentum, quod per errorem inrepsit. Deleas quaeso.

An. I, 59. *hominem Germanos* etc. Nostram huius loci interpretationem nuper impugnavit doctissimus *Kritzius* (cf. *Allgem. Schulzeit.* 1830. *Abth.* II. nr. 16. p. 125.). Adfirmat ille usum loquendi esse adversum ei significatui, quo vocabulum *hominem* ibi positum censui. Sed inspiciat quaeso exempla iam adlata ex An. 16, 28. Cicer. pro Arch. c. 10. Ipse commendat Grotii coniecturam: *homines Germanos*, interpretatur: *Mag Segestes es mit den Römern halten, mag er seinem Sohne das Priesterthum wiederverschaffen, mag er in seiner Gleichgültigkeit gegen alles Vaterländische beharren und somit aufhören ein Deutscher zu sein: Deutsche Männer werden es immer unerträglich finden, dafs Römische Ruthenbündel* etc. Quae sententia ut inesset, scribendum erat *Germanos homines*, non *homines Germanos.* Nam vis orationis cadit in *Germanos*, non in *homines*, quod ita praepositum ferri nequit. Eadem inconcinnitate laborat Kiesslingii coniectura *hominibus Germanos* legentis. Non enim apparet, quid sibi velit *hominibus* illud primo loco positum, quasi in ea voce sit praecipua sermonis vis.

An. I, 74. *quantoque incautius efferverat.* Idem Kritzius commendat Ernestii coniecturam *quandoque* vulgatamque scripturam intolerabilem iudicat. Non enim verisimile ipsi videtur Tacitum tam insigni animi humani cognitione imbutum *(ein psychologisch so hell sehender Schriftsteller)* de Tiberio dixisse: *er habe in demselben hohen Grade, wie er unbesonnen gewesen, auch tiefe Reue empfunden.* Sed ubi tandem haec leguntur? Verbis latinis ea non insunt. Decepit Kritzium commentum illud de vocula *magis* ad *patiens* supplenda, quod commentum vulgo in auxilium vocatur, ut grammatici ex angustiis sese expediant tironibus sententiam talium locorum explicaturi. Sed cf. not. ad An. 3, 17. sub vv. *miseratio quam invidia.* Quare nostro loco ne credas a Tacito dici, quae vult vir doctus; immo scribit Tiberium poenitentia patientem tulisse etc. eo magis quod incautius efferverat. Tum idem Kritzius vulgatam scripturam etiam damnat ob copulam *que*, quam nescit, quid sibi velit. At coniungit illa vocabula *permotus* et *patiens*, uti coniungi solent duo epitheta ad idem subiectum spectantia. Particulam *quando* Tacito promiscue poni pro *quoniam* nunquam nobis persuadebitur. *Quoniam* est *quom iam* indicatque causam, quae nititur rebus praesentibus: *quando* ubique significat causam inesse rebus temporis non definiti *(sintemal)*.

An. II, 16. *cui Idistaviso nomen.* De hoc loco egregie disputat *Grotefendus* apud *Hessium* in *Var. Lectt. et Observv. in Taciti Germa-*

niam Com. II. p. 3., ubi agitur de vocabulis *Ingaevonum*, *Istaevonum*, *Herminonum* (Germ. c. 2.). Verba sunt: „Der Name *Istaevones* kömmt in Verbindung mit campus *Idistavisus*, worin ich keine Deisterwiese mehr finde, sondern ein *eidstabisches Feld*, wo die Eidgenossen in der Nachbarschaft der heiligen Haine an den gemeinsamen Gränzen der drei deutschen Hauptstämme den Bund beschworen. Denn das Eidgericht heifst auf gut Altdeutsch *Idis-stawa*, wovon Idistavisus das Adiectivum ist, und das Dorf *Staue*, ein Stunde unterhalb *Hameln*, trägt in seinem Namen noch die Spur des dort gehaltenen Landgerichts." Quae si tibi videantur verisimilia, vocabulum *Idistaviso* non pro nominativo habebis cum Reichardo in libello *Germanien.* cf. Hist. 2, 43. *cui cognomen rapaci.*

An. II, 30. *uni libello.* Kritzius l. l. vult *uno libello*, quia nescit, unde dativus pendere possit, quum *additas* spectet ad *nominibus*. Sed coniunge: *accusator arguebat uni libello atroces vel occultas notas* (int. *esse*) *nominibus Caesarum aut senatorum additas.* Sexcenties ita verbum substantivum ut ipsis vocabulis inhaerens supplendo intelligitur (cf. not. ad An. 1, 35.), potissimum iuxta verbum *arguere.* cf. An. 2, 66. *quem sibi infensum arguebat.* Virgil. Aen. 4, 13. *degeneres animos timor arguit.*

An. II, 57. *discesseruntque apertis odiis.* Rothius in *Grammaticis Quaestionibus e C. Cornelio Tacito repetitis* (cf. *Neues Archiv für Philol. u. Pädag.* 1830. Nr. 3. 4.) de hoc loco scribit: „Egregium est, quod I. Fr. Gronovius pro *apertis* disserit. *Odia* sunt res odium incendentes, sive res, de quibus cum irritatione quadam animi dissentitur; quod idem de *offensionibus* II, 42. dicendum est. Hae autem res, postquam de iis agi inter Germanicum et Pisonem coeptum erat, et reconciliari nequibant, *apertae* erant, *operiri* non poterant. Sensus: non aliud profectum est sermone Germanici et Pisonis, quam ut ea aperirentur, quae alterum alteri inimicum reddebant." At nisi fallor, totius loci contextus suadet, ut intelligamus, non quibus factis, sed quibus animis Germanicus et Piso discesserint, nimirum *apertis odiis*, h. e. ita ut dehinc palam esset dissidium inter utrumque virum et abrupta dissimulatio odiorum. Numerus pluralis in *odiis* eo spectat, quod odium fuit ab utraque parte, Germanici adversus Pisonem, Pisonis adversus Germanicum.

An. III, 55. *remissa aedilibus talis cura.* Baumgarten-Crusius ad Sueton. Tib. c. 34. Taciti locum ita explicat: „*ab imperatore, cui imponere eam curam voluerat senatus, ad magistratus reiecta est.*" Cui interpretationi obstant plura: primum quod in Taciti contextu verbum *remissa* ponitur ante *aedilibus*, quo patet vim orationis cadere in *remissa* idque potissimum dici, quod talis cura aedilibus *remissa* sit. E viri doctissimi interpretatione verba collocanda erant in hunc ordinem: *aedilibus talis cura remissa.* Tum quae sequuntur: *luxusque mensae* etc. arguunt *remissam*, *condonatam* potius illam curam quam iniunctam.

An. IV, 12. *ut superbam fecunditate.* Doctissimus Rothius l. l. defendit veterum librorum scripturam: *ut superbiam fecunditate* etc. Vocem *superbiam* accipit metonymice dictam, vitium pro homine eo praedito. cf. An. 4, 17. *aequari adolescentes senectae meae*; 13, 44. *senecta patris.* Hist. 1, 17. *publica exspectatio.* Interpretatur: „*ihr Stolz, pochend auf ihren Kinderreichthum, dränge sich durch die Volksgunst zur Alleinherrschaft.*" Quodsi veteribus libris auctoritatem suam retineri cupias, lubenter accipies viri doctissimi commentationem. Neque tamen negabis elegantem esse Mureti emendationem.

AN. XI, 1. *coeptos.* Vocabulum *emptos* non solum invenitur in margine codicis Harl., sed etiam in margine codicis Vaticani, quem Vertranius inspexit. Idem in vett. libris se vidisse testatur Lipsius recepitque in locum anno 1574. Mansit ea scriptura postea in editionibus Lipsii, quae Lugduni Batavorum prodierunt (vidi in edd. 1598. et 1619.). Antverpienses de ann. 1607. et 1627. ferunt *coeptos.*

AN. XIII, 45. *honoribus nondum functum.* Suetonius Ner. c. 35. eundem dicit *quaestorium.* Quare Baumgarten-Crusius ad Suetonii locum animadvertit: „vel dissensus, ut saepius, est scriptorum, vel honores Tacitus angustiore sensu curules s. maiores dixit." Hoc verum est: nam Hist. 2, 1. Tito tribuitur *matura petendis honoribus iuventa*, licet Titus tunc quaesturam iam gessisset. cf. Sueton. Tit. c. 4.

AN. XIV, 10. *obversabaturque.* In edd. Bernegg. I. Fr. Gronov. (1672), Ryck. legitur *obversabanturque* vitio operarum, quod ita incuria editorum propagatum est. Nam ceteri libri omnes ferunt *obversabaturque.*

AN. XIV, 22. *regis portendat.* Ad hunc locum conferendus est Sueton. Ner. 36. *Stella crinita, quae summis potestatibus exitium portendere vulgo putatur, per continuas noctes oriri coeperat.*

AN. XV, 47. *sanguine inlustri semper Neroni expiatum.* Baumgarten-Crusius ad Sueton. Ner. c. 36. „Ernestius Tac. 15, 47. violenta mutatione delere vult *Neroni*, aut pro eo legere *tyrannis*, frustra provocans ad n. l., ex quo, quum de altero tantum comete sermo sit, nihil conficias. Contra Plin. 2, 25. (23.): *In nostro vero aevo, circa veneficium, quo Claudius Caesar imperium reliquit Domitio Neroni, ac deinde principatu eius assiduum prope ac saevum.* Igitur saepius quum apparuisset, assiduum prope in coelo, *semper Neroni* illustri sanguine expiatum est. Ceterum de priori intellige Senec. Nat. Quaest. 7, 17 et 21. et Xiphilin. 61, 18. *τεράτων δέ τινων γεγονότων τότε οἱ μάντεις ὄλεθρον αὐτῷ ταῦτα φέρειν εἶπον, καὶ συνεβούλευσαν ἐς ἑτέρους τὸ δεινὸν ἀποτρέψασθαι. κἂν συχνοὺς εὐθὺς κατεχρήσατο, εἰ μὴ ὁ Σενέκας ἔφη αὐτῷ ὅτι, Ὅσους ἂν ἀποσφάξῃς, οὐ δύνασαι τὸν διάδοχόν σου ἀποκτεῖναι.*"

CORRIGENDA.

Vol. I. p. 55. in Comment. col. 2. v. 4. *milititus* corrige *militibus*.
— p. 154. — — col. 1. v. ultim. *ocis* corr. *locis*.
— p. 155. in contextu v. 7. *abstitit* corr. *abscessit*.
— p. 249. in Comment col. 1. v. 1. *multae* corr. *multa*.
— p. 294. — — col. 2. v. 29. *pellicendi* corr. *pelliciendi*.
— p. 344. in contextu v. 11. *hella* corr. *bella*.
Vol. II. p. 41. in Comment. col. 1. v. 16. *acri* corr. *auri*.
— p. 213. — — col. 2. v. 7. *perliceret* corr. *proliceret*.
— p. 292. in contextu v. 2. *pereundem* corr. *pereundum*.

HALIS
TYPIS GEBAUERIIS.